
32
10 A
8
VITT. EMANUELE


D. LUDOVICI HABERT,
*Sacræ Facultatis Parisiensis Doctoris, Theologi, & Socii Sorbonici,*

# THEOLOGIA
## DOGMATICA ET MORALIS,

Ad usum
SEMINARII CATALAUNENSIS,
Planissima, Critica, & solidissima Methodo conscripta,
Nunc verò
*Ad usum totius Orbis litterarii*
Post Editiones Parisiensem & Venetam in Germania denuò recusa,
in VIII. TOMOS divisa,
à
plurimis Mendis sollicitè purgata.

## TOMUS VI.




Continens Tractatus
DE POENITENTIA, ET
DE EXTREMA UNCTIONE.

*Editio prima in Germania.*
*Superiorum Permissu.*



AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus MATTHÆI RIEGER, Bibliopolæ,
M DCC LI.





# INDEX CAPITUM

## Tractatus DE POENITENTIA.


§. IV.

---

# Tractatus
## De
## SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.



Cap.



Tra-



# Tractatus DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

## PRÆFATIO.

Piget cum Tertulliano lib. de Pœnit. cap. 7. ſecundæ ſpei poſt violatum Baptiſmum ſubtexere mentionem, ne retractantes de reſiduo auxilio pœnitendi, ſpatium adhuc delinquendi demonſtrare videamus. *Abſit*, inquit, *ut aliquis ita interpretetur, quaſi eo ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum; quia patet ad pœnitendum; & redundantia clementiæ cœleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcircò deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquen-*

*do, quoties ignoſcitur.* Evaſimus ſemel per Baptiſmum, rurſus periculo nosmetipſos non inferamus, etſi iterum evaſuros confidamus.

*Sed enim*, pergit idem Tertullianus, *pervicaciſſimus hoſtis ille nunquam malitiæ ſuæ otium facit. Atqui tunc maximè ſævit, cùm hominem plenè ſentit liberatum: tunc plurimùm accenditur, dum extinguitur ..... non ſcandalis, non tentationibus deficit. Hæc igitur venena ejus providens Deus, clauſa licet ignoſcentiæ janua, & intinctionis ſera obſtructa, aliquid adhuc permiſit patere. Collocavit in veſtibulo pœnitentiam ſecundam, quæ pulſantibus patefaciat ....... Pigeat ſanè peccare rurſus, ſed rurſus pœnitere non pigeat. Offendiſti, ſed reconciliari adhuc potes; habes cui ſatisfacias, & quidem volentem ..... Ille eſt: ſcilicet ille eſt, qui miſericordiam mavult quàm ſacrificium. Lætantur cœli, &, qui illic, Angeli pœnitentia hominis. Heus tu peccator bono animo ſis, vides ubi de tuo reditu gaudeatur.*

Verùm iſta ſunt adverſario noſtro majoris invidiæ incentiva. Scilicet tam copioſam tamque inopinatam gratiam homini, nullam verò ſibi conceſſam non ſuſtinens, qua vi, qua arte efficaciſſimum illud Pœnitentiæ remedium, hinc per armatos Hæreticos de medio tollere, inde per adulterinam & umbratilem Catholicorum pœnitentiam in venenum convertere ab initio uſque adhuc aggreſſus eſt. Quot hære-

ſes

ſes Sacramentum Pœnitentiæ impugnarunt ? An non quotidie circumlatrant qui foris ſunt Novatores, Eccleſiæ Catholicæ doctrinam de Pœnitentia eſſe ſatanicam ? Sed aliud bellum eo periculoſius, quo inteſtinum ac domeſticum à primis ſæculis ſuſcitatum contra Pœnitentiæ Sacramentum in dies inſtaurare non deſinit ſalutis humanæ infenſiſſimus hoſtis, hanc nempe in multorum animis opinionem inſerit, Pœnitentiam ſola confeſſione peccatorum conſtare, totiesque veniam concedendam, quoties peccator ſine emendatione peccatum ſuum profitetur potiùs quàm accuſet. *Tum opinor*, inquit Tertullianus cap. 6. *emendatos liquebit, cùm abſolvimur ? Nullo pacto. Sed cùm pendente venia pœna proſpicitur : cùm adhuc liberari non meremur : ut poſſimus mereri, cum Deus comminatur non cùm ignoſcit . . . . Quis enim tam infidæ pœnitentiæ viro aſperginem unam cujuslibet aquæ commodabit ?* Et infra, *non ideò abluimur, ut delinquere deſinamus ſed quia deſiimus.* Et c.9. *hujus igitur pœnitentiæ ſecundæ & unius, quantò in arcto negotium eſt, tantò operoſior probatio eſt, ut non ſola conſcientia præferatur, ſed aliquo etiam actu adminiſtretur.* Cùm autem ejusmodi perſecutio in Sacramentum Pœnitentiæ acriùs deſæviret, nedum quieſceret, ætate S. Cypriani, & lapſi ante offenſam placatam indignantis Domini, ut ipſe loquitur ſerm. de lapſis,

Sacerdotibus opera pœnitentiæ exigentibus erecta cervice naſcerentur, minarenturque, beatus Martyr vehementiori ſtylo eorum audaciam inſectatus eſt ; *emerſit*, inquit, *novum genus cladis*, *& quaſi parum perſecutionis procella ſævierit*, *acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens*, *& blanda pernities* . . . . . . *Pœnitentia de pectoribus excluſa eſt*, *graviſſimi extremique delicti memoria ſublata eſt. Operiuntur morientium vulnera*, *& plaga lethalis altis & profundis viſceribus infixa*, *diſſimulato dolore contegitur* . . . . . *Non eſt pax illa*, *ſed bellum : nec Eccleſiæ jungitur*, *qui ab Evangelio ſeparatur. Quid injuriam beneficium vocant ? Quid impietatem vocabulo pietatis appellant ? Quid eis*, *qui flere jugiter*, *& vocare Dominum ſuum debent*, *intercepta pœnitentia lamentatione communicare ſe ſimulant ? Hoc ſunt hujusmodi lapſis*, *quod grando frugibus*, *quod turbidum ſydus arboribus*, *quod armentis peſtilens vaſtitas*, *quod navigiis ſæva tempeſtas. Solatium æternæ vitæ adimunt.*

Igitur ad plenam & integram Sacramenti Pœnitentiæ notitiam duo nobis præſtanda ſunt. Primùm, vindicanda eſt Sacramenti veritas, & ſtabilienda plura fidei dogmata contra totidem Hæreticorum commenta. Secundum, aſſerenda neceſſaria Eccleſiæ diſciplina circa uſum hujusce Sacramenti contra fucatam plurium Catholicorum Pœnitentiam, & laxiorem quo-

rundam

rundam Confeſſariorum morem, qui, ut verbis S. Cypriani utar, dum peccatores blandimentis adulantibus palpant, delicta non comprimunt, ſed nutriunt. Primum theoriam ſpectat: ſecundùm praxim.

Circa praxim autem quam plurima dicenda occurrunt, quæ ſi ſigillatim diſcutiantur, opus erit integro volumine; namque 1. exponendum eſt, quæ ſint partes Miniſtri hujusce Sacramenti, qua ſanctitate debeat eſſe inſtructus & munitus contra peccandi occaſiones, quibus ſe committit: quo zelo fervere: qua ſcientia & prudentia pollere, ut miniſterium ſuum longè difficillimum ac periculoſiſſimum fideliter impleat, neve ſit unus ex illis, quibus Deus exprobrat, Jerem. 6. v. 14. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia.* Eſt quippe Judex ſimul & Medicus. Judex quidem, qui, ut juſtè pronuntiet, non ad allegata tantùm, ut nonnulli falſo autumant, ſed ad probata proximè attendat neceſſe eſt; num ſcilicet verus ſit dolor, ut aſſeritur, & pœnitentia ſufficiens; *hoc enim pretio*, inquit Tertullianus cit. lib. de Pœnitentia cap. 6. *Dominus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui vindicant, priùs nummum, quo paciſcuntur, examinant, ne ſculptus, neve raſus, ne adulter; etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem priùs*

 *inire,*

*inire, tantam nobis mercedem, perennis ſcilicet vitæ conceſſurum.* Jam vero Sacerdotes à Deo conſtituti ſunt, qui ejus nomine & tanquam Miniſtri ab eo deputati pœnitentiæ nummum examinent. Quapropter Patres generalis Concilii Lateranenſis II. graviſſimis hisce verbis illos compellant canone 22. *Confratres noſtros Epiſcopos & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur.* Denique Clerus Gallicanus anno 1700. poſt Innocentium XI. anno 1679. & Academiam Lovanienſem anno 1653. hancce quorundam Modernorum propoſitionem erroneam, & ducentem ad impœnitentiam finalem declaravit, *pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio; dummodo ore proferat ſe dolere & proponere emendationem.* Confeſſarius ergo ſpem concipere debet non vanam, ſed prudentem futuræ emendationis eorum, quos abſolvit. Quomodo autem id prudenter conjiciet, quæſtio eſt ad praxim pertinens, quæ nonniſi ex certis regulis ſolvi poteſt.

Eſt etiam ſpiritualis Medicus eorum, qui ad ſe confugiunt, ut colligitur ex illo Ezech. 34. *quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſanaſtis*; quibus verbis nixus S. Cyprianus ſerm. de lapſis ſcribit: *Si oportet Dei Sacerdo-*

*cerdotem non obſequiis decipientibus fallere : ſed remediis ſalutaribus providere. Imperitus eſt Medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat ! & in aliis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt & ſecandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cùm ſenſerit ſanitatem.* Quibus verbis metaphoricis Sanctus Doctor & Martyr commonet ægritudines animæ plerumque ægros latere, idemque contingere pœnitentibus quod corpore ægrotantibus. Hi quippe gravem morbum aliquando levem exiſtimant, quandoque etiam, cum ſenſu doloris careant, non agnoſcunt. Sed illud frequentiùs accidit,nempe fruſtra remedia adhibent, ver. gr. capiti, ob dolorem quo ibi premuntur, quia cauſam mali ignorant,ſcilicet intemperiem viſcerum, quibus proinde mederi oportebat, non capiti. Similiter & pœnitentes: aut ipſis Religio non eſt, quominus multa illicita faciant ; aut ſi eorum conſcii fuerint, levia putant, quamvis gravia: aut quæ reverà ſunt ex ſuo genere levia, quàm tamen periculoſa ſint propriæ ſaluti & humanæ ſocietati non intelligunt.

Enimverò ad morem vivunt homines, non ad legem, aut ad rationem, inquiebat olim Seneca : attendunt, non quid debeant, ſed

quid faciant artifices, mercatores, præfecti rebus Ecclesiasticis ac politicis, & ita crimen evadit licitum, cùm incipit esse publicum, ut observat S. Cyprianus epist. 1. ad Donatum, & Sanctus Augustinus Enchir. cap. 80. *Peccata*, inquit, *quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva, aut nulla esse creduntur: usque adeo ut non solùm non occultanda, verùm etiam prædicanda ac diffamanda videantur . . . . . . Væ peccatis hominum, quia sola inusitata exhorrescimus, usitata verò . . . . . quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra sese faciant regnum Dei, sæpe videndo omnia tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur. Atque utinam, o Domine, non omnia, quæ non poterimus prohibere, faciamus.* Facit autem, & socium criminis se adjungit spiritualis Medicus, si tamen Medicus sit appellandus, qui, ut supra dicebat Sanctus Cyprianus, vulnera in altis recessibus viscerum per ignorantiam vincibilem inclusa aperire detrectat, ne scilicet vociferetur & conqueratur æger impatiens.

Sed quid prodest aperuisse vulnus, nisi congruis remediis sanetur? Annon cura & sollicitudo Medici supervacanea fuerit & ægrotantibus onerosa, nisi sanitatem perficiat? Quæ verò animæ sanitas, nisi justitia & emendati mores? Ergo *ubi emendatio nulla*, inquit Tertullianus citato libro cap. 2. *pœnitentia necessaria vana; quia caret fructu suo, cui eam Deus inserit, idest*

*id est hominis saluti.* Atqui Sacramentum Pœnitentiæ per se est efficacissimum, nullus animi morbus vincit divinum illud medicamentum, gravissima quæque peccata expungere potest. Qui fit igitur, ut post adhibitum universis fidelibus tam potens remedium, sicut contingit in Festis Paschalibus, non mutetur rerum facies, eadem cernantur scandala, eadem agendi ratio? nimirum leges & præcepta spiritualis hujusce medicinæ accuratè non servantur: satis videtur pluribus Ministris, si fidei dogmata, veluti prima principia, noverint: ipsam verò disciplinam & praxim, in qua ars medendi potissimum consistit, aut ignorant, aut negligunt. Quamobrem praxim pœnitentiariam ad usum Diœceseos Virdunensis jampridem vulgavimus, quæ cùm intra angustos limites hujusce Tractatus includi nequeat, ad eam lectores eò fidentius remittimus, quòd & ex pluribus editionibus, quæ prodierunt ex officina hujus nostri Typographi, & ex usu Seminariorum, è quibus Sacerdotes recens inaugurati ad munia Sacerdotalia non priùs emittuntur, quàm praxim illam perfectè didicerint; hanc qualemcunque operam nostram viris piis, & Ecclesiasticæ disciplinæ amantibus probatam esse intelligamus. Eas tamen disciplinæ partes hìc attingemus, quæ cum fidei dogmatibus ita connexæ sunt; ut vix ab eis separari queant.



# CAPUT PRIMUM.

## De nomine & definitione Pœnitentiæ.

Pœnitentia dupliciter accipitur. 1. Pro virtute. 2. Pro Sacramento novæ legis à Christo instituto. De nomine & definitione Pœnitentiæ in utraque acceptione separatim dicendum videtur.

### §. I.

### *De nomine & definitione virtutis Pœnitentiæ.*

Q. 1. *Unde dicitur Pœnitentiæ nomen?*

R. Alii illud repetunt à punitione, ita ut pœnitentia dicatur quasi punientia: *Quia*, inquit S. Isidorus in exhort. ad pœnit. *homo punit in se ulciscendo, quòd malè admisit.* Alii communiter illud nomen derivant à pœna, quasi pœnitere idem sit ac pœnam tenere. Ita Auctor libri de vera & falsa pœnitentia apud S. Augustinum cap. 29. in quo sic habet: *Pœnitere, est pœnam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod admisit peccando.* Huc accedit S. Isidorus, lib. 2. de Officiis cap. 16. Magister Sententiar. lib. 4. & cæteri deinceps Theologi.

Pseudo-Reformati in hoc ipso Tractatus limine nos lite iniqua morantur; contenduntque Auctorem vulgatæ editionis peccasse, dum resipiscentiam peccatoris è Græco textu expressit nomine Pœnitentiæ; in Græco quippe habetur,

μετάνοια,

μετάνοια, quæ vox apud Scriptores tum profanos, tum Ecclesiasticos significat mutationem consilii, nullatenus verò dolorem & afflictionem spiritus, ut Tertullianus observat libro 2. contra Marcionem cap. 24. *Nam & in græco sono*, inquit, *pœnitentiæ nomen, non ex delicti confessione, sed ex animi demutatione compositum est.* Novatores autem hancce controversiam de nomine, consentaneè movent ad suum palmarem errorem, quo definiunt hominem justificari per fidem sine bonis operibus, ex quo deducunt 1. optimam pœnitentiam esse tantùm novam vitam. 2. Satisfactionem pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse: quem utrumque errorem Concilium Tridentinum sess. 14. can 12. & 13. anathemate percussit, simulque statuit resipiscentiam peccatoris non solùm cessationem à peccato; & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium cum tristitia continere. Cùm igitur nomen Pœnitentiæ illa duo feliciter exprimat, meritò vindicatur, quidquid significet græca vox μετάνοια, secundùm vim nominis spectata; minùs quippe attendendum est ad vocum etymon & originem, quàm ad earum usum & acceptionem: vox, *homo*, v. g. secundùm etymon, humum, aut terrenum duntaxat significat; juxta usum tamen accipitur pro composito, quod constat ex corpore & anima rationali, nec alio sensu, usurpari potest.

Q. 2. *Vox* μετάνοια *juxta usum significatne consilii mutationem cùm animi dolore & tristitia?*

R. Ita usurpatur tum à profanis Scriptoribus, tum à Scriptura sacra: tum à sanctis Patribus.

Ac

Ac 1. quidem à profanis Scriptoribus. Cicero Tuſcul. 4. *Alexandrum regem*, inquit, *videmus, cum interemiſſet Clitum familiarem ſuum, vix à ſe manus abſtinuit, tanta vis fuit pœnitendi*, Ovid. lib. 1. de Ponto Elegia 1.

*Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo.*

Quin apud Ethnicos fuit Dea hoc nomine appellata, de qua Auſonius in diſticho.

*Sum Dea, quæ facti non factique exigo pœnam,*
*Nempe ut pœniteat, ſic metaneia vocor.*

2. In Scripturis μετάνοια ſumitur pro mutatione conſilii ſimul, & afflictione mentis & corporis, Job. 42. verſ. 6. *Idcircò me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Jonæ 3. Ninivitæ pœnitentiam egerunt in Jejuniis & cinere ſaccis induti. Joelis 2. verſ. 12. & 13. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Sapientiæ 5. verſ. 3. *dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*, &c. Matth. 11. verſ. 21. Et Luc. 10. verſ. 13. *Si in Tyro & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere ſedentes pœniterent.*

3. Eccleſia μετάνοιαν in eadem ſignificatione ſemper uſurpavit, ut patet ex conſtanti ejus traditione. In præfatione inſignes Tertulliani, & ſancti Cypriani textus protulimus, in quibus virtus pœnitentiæ cernitur tota in emendatione, morum, doloribus, & luctuoſis operibus. Lactantius inſtitut. libro 6. cap. 24. *Græci*, inquit, *meliùs & ſignificantiùs* μετάνοιαν *dicunt, quam nos poſſumus reſipiſcentiam dicere; reſipiſcit enim, & mentem ſuam quaſi ab inſania recipit, quem errati piget, caſti-*

*caſtigatque ſeipſum dementiæ, & confirmat animum ad rectiùs vivendum; tum illud ipſum maximè cavet, ne rurſus in eoſdem laqueos inducatur.* Sanctus Auguſtinus Sermone 351. aliàs homil. 50. *Non ſufficit ad pœnitentiam mores in meliùs emendare, niſi etiam ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus lacrymis.* Sanctus Gregorius humil. 34. in Evangelia, ait: *Pœnitentiam agere eſt perpetrata mala plangere, & plangenda non perpetrare.*

Denique in Eccleſia tum Orientali, tum Occidentali, Pœnitentia, qua Catechumeni præparabantur ad Baptiſmum, & lapſi ad reconciliationem, peragebatur in luctu, in jejuniis & aliis carnis afflictationibus. Unde mirari licet Novatorum temeritatem, qui auſi ſunt mutare vocum ſignificationes ab omnibus receptas, hac ſola ducti ratione, quòd eorum errores explodant.

Quod afferunt ex Tertulliano contra Marcionem, nullius eſt ponderis; Tertullianus quippe eo loci loquitur de pœnitentia, quæ Deo tribuitur in veteri Teſtamento, ſcribitque contra illum Hæreticum pœnitentiam non arguere in Deo imperfectionem, quemadmodum in hominibus; quia ſecundùm vim nominis græci ſonat mutationem, in Deo quidem operum, ſed ſine triſtitia; in hominibus verò conſilii cum dolore & triſtitia, ex qua procedunt gemitus, lacrymæ, & alia opera luctuoſa, quæ latè deſcribit libro de Pœnitentia.

Q. 3. *Suntne alia Pœnitentiæ nomina?*

R. Duo alia ex Scripturis ſortita eſt, quæ ſolo vocis ſono Hæreticorum machinas ſubvertunt. Itaque

Voca-

Vocatur 2. cordis compunctio, à verbo *compungo*, quo Scripturæ pluribus in locis exhibent cor pœnitentis quasi confixum doloris aculeis, ut Act. 2. verf. 37. *His autem auditis compuncti sunt corde*, Psalm. 4. *quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini*: ideft, quæ per diem malè cogitaftis, per noctis quietem mente revolvite, & inde dolete, Pfal. 34. in fenfu allegorico, de Judæis per orbem difperfis in pœnam fui fceleris, nec propterea pœnitentibus, *dissipati sunt, nec compuncti.* Unde fanctus Auguftinus in Pfalmum 57. paulò ante finem, ait: *Pœnitentia hujus temporis dolor medicinalis est: pœnitentia hujus temporis* (Judicii extremi) *dolor pœnalis est. Non vis illas pati spinas, hic compungere spinis pœnitentiæ, ut facias, quod dictum est*, converfus fum in ærumna mea, dum configitur fpina .... *modò fac, modò compungere, ne in te fiat quod dictum est de quibusdam detestabilibus*, difciffi funt, nec compuncti.

Sed celebre eft in Ecclefia, & à primis fæculis confecratum contritionis nomen, quo virtus pœnitentiæ indigitatur.

Derivatur autem à verbò *contero*, quo Scriptores facri fæpè fæpiùs utuntur ad fignificandum intimum Pœnitentis dolorem, Ifaias 57. verf. 15. *Hæc dicit Excelsus ..... in excelso & sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu*, Pfalm. 50. *Cor contritum & humiliatum, Deus non despicies*, Pfalm. 146. *qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum.* Quæ verba expendens fanctus Auguftinus enarr. in hunc Pfalmum, fic fcribit: *Quid est conterere cor? Notum sit, charissimi, fiat, ut sanari possitis.* Et paulò poft: *Audi quid te velit offerre* (fcil. pro peccatis) *sequitur & dicit*, Sacrificium Deo fpiritus contribu-

tribulatus, cor contritum & humiliatum, Deus non despicies : *Sanat ergo contritos corde; quia illis appropinquat ut sanet*, *sicut dicitur in alio loco*, prope est Dominus his qui obtriverunt cor (scilic. Psal. 33. in quo legimus secundùm Vulgatam Editionem, qui tribulato sunt corde :) *Qui obtriverunt cor? humiles. Qui non obtriverunt cor? superbi. Contritum sanabitur*, *elidetur elatum .... sanat*, inquit, *contritos corde ; sanat ergo humiliatos corde*, *sanat confitentes*, *sanat seipsos punientes*, *in se severum judicium exercentes*, *ut possint esse illius misericordiam sentientes*.

S. autem Thomas in 4. dist. 17. qu. 2. & in Supplemento quæst. 1. artic. 1. docet virtutem pœnitentiæ dici contritionem per metaphoram ductum à duro & scabroso lapide, qui nisi frangatur, resistit, manum contrectantem, & comprimentem pungit, læditque ; sed attritus, seu confractus facilè cedit : contritus autem perfectè, & quasi in pulverem redactus, mollis sentitur, potestque madefactus quamlibet figuram accipere. Similiter cor lapideum peccatoris est intractabile, obsistit monitis & exhortationibus, correptionis tela in illud emissa, impudenter remittit in corripientem, nam *sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias*, ut dicitur Prov. 26. vers. 16. At dolore fractum, jam docile est ac humile, præceptis & sanis consiliis acquiescit eo facilius ac promptius, quò perfectior est ejus dolor.

Duplex enim est dolor : alius imperfectus, qui attritio dicitur, quasi cor peccatoris atterat, & velut in majusculas partes frangat : alius perfectus, qui dicitur contritio cor conterens, ac in minutissimas partes comminuens. Priori dolore attritus peccator non resistit sicut priùs acquies-

quiescit iis quæ audit absolutè necessaria ad salutem consequendam, vitandamque damnationem æternam; sed cor ejus fractum duntaxat, necdum veluti in pulverem comminutum quandam duritiem retinet, hoc est, plures servat cupiditates, per quas in levioribus resistit. Posteriori verò dolore cor confixum & contritum non repugnat nisi malo, & cupiditatibus ad illud impellentibus, fit docile, & quasi lutum in manibus figuli, tractabile ad omnem pietatis formam: *Quod est contritum*, inquit sanctus Chrysostomus hom. 9. in epistola ad Hebræos, *non exurgit, non ferit, sed est paratum ad omne malum perferendum. Ejusmodi est cordis contritio, etiamsi contumelia affecta fuerit, etiamsi malè & indignè accepta conquiescit, nec ad ultionem incenditur gratia illustrante.* In quo autem attritio, & contritio inter se differant, expendetur suo loco.

Q. 4. *Quomodo definitur virtus Pœnitentiæ?*

R. Definiri potest ex dictis, virtus moralis infusa inclinans peccatorem ad detestationem, & dolorem proprii peccati, quatenus est offensa Dei cum efficaci emendationis ac satisfactionis proposito.

Dicitur 1. *Virtus;* Quia virtus est habitus electivus secundùm rectam rationem: atqui recta ratio exigit, ut quis malum detestetur; & si fecerit, doleat, ad meliorem frugem se convertat; & si quem læserit, satisfactionem ei offerat.

Ergo pœnitentia, seu contritio non est tremor & motus animi coactus, ex apprehensione judiciorum Dei, ut finxerunt Lutherus & Calvinus; sed est actus liber judicio rationis imperatus. Solet quidem præire pœnarum timor ut in Nini-

Ninivitis, qui ad Jonæ prædicationem plenam terroribus, ut loquitur Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 4. pœnitentiam egerunt; sed voluntariè, & liberè sequitur ipsa contritio seu pœnitentia, quemadmodum sub anathemate definit idem Concilium, can. 5. ejusdem sessionis.

Dicitur 2. *Moralis*; Quia non habet Deum pro objecto, sed satisfactionem ipsi debitam & exhibendam; nam ex S. Thoma 3. part. qu. 85. art. 3. ad primum, pœnitentia se habet ad Deum, sicut justitia commutativa ad hominem: atqui objectum justitiæ non est homo, sed res homini debita, & ei reddenda tanquam fini cui: ergo nec Deus est objectum pœnitentiæ, sed satisfactio ei exhibenda.

Dices: sicut ad charitatem pertinet gaudere de bono amici; ita & tristari de ejus malo: ergo pœnitentiæ virtus est ipsamet charitas, ac proinde virtus Theologica.

Distinguo anteced. Tristari modo charitati proprio, Conc. Tristari modo pœnitentiæ proprio, Nego anteced. Itaque omnis virtus refugit malum oppositum bono, quod prosequitur. Religio v.g. inclinat ad detestandam omnem irreverentiam contrariam cultui Dei, quod est ejus objectum: vir justus per justitiam ægrè fert proximum injustè opprimi, per charitatem nomen Dei blasphemari. Ergo sicut illi dolores sunt distinctarum virtutum, quia eliciuntur ex diverso honestatis motivo, ita dolor quo dolemus ob proprium peccatorum, quatenus est offensa Dei, est specialis virtutis, nempe pœnitentiæ illudque ampliùs suadetur exemplo filii, qui ob injuriam patri irrogatam aliter dolet si ab aliis, aliter si à

ſemetipſo fuerit irrogata; in poſteriori quippe hypotheſi non ſolum pietate ad dolendum movetur ſicut in priori; ſed etiam pœnitentia, quæ ſicut pietas nudè ac ſimpliciter ſpectat injuriam patris, ſed quatenus à ſeipſo illata eſt, unde naſcitur ſpeciale dolendi motivum.

Dicitur 3. *Infuſa;* Juxta illud Jer. 31. v. 19. *Poſtquam .... convertiſti me, egi pœnitentiam.* Act. 5. verſ. 31. *hunc principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera ſua, ad dandum pœnitentiam Iſraeli.* Et capite 11. verſ. 18. *Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam.* Et ratio eſt, quia vera pœnitentia diſponit ad juſtificationem, tenditque ad abolendam Dei offenſam, ad exhibendam pro ea ſatisfactionem, & reconciliandum hominem cum Deo: atqui virtus naturalis, & acquiſita non poteſt iſta præſtare, ut definitum eſt capite 3. ſeſſione 6. Concilii Tridentini: *Si quis dixerit ſine præveniente Spiritus Sancti inſpiratione, atque ejus adjutorio hominem .... pœnitere poſſe ſicut oportet, ut ei juſtificationis gratia conferatur; anathema ſit:* Ergo virtus pœnitentiæ revera eſt ſupernaturalis & infuſa, meritòque Clerus Gallicanus hæreticam pronuntiavit anno 1700. hancce propoſitionem, *probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modò honeſtam.*

Dices: virtus pœnitentiæ infunderetur vel ante juſtificationem, vel in ipſa juſtificatione: atqui neutrum dici poteſt. Non ante juſtificationem; quia virtutes morales non infunduntur ante gratiam ſanctificantem & charitatem, utpote illarum appendices: neque etiam in juſtificatione, cum foret tum inutilis, deleto jam peccato, abolita Dei offenſa & reconciliatione perfecta:

ſani-

ſanitate enim adepta, rejiciuntur remedia; utpote ſupervacanea: Ergo.

Nego minorem, ad cujus confirmationem reſpondeo.

1. Pœnitentia, quamvis ante juſtificationem non infundatur quoad habitum, propter rationem in objectione allatam; infunditur tamen quoad actûm; peccator quippe movetur ad pœnitentiam, per gratiam Spiritus Sancti nondum quidem inhabitantis, ſed aſſiſtentis & diſponentis ad juſtificationem, ut diximus Tract. de Gratia, ubi de juſtificatione. 2. In ipſa juſtificatione cum gratia ſanctificante & charitate, infunditur habitus pœnitentiæ, qui tum dici nequit inutilis, & quidem multiplici de cauſa. 1. quia peccata licèt in juſtificatione deleta, toties diſplicere debent, quoties eorum memoria recurrit, juxta illud Iſaiæ 38. *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* David accepto hocce divino oraculo, 2. Reg. 12. *Dominus tranſtulit peccatum tuum*, nedum lacrymas continuerit, quin tam inopinatum Dei beneficium fuit illi incentivum flendi ampliùs, ut conſtat ex pluribus ejus pſalmis. *Laboravi in gemitu meo*, inquit Pſal. 6. *lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo.* Si autem David jam certior factus peccata ſibi fuiſſe dimiſſa, nihilominus ea tam amarè deflebat memor ſe graviter deliquiſſe in Deum, quem in dies magis ac magis experiebatur ſibi optimum; quanto magis nos affligi debemus, qui poſt ſuſceptum Sacramentum, ideò neſcimus utrùm odio an amore ſimus digni, ut continuus ſit nobis dolor, quòd aliquando in Deum peccaverimus? Ita S. Gregorius libro 2. epiſtol. 22. ad piam Matronam, *ſecura*

*de peccatis remissis*, inquit, *fieri non debes : nisi cùm jam in die vitæ tuæ ultimo, plangere eadem peccata minimè valebis . . . . quoadusque veniat, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare.* Auctor libri de vera & falsa pœnitentia inter opera S. Augustini cap. 13. *Ubi dolor finitur*, inquit, *deficit & pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia?* 2. Quia ex S. Thoma 3. part. qu. 84. art. 8. *vera pœnitentia non solùm removet peccata præterita; sed etiam præservat hominem à peccatis futuris.* Hinc habitus pœnitentiæ non fuit infusus cum cæteris virtutibus in animam Christi; quia nec peccavit, nec peccare potuit : contra verò per Baptismum infunditur in parvulis, non quidem propter peccatum originale; cùm enim propria voluntate non sit contractum, de eo non potest esse pœnitentia propriè dicta, ut docet Doctor Angelicus; infunditur ergo propter mutabilitatem voluntatis humanæ, quæ, quamdiu peregrinamur à Domino, deficere potest; ideoque secundùm communem Theologorum sententiam primi parentes in statu innocentiæ instructi fuerunt pœnitentiæ habitu, quo à peccato servarentur; *est enim virtus*, inquit Magister Sententiarum lib. 4. distinct. 14. *qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus, & plangenda ulteriùs committere nolumus.* Secunda definitionis pars competebat Adamo innocenti, utraque nobis : habitus pœnitentiæ erat illi antidotum; nobis remedium, simul & antidotum. Unde S. Chrysostomus lib. 1. de compunctione, *per totam vitam plangendum*, inquit, *ut vel sic occupata in luctu & lacrymis anima erubescat peccare. Denique lugentes pro charorum suorum amissione interrogemus . . . . aufugiunt continuò, nec usquam*

*quam apparent omnes illæ molles & dissolutæ deliciæ, nusquam ventris cura, aut sollicitudo carnis habetur . . . . procul omnis illa insania congregandæ pecuniæ, procul omnis cupiditas possidendi; honoris autem & ambitionis omnis apud eos gloria tunc verè ut fœnum, & velut flos fœni videtur.* Cùm igitur ista sint naturalia doloris & tristitiæ consectaria, Deus in justificatione infundit pœnitentiæ habitum, ut justificatus sæpè sæpiùs recogitans in amaritudine animæ suæ, quàm graviter in Deum deliquerit, non tangatur peccati illecebris; sed sibi dictum putet illud Os. 9. *Noli lætari Israel, noli exultare sicut populi; quia fornicatus es à Deo tuo.*

3. Justus indiget habitu pœnitentiæ, ut expungat reatum pœnæ temporalis, qui ut plurimùm remanet, remissa jam culpa, namque ex dicendis Deus non reconciliatur cum lapsis post Baptismum, nisi ea lege, ut divinæ ejus justitiæ satisfaciant, nec vera esset pœnitentia sine proposito satisfaciendi, utpotè ipsi essentiali, ut patet ex ejus definitione. Unde sanctus Gregorius, vel quivis Auctor Commentariorum in Librum primum Regum, scribit lib. 6. *Signum ergo veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque bene conversum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur, quod loquendo confitetur. Unde Joannes Baptista malè conversos Judæos ad se confluentes increpans ait:* Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? facite ergo dignos fructus pœnitentiæ: *In fructu ergo, non in foliis, aut ramis pœnitentia cognoscenda est. Quasi arbor quippe bona voluntas est. Confessionis ergo verba, quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum* expe-

*expetenda sunt ; quia idcirco omnis confessio peccatorum expetitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit : quia confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* Eadem mente Tertullianus longè ante scripserat lib. de Pœnitentia c. 9. *Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Et sanctus Augustinus ep. 153. aliàs 54. *Nihil aliud agit*, inquit, *quem veraciter pœnitet, nisi ut id quod mali fecerit impunitum esse non sinat. Eo quippe modo sibi non parcenti ille parcit, cujus altum justumque judicium nullus contemptor evadit.* Viderint ergo quæ signa nominis secum reconciliati, & pœnitentiæ in cordibus infusæ præseferant, qui post perceptum reconciliationis Sacramentum, omnem doloris sensum deponunt, quippe immemores pacti cum Deo in Sacramento initi, nempe se ei omnem, quam voluerit, satisfactionem exhibituros; molliora quæque sectantur, adversa, quibus justitia divina eos exagitat, in peccatorum vindictam, invito animo patiuntur, & levia à Confessario imposita perfunctoriè & negligenter decurrunt.

4. Denique in justificatione infunditur habitus Pœnitentiæ contra peccata, quæ ut quotidiana sunt, quotidiana quoque de iis debet esse pœnitentia, alioquin multitudine sua obruent, ut docet sanctus Augustinus sermon. 351. aliàs hom. 50 & epist. 265. aliàs 108. *Si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt & opprimerit, sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, utrùm uno grandi fluctu navis operiatur, & obruatur : an paulatim subrepens aqua in sentinam, & per negligentiam derelicta atque contempta, implicet navem,*

*navem & submergat. Propter hæc jejunia, eleemosynæ, & orationes invigilant.*

Atque ex his patet virtutem pœnitentiæ tam arctè connexam esse cum gratia sanctificante seu charitate, ut ab ea divelli nequeat, utpote ejus proprietas, parique gradu simul crescere in unoquoque sanctitatem & pœnitentiam. Quin sanctus Thomas in 4. dist. 14. & in Supplem. qu. 16. art. 2. docet, virtutem pœnitentiæ remanere in Beatis, non quidem quoad actum doloris & tristitiæ, quam non admittit summa felicitas: sed quoad alios actus, putà detestationis peccati, laudis, & gratiarum actionis pro infinita Dei in eos misericordia.

Dicitur 4. *Inclinans peccatorem ad detestationem & dolorem proprii peccati;* non enim possumus de peccato alterius pœnitentiam agere, sed dolere duntaxat. Et ratio est, quia pœnitere est resipiscere, consilium mutare, ad sanam mentem redire: atqui ista competere nequeunt, nisi ei, qui se malè egisse agnoscit: Ergo pœnitentia non potest esse nisi de proprio peccato.

Dicitur 5. *quatenus est offensa Dei;* quia pœnitentia, utpote quædam species justitiæ, est ad alterum, tenditque ad abolendam offensam ipsi allatam, & pro ea satisfactionem exhibendam: Ergo dolere præcisè, vel quia turpe est nos peccasse, & inde confundimur, vel quia animadversione sumus digni, idque sine respectu ad Dei offensam; non est actus virtutis pœnitentiæ, sed amoris privati, quod operæ pretium est advertere.

Dicitur 6. *cum emendationis proposito*, ut virtus pœnitentiæ distinguatur tum à tristitiâ sæ-

culi, quæ mortem operatur, ut loquitur Apostolus 2. Corinth. 7. verſ. 10. tum à pœnitentia reproborum, qui Sapient. 5. verſ. 3. exhibentur *pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes*: ejuſmodi enim triſtitia animum dejicit, nec ad meliorem frugem convertit; contra verò pœnitentiæ virtus animos accendit, in ſpem erigit; & quod peccatum eſt, efficaciter emendat ac corrigit; *quæ enim ſecundùm Deum triſtitia eſt*, inquit Apoſtolus 2. Cor. 7. *pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur .... ecce enim hoc ipſum, ſecundùm Deum contriſtari vos, quantam in vobis operatur ſollicitudinem .... ſed deſiderium; ſed æmulationem, ſed vindictam?* Quibus verbis carpitur falſa eorum pœnitentia, qui ubi ſe lapſos advertunt; animo franguntur, gemunt deſides, abſque ulla reſurgendi ſollicitudine: parvulos diceres, qui cum ceciderint, jacentes indulgent lacrymis, donec quis eos erigat; *pertinet enim ad pœnitentiam*, inquit ſanctus Thomas 3. part. q. 90. artic. 4. *ut deteſtentur peccata præterita cum propoſito immutandi vitam in melius, quod eſt quaſi pœnitentiæ finis.*

Dicitur 7. *efficaci*: namque ex Tertulliano lib. de Pœnitentia cap. 2. *ubi emendatio nulla, pœnitentia neceſſariò vana; quia caret fructu ſuo, cui eam Deus ſervit, id eſt hominis ſaluti.* Qui autem efficaciter intendit mores corrigere, novamque vitam inchoare, ſimul cogitat de mediis, quibus finem propoſitum conſequi poſſit, illaque ſollicitè inquirit, juxta illud Pſalm. 37. *cogitabo pro peccato meo*, ſive, ut legit ſanctus Auguſtinus, *curam geram pro peccato meo*, quæ verba expendens ſanctus Doctor, ſic ſcribit: *Quid eſt curam genere pro peccato ſuo? Si diceres, curam geram pro vulnere meo, quid intelligere-*

*ligeretur, nisi dabo operam ut sanetur? Hoc est enim curam gerere pro delicto, semper intendere, semper studiosè & sedulò agere, ut sanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatum tuum, sed fortè lacrymæ currunt, manus cessant .... hoc est,* curam geram pro peccato meo, *faciam omnia quæcumque facienda sunt ad abolendum & sanandum peccatum meum.* Quem igitur verè pœnitet, secum perpendat quibus viis, quave ratione melioris vitæ propositum exequatur: videat, & apud se dicat cum Apostolo, quis me deinceps separabit à charitate Dei, an versutus ille litigator, & iniquus rerum mearum invasor, adversus quem tamdiu capitali odio flagravi? an superbia; propter quam toties rixatus sum, & alios convitiis proscidi? an avaritia, quæ mihi hactenus inimicitiarum ac gravium peccatorum causa extitit? Quod si fortè alicubi se infirmum agnoscat, ea conquirat remedia, quorum ope confidere possit se victorem fore malarum cupiditatum; alioquin propositum inchoandæ novæ vitæ, quantumcunque vehemens, erit prorsus inefficax; intentus enim finis acquiri non potest, nisi per media accommodata. Unde mirum non est, quòd vera pœnitentia paucorum sit, ut scribit sanctus Pacianus epistola 3. cùm plerique pœnitentes, si tamen pœnitentes dixeris, nequidem de viis ineundis ad emendandos mores necessariis cogitent, aut deliberent.

Dicitur 8 *& satisfactionis proposito;* justitia enim, quam pœnitentia imitatur, in eo consistit, ut personæ læsæ satisfiat: *hoc pretio*, inquit Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 6. *Dominus veniam addicere instituit: hac pœnitentiæ compensatione redimendam*

*dam proponit impunitatem.* Sanctus quoque Augustinus serm. 20. aliàs 3. ex editis à Sirmundo, *impunitum*, inquit, *non potest esse peccatum; impunitum esse non decet, non oportet, non est justum. Ergo quia impunitum non debet esse peccatum: puniatur à te, ne puniaris pro illo. Peccatum tuum judicem te habeat, non patronum.* Et serm. 113. aliàs 35. de verbis Domini; *quid est enim homo pœnitens, nisi homo iratus sibi? ut accipiat veniam, de seipso exigit pœnam.*

Huic definitioni addendum est propositum confitendi Sacerdoti si agatur de pœnitentia post Baptismum; quia Sacramentum Pœnitentiæ est necessarium baptizatis lapsis necessitate medii & præcepti divini, ut suo loco dicetur.

## §. II.

### *De necessitate virtutis Pœnitentiæ.*

Agimus hìc duntaxat de necessitate Pœnitentiæ, quatenus præcisè virtus est, dicturi postea de ejus necessitate, quatenus est Sacramentum; diversa quippe est utriusque necessitatis ratio, & seorsim tractanda, ut vitetur error in quem bene multi impingunt, qui aliam pœnitentiæ necessitatem non agnoscunt præter eam, quæ in præcepto Confessionis annuæ includitur, circa quam plura suo loco expendemus. Interim

Q. 1. *Pœnitentia estne necessaria?*

R. Est necessaria adultis necessitate tum medii, tum præcepti.

Prima pars, quæ est de necessitate medii, probatur 1. ex Scriptura Luc. 13. vers. 3: *nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis.* Matth. 11. vers. 20. Christus exprobrat civitatibus, quæ

ad

ad prædicationem ſuam miraculis confirmatam, Pœnitentiam non egerunt, additque verſu ſequenti, Tyrum & Sidonem, ſi ea habuiſſent ſalutis auxilia, pœnitentiam fuiſſe acturas; quibus verbis declarat pœnitentiam eſſe medium prorſus neceſſarium ad veniam & ſalutem conſequendam, perditionemque Bethſaitidum & Tyriorum tribuendam eorum impœnitentiæ. *Propterea*, inquit Iſaias cap. 30. verſ. 18. *expectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Et Apoſtolus Rom. 2. verſ. 4. *Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram.* Denique juxta omnes Patres & Theologos, impœnitentia finalis eſt peccatum ad mortem ſine ullo veniæ, ſive ſalutis remedio: nec Baptiſmus, nec quodvis aliud Sacramentum adulto impœnitenti prodeſſe poteſt. Chriſtus Sacramentorum auctor, Evangelium ſuum auſpicatus eſt à pœnitentia, *cœpit Jeſus prædicare & dicere, pœnitentiam agite*, Matth. 4. verſ. 17. Sanctus Petrus exegit pœnitentiam ab iis, quos ad Baptiſmum præparabat, *pœnitentiam* (inquit) *agite, & baptizetur unuſquiſque veſtrum*, Actor. 2. Tractatu de Baptiſmo retulimus diſciplinam Eccleſiæ erga Catechumenos, & laborioſas exercitationes, quibus probabat eorum pœnitentiam, priuſquam eos ad Baptiſmum admitteret.

Nec dicas Chriſtum, Marci ultimo, ſolam fidem ab initiandis exigere: *qui crediderit*, inquit, *& baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Et Act. 8. verſ. 36. interroganti eunucho, *ecce aqua, quid prohibet me baptizari?* reſpondet Philippus, *ſi credis ex toto corde, licet.* Namque fides, quæ diſponit ad Sacramenta, non eſt mortua, ſed operans ſpem, odium

odium peccati, novæ vitæ propoſitum, & cætera, quæ latè proſecuti ſumus Tract. de Gratia, ubi de diſpoſitionibns ad juſtificationem.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 4. in quo ſic habet: *fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum, hic contritionis motus neceſſarius.*

Probatur 3. ratione Theologica: illud eſt neceſſarium neceſſitate medii, quo deficiente etiam ſine noſtra culpa, ultimus finis acquiri non poteſt; ſic Baptiſmus v. g. eſt neceſſarius neceſſitate medii; quia ejus defectu nullus poteſt introire in regnum Dei: atqui deficiente pœnitentia, etiam ſine noſtra culpa, ut contingeret ei, qui ſtatim poſt peccatum mortale verſus eſſet in amentiam, finis ultimus acquiri non poteſt: Ergo.

Secunda pars ex præcedente ſequitur; quæ enim inſtituta ſunt ut media neceſſaria, ea quoque ſunt præcepta; recta quippe ratio dictat aſſumendum medium, ſine quo finem, ad quem tendere oportet, conſequi non poſſumus, atque omnium judicio peccaret, qui vel Baptiſmum negligeret, vel omnem cibum rejiceret; quia nec ſine Baptiſmo ſalus æterna obtineri poteſt, nec ſine cibo vita animalis conſervari: atqui ex dictis pœnitentia eſt neceſſaria neceſſitate medii: Ergo & præcepti.

Dices: per amorem Dei ſuper omnia expellitur omne peccatum, peccator efficitur juſtus, filius Dei, & hæres vitæ æternæ: dicitur enim 1. Joan. 4. *omnis qui diligit, ex Deo natus eſt.* Et cap. 3. *Scimus quoniam translati ſumus de morte ad vitam,*

*vitam, quoniam diligimus fratres:* Ergo pœnitentia non eſt neceſſaria neceſſitate medii.

Nego conſeq. falsò quippe ſupponit peccatorem accendi amore Dei ſuper omnia, absque ulla diſplicentia & dolore, quod illum injuria affecerit. Enimverò filius, qui graviter in patrem deliquit, præteritam offenſam novo contemptu augere videretur, ſi nullo præmiſſo pœnitentiæ ſigno, nulla ſatisfactione oblata domum rediret ea peracturus, quæ ſunt filii obſequentiſſimi. Quis credat Deum ſuper omnia ab eo diligi, cui non diſplicent flagitia præterita, quibus commoda temporalia comparavit? Peccator itaque divino amore ſuccenſus, dicat oportet cum S. Auguſtino: *Sero te amavi, bonitas antiqua.*

Inſtabis; non repugnat peccatorem tam ſubitò rapi in Dei amorem, ut in memoriam non veniant peccata præterita, & veriſimile eſt ita contigiſſe pluribus Martyribus: atqui in illa hypotheſi dubitare non licet, quin ille veniam conſequatur: Ergo.

Diſtinguo maj. ut in memoriam non veniant peccata præterita ſigillatim & diſtinctè, Concedo: generatim & confusè, Nego maj. non enim poteſt fieri quin cum diſplicentia advertat ſe hactenus privatum fuiſſe divino illo amore tam debito, tamque optabili.

Q. 2. *Pœnitentia eſtne etiam neceſſaria ad remiſſionem peccati venialis?*

R. Affirmat ſanctus Auguſtinus epiſt. 63. aliàs 48. in qua ſic ſcribit circa finem, *nec quemquam putes ab errore ad veritatem, vel à quocunque ſeu magno, ſeu parvo ad correctionem ſine pœnitentia poſſe tranſire.* Idipſum docet ſanctus Thomas q. 87. art.

art. 1. & art. 3. ſcribit Sacramentalia v. g. luſtrationem aquæ benedictæ remittere peccata venialia, *in quantum inclinant ad motum pœnitentiæ.* Et ratio eſt, quia peccatum veniale eſt inordinatus amor creaturæ: Ergo quamdiu voluntas inordinatè adhærebit creaturæ, tamdiu remanebit ejus peccatum: atqui non tolletur inordinatus ille amor, niſi diſpliceat: Ergo ad remiſſionem peccati venialis requiritur pœnitentia, quam ſanctus Auguſtinus laudato ſerm. 351. vocat quotidianam, quia quotidiana ſunt ejusmodi peccata; *alioquin eſſet homini periculum deficiendi*, inquit ſanctus Thomas cit. art. 1. ad 1. *cùm deſereret appetitum proficiendi*, *ſeu tollendi impedimentum ſpiritualis profectus quæ ſunt peccata venialia.*

Addit tamen Angelicus Doctor eodem art. 1. perfectionem requiri pœnitentiam ad remiſſionem peccatorum lethalium, quàm ad remiſſionem venialium, ad quam dicit ſufficere virtualem & implicitam diſplicentiam, *in eo quòd*, inquit, *aliquis hoc modo fertur in Deum & res divinas*, *ut quidquid ſibi occurrat*, *quòd cum ab hoc motu retardaret*, *diſpliceret ei*, *& doleret ſe hoc commiſiſſe*, *etiamſi actu de illo non cogitaret? quod tamen non ſufficit ad remiſſionem peccati mortalis*, *niſi quantum ad peccata oblita poſt diligentem inquiſitionem.*

Q. 3. *Quando & quoties obligat præceptum pœnitentiæ?*

Certum eſt 1. negativum pœnitentiæ præceptum, quo prohibemur delectari in memoria præteriti peccati, & de eo gloriari, obligare ſemper & pro ſemper; quia nunquam licet malè agere: atqui ejusmodi delectatio & jactantia eſt per ſe mala, & quidem in eodem genere peccati

cum

cum ipſa actione quæ delectat, adeò ut qui ſe jactat quòd v. g. mulierem ſeduxerit, gravem de inimico vindictam ſumpſerit, &c. lethaliter peccet; quia ejusmodi actiones ſunt gravia peccata. Idem dicito de iis, qui illicitis illis oblectationibus applaudunt. Minor tamen erit culpa, ſi arrideant non propter ipſummet flagitium, ſed propter ſolertem & ludicrum modum, quo perpetratum eſt. Verùm qui ſeſe effert ex malis artibus, vel ex eo capite valde eſt vituperandus, quod aliis ſit malo exemplo, & peccandi materiam ſubminiſtret. Viderint ergo, qui ex peccatis adoleſcentiæ ſibi plauſum captant.

Certum eſt 2. affirmativum pœnitentiæ præceptum urgere ſaltem in mortis periculo; conſtat enim apud omnes impœnitentiam finalem eſſe grave peccatum.

Certum eſt 3. idem præceptum ſemel, ſaltem quolibet anno, obligare omnes Fideles, cùm ſine vera pœnitentia non poſſint facere ſatis Legi Eccleſiaſticæ, qua tenentur ſingulis annis peccata ſua confiteri proprio Sacerdoti, ut ſuo loco explicabitur.

Tota igitur difficultas in eo verſatur, utrùm, qui in grave peccatum lapſus eſt, debeat ſtatim pœnitentiam agere, vel poſſit eam ad annum differre: vel ſaltem ad aliquot dies?

R. Peccat, qui conſcius peccati lethalis, pœnitentiam differt ad annum. Reſponſio probata manet ex dictis Tract. de Actibus humanis, ubi de Spe p. 662. & de Charitate p. 757. & ſeq. Si enim quisque ex præcepto charitatis tenetur quàm ſæpiſſimè elicere actus amoris Dei ſuper omnia, manifeſtum eſt eum, qui ſe peccati lethalis reum cogno-

cognoſcit, non poſſe ſine peccato pœnitentiam ad annum differre ; cùm ex dictis nemo poſſit diligere Deum, niſi diſpliceat peccatum lethale, cujus ſe conſcium meminit.

Confirmatur 1. Contra legem naturalem peccat, 1. qui rem alienam detinet, domino rationabiliter invito, nec excuſatur ejus in ſolvendo mora, eo prætextu quòd dominus ex ſolutionis dilatione nullum patiatur detrimentum; fit enim illi injuria eo præcisè, quòd re ſua privetur invitus, nec ulla ſit in debitore differendi ratio. 2. qui cùm proximum gravi injuria affecerit, nedum ſatisfaciendi occaſionem capiet, juxta illud Matth. 5. *vade prius reconciliari fratri tuo ;* quin oblatam negligit, ac debita ſatisfactione animo proximi à ſe injuſtè exulcerato mederi contemnit: atqui peccati lethalis reus incommunicabilem Majeſtatis divinæ titulum, nempe rationem ultimi finis, ſumma injuria in creaturam tranſtulit, exigitque Deus, ut peccator honorem ſibi ablatum quantocius reſtituat ac reparet. *Non tardes*, inquit Eccl. 5. *converti ad Dominum, & ne differas de die in diem. Subitò enim veniet ira illius & in tempore vindictæ diſperdet te.* Neve peccator moras traheret, ita pollicitus eſt veniam pœnitenti, ut craſtinum non promiſerit peccatori; ait enim Apoc. 3. v. 3. *pœnitentiam age ; ſi ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, & neſcies qua hora veniam ad te.* Ergo peccator novo peccato ſe obnoxium reddit, qui in longum tempus ſuam differt pœnitentiam.

Confirmatur 2. Peccator longo tempore v. g. per annum impœnitens, tamdiu eſt Deo inviſus, juxta illud Sapientiæ 14. *odio ſunt Deo impius & im-*

*& impietas ejus*, è numero filiorum Dei expunctus, & exhæres regni cœlestis, utpotè habitualiter aversus à suo Creatore, conversus verò ad creaturam tanquam ad ultimum finem: atqui in tantam Dei offensionem cecidisse, maxima est omnium pœna. *Si quis est*, inquit S. Chrysostomus, *qui mente ac sensu præditus sit*, *is certè gehennæ pœnam tolerare malit*, *quam adverso Deo stare.* Cùm ergo peccator impœnitens eam nihili faciat, dubium non est quin Deus illius impœnitentiam in gravem sui contemptum imputet: *non dolere quia peccaveris*, inquit idem S. Chrysostomus homilia 14. in Matth. *magis irasci Deum*, *quàm illud ipsum*, *quod ante peccaveras.* Deinde ubi quis à charitate per peccatum excidit, ibi manet, donec eum pœniteat, in via salutis non progreditur, frustra tempus terit, & malè operas suas collocat, nullum ex iis lucrum percipit, quod sit vitæ æternæ condignum. *Si charitatem .... non habuero*, inquit Apostolus 1. Cor. 13. *nihil sum ... nihil mihi prodest.* Quare in ejusmodi socordes meritò illud Evangelii contorqueas: quid hic statis tota die, imo toto mense, aliquando etiam toto anno otiosi? Quare non dedistis pecuniam meam ad mensam, & ex talento fidei ac spei, quod credidi vobis nullum lucrum fecistis? quam autem grave sit illud negligentiæ peccatum, aperit sequens justi Judicis sententia Matth. 25. *inutilem servum ejicite in tenebras exteriores*, *illic erit fletus & stridor dentium.* Denique peccator, qui pœnitentiam diu differt, morali periculo iterùm labendi se exponit, ut constat ex dictis Tractat. de Gratia pag. 474. & sequentibus, ubi fuse & evidentissimè probavimus hominem sine gratia sanctifi-

ctificante, etsi absolutè; moraliter tamen non posse per diuturnum tempus vitare omnia peccata lethalia. *Peccatum*, inquit S. Gregorius hom. 11. in Ezech. *quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere ad aliud trahit.*

Peccat autem, qui sciens & volens se exponit morali peccati periculo, adde, & æternæ damnationis; hanc enim postremam rationem plures è Theologis tum veteribus, tum recentioribus maximè urgent contra lapsos, qui multo tempore ad pœnitentiæ remedia non confugiunt; & exinde docent munus esse Confessarii inquirere à pœnitentibus quamdiu pœnitentiam procrastinarent. Sed superest quæstio, quæ & quanta debeat esse ejusmodi procrastinatio, ut censeatur grave peccatum.

R. 2. Ita diversa est Theologorum sententia, ut ex iis aliud certo definiri non possit, quàm quod prima nostra responsione stabilivimus, nempe pœnitentiam sine novo peccato ad annum non posse protrahi.

S. Antoninus 3. p. 14. cap. 18 docet eum qui lapsus est in peccatum mortale, teneri conteri statim ac illius meminit, sic enim scribit, *quantum ad peccata mortalia, de quibus quis nondum habuit contritionem, videtur quod semper teneatur quandò peccatum menti occurrit, ad actu odiendum, & detestandum peccatum, alias peccat mortaliter peccato omissionis, quousque conteratur;* moxque hanc suæ sententiæ rationem affert; *nec enim*, inquit, *per momentum licet stare in peccato: imminet enim maximum periculum*, nempe damnationis æternæ.

Schola Scotistarum cum suo principe in 3. distinct. 17. vult hominem, quem nondum ad-

missi

missi peccati lethalis pœnituit, teneri diebus festis actum contritionis elicere; scriptum quippe est Levit. c. 16. *Sabbatum enim requietionis est, & affligetis animas vestras religione perpetua.* Deinde Fideles sacris illis diebus Missæ Sacrificio interesse debent, & aliis religionis operibus vacare: atqui peccator, nisi contritus fuerit, ista ritè non præstabit, dicente Domino, Isa. 1. *Ne offeratis ultra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi: neomeniam, & sabbatum, & festivitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri.* In quem locum sic scribit sanctus Hieronymus, *omnis conventus, qui non affert hostias spirituales, nec audit quod in quinquagesimo Psalmo canitur*, sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicit; *abominabilis est Deo*; namque ex sancto Augustino in Psal. 77. *pietas cultus Dei est, nec colitur ille nisi amando; hoc enim colitur quod diligitur.* Et ex sancto Gregorio lib. 4. dial. cap. 59. *necesse est, ut cùm hæc agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus.*

Verùm ista momenta facile solvuntur. Ac 1. quidem Levit. 16. agitur de festo expiationis, quolibet anno semel celebrando die decima mensis septimi; unde ex hoc loco ad summum colligi potest ea animi tempestate solemnem pœnitentiam fuisse Judæis præscriptam, sicut Christianis tempore Paschali. 2. Legenti laudatum caput Isaiæ, patebit Deum ibi increpare impios Judæos, qui licet in omni flagitiorum genere defixi & obstinati, cæremoniis legalibus Deum se placaturos confidebant. 3. SS. Patrum textus probant duntaxat peccatorem, ut debito modo festa celebret, & sacro intersit,

debere ex displicentia anteactæ vitæ tendere ad perfectam contritionem, eo affectu sacrificium & alias preces offerre; ut sibi Deum propitium reddat, eamque gratiam impetret, qua peccatorum vincula, quibus constringitur, tandem excutiat. Porrò pius ille affectus in Deum, ut omnium bonorum auctorem, sufficit ad obeunda religionis officia diebus festis præscripta; est enim supremus cultus soli Deo exhibendus, & verus amor: non quidem perfectæ charitatis, nec proinde perfectæ contritionis, sed ad eam disponit. Ita ferè plerique Thomistæ. Enimverò quilibet virtutis actus est amor & desiderium boni, ad quod inclinat unaquæque virtus: actus temperantiæ, v. g. est amor honestatis, quæ relucet in moderato usu ciborum; actus justitiæ est voluntas, seu desiderium (in quo includitur amor) reddendi unicuique quod suum est: actus religionis est amor & zelus divini cultus, quin & ipsa fides, licet sit virtus intellectualis, non est tamen sine dilectione, ut docet S. Augustinus; quia nemo credit nisi volens, & piè affectus erga verbum Dei. Denique omnis gratia actualis est aliqua dilectio, utpote pia voluntatis motio & affectio, ex qua Fideles piè peragere possunt, quæ diebus festis præscribuntur, ac proinde nulla est sufficiens ratio asserendi præceptum contritionis obligare sacris illis diebus. Quandonam ergo obligat extra periculum mortis, & tempus Paschatis?

R. 3. Vel peccatum menti occurrit quatenus est Dei offensa; vel omninò non occurrit, aut saltem nisi secundùm ejus consectaria, verbi gr. pœnam, dedecus, & alia incommoda, quæ ex peccato sequuntur.

Si

Si primum, peccatorem ſtatim pœnitere debet; vel enim attendit ad offenſam Dei cum delectatione, vel indifferenter, vel cum dolore & diſplicentia: atqui peccat procul dubio in prima & ſecunda hypotheſi: in prima quidem, quia delectatio illa eſt per ſe mala, & peccatum formaliter, ut jam diximus: in ſecunda etiam, quia filius contemnit patrem, creatura Creatorem, eo ipſo, quo ejus injuriam fert indifferenter: ergo peccator tenetur conteri, ſaltem imperfectè, ſtatim atque meminit ſe in Deum peccaſſe. Et hoc ſenſu vera videtur ſententia S. Antonini, quæ eſt S. Thomæ & Bonaventuræ: ſic enim ſcribit S. Thomas in quartum diſtinct. 17. quæſt. 3. art. 1. referturque quæſt. 3. ſupplem. art. 3. his verbis: *Cùm propoſitum confitendi ſit annexum contritioni, tunc tenetur aliquis ad hoc propoſitum, quando ad contritionem tenetur, ſcilicet, quando peccata memoriæ occurrunt.* Et S. Bonaventura in 4. diſt. 16. quæſt. 2. *pro loco & tempore* (debet conteri) *videlicet cùm recogitat mala ſua, in quibus offendit Deum.*

Si ſecundum, nempe ſi peccatorem ex defectu attentionis ad offenſam Dei non pœniteat, certò definiri non poteſt, quanta debeat eſſe procraſtinatio, ut ejus negligentia grave peccatum cenſeatur; præceptum enim pœnitentiæ, utpote affirmativum, non obligat ſemper & pro ſemper, ſed pro loco & tempore, ut mox dicebat S. Bonaventura. Sed cùm tempus præciſe definiri non poſſit, ultra quod peccator ſuam converſionem protrahens, graviter peccaret, & aliunde conſtet ex dictis Tract. de charitate, quam ſæpiſſimè nos teneri elicere actus amoris Dei, quod non poteſt peccator quamdiu manet impœnitens,

 certum

certum capiat, & incertum dimittat, hoc eſt, quamprimum offenſam Dei abolere, & pro ea ſatisfacere ſtudeat, nec induret cervicem ſuam, Scriptura clamante: *Eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet*, Luc. 12. verſ. 40. Et iterum, *Vigilate ergo, quia neſcitis qua hora Dominus veſter venturus ſit*, Matth. 24. v. 42.

Mitto circumſtantias, in quibus determinatè præceptum pœnitentiæ per accidens obligat, ut ſi peccator teneatur miniſtrare, aut recipere Sacramentum.

## §. III.

## *De nomine Sacramenti Pœnitentiæ.*

Nunc & deinceps Pœnitentiam ſpectamus, non præciſe quatenus eſt virtus, ſed quatenus Sacramentum novæ legis.

Q. 1. *Quænam ſunt nomina Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Frequentiùs vocari ſolet,

Primo; manuum impoſitio; quia pœnitentes olim Eccleſiæ reconciliabantur per manus Sacerdotalis impoſitionem, *ſi creditur continuò moriturus*, inquit Concilium Carthaginenſe IV. cap. 76. de Pœnitente infirmo, qui obmutuerat, *reconcilietur per manus impoſitionem, & infundatur ori ejus Eucbariſtia.* Ut autem ejusmodi manuum impoſitio diſtingueretur ab ea, quæ adhibetur in Sacramento Confirmationis & Ordinis, dicebatur manus impoſitio reconciliatoria, vel in pœnitentiam. Utrum verò pertineat ad eſſentiam, aut integritatem Sacramenti expendetur ſuo loco.

Secun-

Secundò, exomologesis apud Græcos, quæ secundum vim nominis idem significat, quod apud Latinos confessio. Ex usu autem accipitur pro integra actione pœnitentiæ: *Is actus*, inquit Tertullianus, libro de Pœnitentia cap. 9. *qui magis Græco vocabulo exprimitur, & frequentatur, exomologesis est, qua delictum Domino nostrum confitemur, non quidem ut ignaro, sed quatenus satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentia Deus mitigatur. Itaque exomologesis prosternendi & humilificandi hominis disciplina est, conversationem injungens misericordiæ illicem. De ipso quoque habitu atque victu mandat, sacco & cineri incubare, corpus sordibus obscurare, animum mœroribus dejicere*, &c.

Tertiò, secunda post naufragium tabula; ut enim, confracta navi, unum vitæ servandæ superest refugium, si fortè liceat tabulam aliquam de naufragio arripere; ita post amissam Baptismi gratiam, nulla salutis spes, nisi ei, qui ad pœnitentiæ Sacramentum confugerit. Hæc Sacramenti denominatio Novatoribus maximè displicet, utpotè quæ adversetur palmari eorum errori, quo statuunt hominem justificari sola fide, seu fiducia, qua certò sibi persuadet se esse prædestinatum, & merita Christi sibi in Baptismo fuisse irrevocabiliter applicata. Unde concludunt baptizatorum pœnitentiam aliam non esse, quàm memoriam baptismi suscepti, qua excitatur & nutritur ejusmodi fiducia; sic enim scribit Calvinus, libro 4. Institut. cap. 19. §. 17. *Sed dictum est Hieronymi pœnitentiam esse secundam post naufragium tabulam. Cujuscumque sit, quin planè impium sit, excusari nequit, si ex eorum sensu exponitur. Quasi verò per peccatum deleatur Baptismus, & non potius in memoriam*

*revocandus ſit peccatori, quoties de remiſſione peccatorum cogitat, ut illinc ſeſe colligat, animumque recipiat, & fidem confirmet ..... Apertiſſime itaque dixeris, ſi Baptiſmum dixeris pœnitentiæ Sacramentum, cum in confirmationem gratiæ, & fiduciæ ſigillum iis datus ſit, qui pœnitentiam meditantur.* Sed quamvis vel ſola auctoritas ſancti Hieronymi in omnium Auctorum ſcriptis verſatiſſimi, ut loquitur S. Auguſtinus, ſatisfuerit ſancto Thomæ quæſt. 87. art. 6. & omnibus Theologis, ut retinuerint illud pœnitentiæ nomen, ipſe tamen illud non excogitavit, ſed à veteribus acceptum poſteris tradidit; Tertullianus enim ducentis ferè annis ipſo antiquior, eodem nomine pœnitentiam indigitat lib. de Pænitentia cap. 4. *Eam tu peccator*, inquit, *ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicujus tabulæ fidem; hæc te peccatorum fluctibus merſum perlevabit, & in portum divinæ clementiæ protelabit.* Quam loquendi rationem Patres Tridentini ſuo calculo comprobarunt, ſeſſ. 6. c. 14. his verbis, *quam ſecundam poſt naufragium deperditæ gratiæ tabulam ſancti Patres aptè nuncuparunt.*

Quartò, uſu receptum eſt, ut vulgò dicatur pœnitentiæ Sacramentum; quo nomine intelligunt Fideles pœnitentiam alio modò requiri ad hoc Sacramentum, quam ad cætera. Pœnitentia quippe reſpectu aliorum Sacramentorum, eſt duntaxat diſpoſitio prævia, & conſciis peccati lethalis neceſſaria ad fructum ſacramentalem percipiendum. In hoc verò Sacramento non ſolum eſt diſpoſitio requiſita ad remiſſionem peccatorum obtinendam: ſed inſuper ingreditur Sacramenti compoſitionem, eſtque ejus pars eſſentialis, ut §. ſequenti explicabitur. Quamobrem ſi peccator fictè, hoc

hoc eſt, ſine vera pœnitentia accederet ad Baptiſmum, & ad quòdvis aliud Sacramentum, peccaret, quidem, nihilominus verum reciperet Sacramentum, ſed informe, ut ajunt, id eſt, ſine fructu; quia pœnitentia non eſt pars eſſentialis Baptiſmi, aut alterius Sacramenti: contra verò ejuſmodi fictio, ſeu falſa & inſufficiens pœnitentia, non tantum informe, ut opinati ſunt nonnulli, ſed prorſus nullum redderet pœnitentiæ Sacramentum; quia ſicut Baptiſmus collatus ſine aqua eſt irritus, & Extrema Unctio ſine oleo; ita & Sacramentum Pœnitentiæ ſine vera ſuſcipientis pœnitentia, utpotè quæ non minus ſit ei eſſentialis, quàm aqua naturalis Baptiſmo, & oleum Extremæ Unctioni. Unde meritò Sacramentum Pœnitentiæ aliquando nuncupatur Baptiſmus lacrymarum, laborioſus Baptiſmus, quemadmodum docent Patres Tridentini ſeſſ. 14. c. 2. ut diſcat ejus Miniſter ſui muneris eſſe explorare, an vera ſit pœnitentia, & eò attentiùs, quod conſtet ſæpius exhiberi falſam, quàm in adminiſtratione Baptiſmi aquam Sacramento conficiendo ineptam.

## §. IV.

## *De differentia virtutem Pœnitentiæ inter & ipſum Sacramentum.*

Q. 1. *QUomodo virtus Pœnitentiæ differt ab ipſo Sacramento?*

R. Differt ſicut pars à toto, v. g. corpus humanum ab homine; Sacramentum enim eſt totum, virtus verò pœnitentiæ pars Sacramenti.

Q. 2. *Quid Sacramentum Pœnitentiæ complectitur præter ipſam pœnitentiæ virtutem?*

R. Complectitur ritum exteriorem, hoc est, efficax gratiæ signum sensibile, à Christo Domino institutum.

Explicatur responsio matrimonii exemplo. Sicut enim Christus matrimonium, (quod antea solùm fuerat, & nunc est in non baptizatis contractus naturalis, quo mas & fœmina legitimè conjunguntur in individuam vitæ societatem,) erexit in baptizatis ad dignitatem Sacramenti novæ legis, quatenus illud instituit ut signum sensibile suæ unionis indissolubilis cum Ecclesia. Similiter pœnitentiæ, quæ peccatoribus semper fuit necessaria ad veniam impetrandam, Christus præscripsit ritum externum tanquam efficax gratiæ signum ab iis, qui post Baptismum lapsi fuerint, necessitate medii observandum; & ita virtus pœnitentiæ, adjuncto illo ritu seu signo, obtinuit dignitatem Sacramenti novæ legis respectu eorum, qui lapsi sunt post Baptismum; nam respectu Catechumenorum, & eorum qui nondum sunt initiati, pœnitentia non est Sacramentum, sed retinet duntaxat nomen & rationem virtutis.

Q. 3. *In quo genere signi est ille ritus à Christo institutus?*

R. In genere judicii reconciliativi, hoc est Sacramentum illud perficitur in forma judiciorum forensium, excepto quòd illa tendant ad puniendum reum, sintque judicia vindicativa; illud verò ad absolvendum reum; & ideò tribunal in quo exercetur, non est tribunal iræ, sed misericordiæ à Christo institutum ad reconciliandum peccatorem cum Deo quem offendit. Ita Patres Tridentini, sess. 14. cap. 2. ubi de lapsis post baptismum sic docent, *ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit,*

*voluit, ut per Sacerdotum ſententiam . . . . . poſſint liberari.* Cap 6. de abſolutione: *Non eſt*, inquiunt.... *nudum miniſterium . . . ſed ad inſtar actus judicialis, quo ab ipſo* (Sacerdote) *velut à Judice ſententia pronunciatur.* Et cap. 7. *quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur*, &c. Et can. 9. *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem . . . . non eſſe actum judicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti . . . anathema ſit.*

Conſtat ergo apud Catholicos Sacramentum Pœnitentiæ fuiſſe à Chriſto inſtitutum in forma judicii reconciliativi: ex quo facilè intelligi poteſt, quæ debeant eſſe hujus Sacramenti partes, quæve requirantur ut ritè peragatur.

Enimverò omne judicium reconciliativum ex quatuor partibus conſtat, & duo neceſſariò ſupponit & connotat.

Præſupponit 1. offenſam; ſicut enim reſtitutio neceſſario ſupponit debitum, alioquin eſſet liberalis largitio; ita reconciliatio ſupponit offenſam, quam reus abolere nititur oblata ſatisfactione. 2. Judicem, qui habeat poteſtatem judicii exercendi, & ſententiæ ferendæ.

Partes vero ex quibus conſtat judicium reconciliativum, ſunt 1. accuſatio, qua reus culpam ſuam agnoſcit, eam confitetur. 2. Dolor & deteſtatio, quòd in ejuſmodi culpam lapſus fuerit, cum propoſito non peccandi de cætero. 3. Satisfactio pro irrogata offenſa. 4. Sententia, qua Judex ex poteſtate ſibi conceſſa, reum ſic pœnitentem & ſic affectum (ut ſatisfecerit, vel ſatisfacere paratus ſit) abſolvit, reconciliatque cum perſona læſa.

In

In eo itaque differt judicium recònciliativum à judicio vindicativo, quòd in judicio vindicativo non requiratur, ut reus crimen agnoſcat, confiteatur, cum dolore deteſtetur, & pro eo ſatisfactionem offerat; ſed ſatis eſt, ſi ab alio accuſatur, & ab idoneis teſtibus reus convincatur, ut Judex ſententia ſua pænam in illum etiam renitentem decernat. Contra verò reconciliatio nec eſſe, nec intelligi poteſt, niſi reus ſe iniquè egiſſe fateatur, & inde dolere ſe oſtendat; quandiu enim protervè ſe excuſat, defenditque quod geſſit, nec pravum mutat conſilium, perſonæ læſæ animum à ſe avertit, & ampliùs accendit; nedum ſibi conciliet. Poteſt quidem perſona læſa oblatam à reo ſatisfactionem remittere, nec aliud exigere, præter dejectum ejus animum, quem in humili criminis ſui confeſſione & deteſtatione exhibet. Unde ſi perſona læſa ulteriorem ſatisfactionem expetat, illa ſatisfactio erit duntaxat judicii pars integralis, non verò eſſentialis, cum ſine ea judicium reconciliativum concipi, & exiſtere poſſit.

Ergo peccata poſt Baptiſmum commiſſa, neceſſariò præſupponuntur Sacramento Pœnitentiæ, meritòque damnata eſt ab Academia Pariſienſi anno 1665. hæc propoſitio: *Confeſſio valida eſt deficientibus peccatis; potuit ergo beatiſſima Virgo, licèt nec contritionem habuerit, nec ullum, vel leviſſimum peccatum commiſerit beato Joanni confiteri*, ſcilicet ſacramentaliter. Peccata tamen non ſunt pars Sacramenti, ſed materia circa quam abolendam verſatur Sacramentum, ſicut medicina circa morbum, quem expellere nititur: & eo ſenſu ſolent dici remota pœnitentiæ materia.

Dixi:

Dixi : *Peccata post Baptismum commissa ;* Quæ enim præcesserunt, huic judicio subjici nequeunt, cum Ecclesia ex Patribus Tridentinis sess. 14. c. 2. in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus ; *Quid enim mihi*, inquit Apostolus, 1. Cor. 5. *de iis*, *qui foris sunt*, *judicare?*

Ergo partes, ex quibus componitur Sacramentum Pœnitentiæ, sunt sententia Sacerdotis, seu verba absolutionis, contritio, confessio, & satisfactio pœnitentis ; in iis enim consistit judicium reconciliativum. Verba absolutionis rationem habent formæ, utpotè quæ expressius significent remissionem peccatorum : confessio facta Sacerdoti, contritio ipsi manifestata, & satisfactio sunt ipsa Sacramenti materia, quemadmodum docent Concilium Trident. cit. sess. 14. c. 3. his verbis : *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti, ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui quatenùs in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur.* Præiverat Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, *quartum Sacramentum*, inquit, *est pœnitentia, cujus quasi materia sunt actus pœnitentis*, nempe cordis contritio, oris confessio, & satisfactio, cum hoc tamen discrimine ; quòd contritio & confessio sint partes essentiales, satisfactio verò pars duntaxat integralis; quia, ut jam diximus, judicium reconciliativum nec esse, nec concipi potest, nisi reus culpam suam agnoscat ac detestetur, benè autem etiamsi ex indulgentia personæ læsæ actu non satisfaciat. Hinc pœnitentibus moribundis, & usu rationis destitu-

tis

tis absolutio impertitur, nulla imposita satisfactione.

Dices 1. Ejusmodi moribundi etiam sine confessione, absolvuntur: Ergo confessio non est Sacramento essentialis.

Distinguo anteced. Sine confessione explicita & distincta singulorum peccatorum, Concedo: Sine confessione implicita & confusa omnium peccatorum, Nego anteced. eo enim ipso quo quis Confessarium petit, se peccatorem agnoscit & confitetur.

Distinguo similiter consequens: Ergo confessio explicita & distincta non est essentialis, Conc. Implicita & confusa, Nego conseq. Itaque explicita confessio peccatorum, quæ post diligens examen memoriæ occurrunt, est quidem præcepti divini, & ideò observanda quantum fieri potest. Sed quia præceptum non obligat in iis circumstantiis, in quibus est impossibile, tunc satis est ad veritatem Sacramenti, ut quis generatim peccata sua confiteatur.

Dices 2. Votum satisfaciendi non minus est necessarium: quam votum confitendi: Ergo satisfactio est æquè essentialis Sacramento, ac confessio.

Nego conseq. Falsò enim supponitur quòd ad Sacramentum sufficiat votum confessionis, nec illud inferri potest ex nostra responsione; in ea quippe asserimus confessionem actualem saltem confusam, quæ in eo intelligitur, qui Confessarium efflagitat, esse Sacramento essentialem, quod de satisfactione actuali dici nequit propter rationem allatam. Votum quidem satisfaciendi Deo, & confitendi peccata etiam sigillatim, est essentiale

tiale Sacramento, sed non constituit illius partem à contritione distinctam; includitur enim in proposito servandi omnia legis præcepta: atqui explicita peccatorum confessio, & satisfactio sunt præcepti divini, ut suo loco probabitur: ergo nullus est verè pœnitens ac contritus, nisi paratus sit ad omnia & singula peccata sacramentaliter explicanda, & ad exhibendam eam satisfactionem, quam Deus imposuerit sive per suum Ministrum, sive per se immediatè, putà morbis & aliis adversis casibus quibus punire solet hominum peccata; nam ex Apostolo, Hebr. 12. vers. 6. *Flagellat* (Deus) ... *omnem filium quem recipit;* & ideo necesse est, ut verè pœnitens dicat cum Davide Psal. 37. *quoniam ego in flagella paratus sum.*

Dices 3. Cum Scoto in 4. dist. 16. qu. 1. Sola absolutio est Sacramento essentialis: *Tria hæc*, inquit, (scilicet contritio, confessio & satisfactio) *requiruntur vel prævia, vel sequentia;* nam reconciliatio formaliter consistit in ipsa absolutione, in qua rescinditur prior sententia de puniendo reo: rescinditur autem propter pœnitentis confessionem, dolorem, & animum paratum ad exhibendam satisfactionem, quæ sunt materia proxima, circa quam versatur absolutionis sententia, & eatenùs dicuntur à Concilio Tridentino, *partes & quasi materia hujus Sacramenti;* non quòd illud componant, sed quòd circa illas proximè versetur, remotè verò circa peccata post Baptismum commissa.

Confirmatur, Sacramentum Pœnitentiæ ex dictis institutum est in forma judicii: atqui in judiciis humanis sola sententia est actus judicialis; solus enim Judex exercet judicium, ad quod prævia

via ſunt accuſatio, examen teſtium & rei. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ in ſola abſolutione eſſentialiter conſiſtit. Ita Scotiſtarum Schola.

Reſpond. Hanc Scoti ſententiam difficilè conciliari cum laudata doctrina Concilii Tridentini definientis contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem eſſe partes hujus Sacramenti, materia enim circa quam, valdè impropriè diceretur pars illius rei, quam non componit. Cur autem Concilium dixerit hujuſmodi actus pœnitentis eſſe quaſi materiam, explicat Catechiſmus Romanus agens de Sacramento Pœnitentiæ num. 17. his verbis: *Neque verò hi actus, quaſi materia à ſancta Synodo appellantur, quia veræ materiæ rationem non habeant; ſed quia ejus generis materia non ſint, quæ extrinſecus adhibeatur, ut aquæ in Baptiſmo, chriſma in Confirmatione.* Uno verbo non ſunt propriè materia phyſica, utpotè qui ſint actus materiæ oppoſiti; in hoc tamen Sacramento rationem habent materiæ ſacramentalis; quia minùs clarè & diſtinctè effectum ſacramentalem ſignificant, quàm ſententia Sacerdotis; quæ idcircò dicitur Sacramenti forma juxta ea quæ tradidimus Tract. de Sacramentis in genere, ubi de eorum materia & forma.

Ad confirmationem reſpondeo negando minorem; judicia enim humana conſlantur ex accuſatione, teſtimonio, examine rei, & ſententia Judicis.

Inſtabis 1. diſpoſitio non eſt pars rei, ad quam diſponit: atqui actus pœnitentis ſunt diſpoſitiones ad Sacramentum Pœnitentiæ; ergo non ſunt ejus partes.

Nego min. Sunt quidem diſpoſitiones ad effectum Sacramenti, non verò ad ipſum Sacramentum, ſed illud componunt.

Inſta-

Inſtabis 2. Si actus pœnitentis ſunt partes Sacramenti, ergo ſunt ſigna gratiæ; Sacramenta enim ſunt in genere ſigni. Ergo gratiam producunt; quia Sacramenta novæ legis efficiunt quod ſignificant, niſi ponatur obex. Ergo ipſe pœnitens eſt cum Sacerdote Miniſter Sacramenti pœnitentiæ, accepit claves regni cœlorum, & poteſtatem remittendi peccata: atqui hæc ſunt longè abſurdiſſima. Ergo.

Reſpondeo, actus pœnitentis eſſe reverà ſigna, & quidem efficacia remiſſionis peccatorum & gratiæ ſanctificantis, quatenùs conjuncti ſunt cum forma abſolutionis; ſub illo enim reſpectu inſtituti ſunt à Chriſto ad ſignificandam & producendam gratiam ſanctificantem. Unde ſicut aqua ante inſtitutionem Baptiſmi non ſignificabat interiorem ablutionem, nec etiam nunc ſignificat, niſi conjungatur cum forma Baptiſmali, per quam determinatur ejus uſus ad abluendum, cùm poſſet eſſe ad refrigerandum, diluendum, &c. ita nec pœnitentia ſeu contritio, nec accuſatio ſui, nec ſatisfactio, licèt per ſe ſint diſpoſitiones ſi ex gratia fiant, ad veniam à Deo obtinendam; tamen ante Chriſtum, nec etiam hodie ſunt ſigna divinitus inſtituta, niſi quatenùs dicunt ordinem ad abſolutionem ſacramentalem, & cum ea moraliter conjunguntur. Neque inde ſequitur pœnitentes eſſe Miniſtros Sacramenti, accepiſſe claves regni cœlorum ad remittenda peccata; nam ſatis non eſt miniſtrare materiam Sacramenti, ut miniſtrans dicatur Sacramenti Miniſter, ſed inſuper requiritur, ut qui eam miniſtrat, eam etiam conjungat cum forma, & active concurrat ad conficiendum Sacramentum, aliàs qui panem mi-

niſtrat ad Euchariſtiam, & chriſma ad Confirmationem, aquam ad Baptiſmum, dicendus eſſet Miniſter illorum Sacramentorum, quod in nullius mentem venerit.

Inſtabis 3. ſatisfactio juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam, non impletur, niſi perfecto jam Sacramento: ergo non eſt pars Sacramenti, nec ſignum efficax remiſſionis peccatorum.

Diſtinguo anteced. Perfecto Sacramento eſſentialiter, Conc. Perfecto integraliter, Nego antec. Nam ſatisfactio eſt Sacramenti pars integralis, ut diximus. Adde ſatisfactionem dupliciter ſpectari poſſe, ſcilicet, vel in executione, vel in impoſitione, & acceptatione. Hoc poſteriori modo debet præcedere abſolutionem, ut cum ea conjungatur ad producendam gratiam ſanctificantem, & remiſſionem peccatorum. Priori verò modo ita ſubſequitur, ut ſit etiam cum ea moraliter conjuncta tanquam pars Sacramenti integrans, quæ ſignificat & operatur ex opere operato, ut ajunt, remiſſionem pœnæ temporalis, ut infra dicetur.

Inſtabis 4. Chriſtus integrum pœnitentiæ Sacramentum inſtituit: atqui non inſtituit pœnitentiam, nec ullam ex ejus partibus, ſed ſolam abſolutionis formam; namque ante adventum ejus peccatores cum Deo reconciliabantur contritione, ex Pſal. 50. *Cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies:* & confeſſione ex Pſal. 31. *Dixi, confitebor adversùm me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei:* Ergo.

Diſtinguo minor: Non inſtituit pœnitentiam quoad ſubſtantiam, & virtutem quam ex gratia,

& ex opere operantis, habebat disponendi ad justificationem, quemadmodum nec instituit aquam & oleum, ex quibus conficiuntur Sacramenta, Conc. Non instituit quoad significationem, ut sint signa sensibilia, & ex opere operato efficacia remissionis peccatorum, Nego min.

Urgebis: Atqui contritio non potest esse signum sensibile, cùm sit actus spiritualis intus latens in corde: Ergo.

Distinguo subsumptum: Non potest esse signum sensibile per se, Concedo: Per voces & alios nutus, Nego subsumptum. Sic mutuus consensus sponsorum per verba fit sensibilis, & signum sacramentale. Itaque ad remissionem peccatorum ante adventum Christi, satis erat ut contritio esset nota Deo, qui eam inspirabat, & confessio ipsi fieret, nunc autem ex institutione Christi necesse est ut contritio innotescat Sacerdoti, & pœnitens ore confiteatur; nec propterea existimandum est novum onus hominibus esse impositum, quin Christianis gratulandum, quòd omnipotens Dei bonitas tam præsens, tamque efficax remedium sanandis eorum vulneribus paraverit.

Dices 3. In judiciis examen imprimis est necessarium, nec sine eo Judex justè judicare potest: ergo examen recenseri debet inter partes Sacramenti pœnitentiæ.

Probatur antec. Ex vulgari effato, Judex judicare debet secundum allegata & probata, id est, rationem non habeat eorum quæ allegantur, nisi plenè probentur; atque in hanc rem testes audit, repetit, reum interrogat, cum testibus illum componit; & si quid in iis ex imperitia & negli-

gentia peccaverit, ejus ſententia in ſuperiori tribunali reſcinditur, & irrita declaratur. Quòd ſi ejuſmodi examen eſſentiale eſt judicio vindicativo, quantò magis reconciliativo, in quo reus ipſe eſt accuſator & teſtis? Quis enim neſciat hominem in ſuis vitiis pervidendis cœcum eſſe, in alienis perſpicacem? Avarus, aut ſuperbus v. gr. quam in aliis deteſtatur avaritiam, aut ſuperbiam, eo minùs in ſeipſo agnoſcit, quo magis ea laborat. Adde homines vulgo ad morem vivere, potiùs quàm ad legem & rationem, minuſque attendere quid Deus præcipiat, quàm alii communiter faciant. Denique ſupra demonſtravimus ex iis qui in æternum pereunt, vix quemquam etiam ex peritioribus excipiendum, quem ignorantia vincibilis ad impœnitentiam finalem non perduxerit; crimen enim virtus vocatur, dum publicè geritur, inquit S. Cyprianus epiſt. 1. ad Donatum, & quiſquis alios non imitatur, offendit, non auditur, ſed noxiæ ſingularitatis reus traducitur. Quæ cùm ita eſſe quotidiana experientia demonſtret, perſpicuum eſt Confeſſarium non debere ſecundùm allegata judicare, niſi per examen prudenter probaverit ſinceram & integram eſſe confeſſionem, veram contritionem, & firmum emendationis propoſitum, alioquin reſcinderetur à ſupremo Judice prolata ab ipſo abſolutionis ſententia, & ipſe cœcus cum cœco, cui ducatum præbet, in foveam caderet.

Diſtinguo antec. Examen imprimis eſt neceſſarium, ſemper, Nego; Nam in pœnitentibus, qui timidæ ſunt conſcientiæ, mores ad legem Dei ſolicitè exigunt, & ad Sacramentum frequenter acce-

accedunt, ſatis probata eſt ſincera confeſſio & contritio abſque ullo examine: examen neceſſarium eſt, ut plurimùm, ſubdiſtinguo, tamquam aliquid Sacramento prærequiſitum & extrinſecè diſponens, Conc. Propter rationes in confirmationem objectionis allatas, & minimè contemnendas, tanquam pars intrinſecè componens & conſtituens Sacramentum, Nego antec. Quia Sacramentum eſt eſſentialiter & integraliter perfefectum, & rata abſolutionis ſententia, modò adſit confeſſio ſincera & integra, contritio vera, & ſatisfactio debita. Eſto quòd pœnitens quàm ſæpiſſimè Confeſſarii examine indigeat, ne pro vera falſam pœnitentiam obtrudat.

Dices 4. Manus impoſitio eſt materia ſacramenti Pœnitentiæ à Chriſto inſtituta; quod enim ſemper & ubique ab omnibus in Eccleſia eſt obſervatum, illud cenſendum à Chriſto traditum: atqui ſemper, & ubique, & ab omnibus manus impoſitio adhibita eſt in collatione Sacramenti Pœnitentiæ: Ergo.

Nego antec. Neque enim Matth. 16. & 18. ubi promittitur hoc Sacramentum; neque Joan. 20. ubi inſtituitur, neque in ullo alio Scripturæ textu extat aliquod manus impoſitionis veſtigium.

Ad Confirmationem reſpondeo diſtinguendo, quod ſemper, ubique, & ab omnibus obſervatum eſt tanquam ad ſubſtantiam Sacramenti pertinens, eſt à Chriſto traditum, Concedo: Tanquam cæremonia accidentalis, Nego: Namque in Baptiſmo exorciſmi, & immerſio ſemper, ubique & ab omnibus adhibita ſunt, nec propterea dici poſſunt inſtitutionis divinæ; quia nunquam Eccleſia ejuſmodi ritus obſervavit, quaſi eſſent

divinitus instituti. Constat autem manus impositionem Sacramento Pœnitentiæ non esse essentialem, sed merè accidentalem, ex eo quòd in nullo Concilio fuerit præscripta tanquam necessaria; nec Eugenius IV. in suo Decreto, nec Patres Tridentini, qui accuratè descripserunt Sacramenti pœnitentiæ partes, meminere impositionis manûs.

Instabis: Ille ritus accidentalis dici nequit, quem celebres Theologi asserunt essentialem: acqui Guillelmus Antisiodorensis, Vincentius Bellovac. Guillelmus Parisiensis, Alexander de Hales, Marian. Victorin. Thomas Valdensis, & plures alii asserunt manus impositionem esse Sacramento Pœnitentiæ essentialem: Ergo.

Distinguo maj. Quem celebres Theologi asserunt essentialem, juxta communem Catholicorum sententiam, Conc. Contra communem sententiam, Nego maj. Porrò scholæ Principes, ut S. Thomas 3. p. qu. 84. art. 4. & opusculo 22. c. 4. Scotus, & eorum discipuli docent ejusmodi ritum esse accidentalem; venerandus tamen est ob antiquitatem, nec negligendus.

Q. 4. *Estne necesse ut contritio, quatenus habet rationem partis Sacramenti, sit supernaturalis?*

R. 1. De fide quidem est contritionem supernaturalem requiri ad obtinendum effectum Sacramenti, scilic. remissionem peccatorum. Sed ad Scholæ controversiam pertinet, num contritio naturalis sufficiat ad perficiendum Sacramentum Pœnitentiæ, quemadmodum aqua naturalis est materia idonea Sacramenti Baptismi, oleum olivarum Sacramenti Extremæ Unctionis.

Affir-

Affirmarunt nonnulli recent. quin. S. Thomas, cùm junior ſcriberet in quartum, eam ſententiam amplexus eſt; ſic enim habet diſt. 17. q. 3. art. 4. *Confeſſio poteſt eſſe informis, & quamvis tunc non percipiat abſolutionis fructum, tamen recedente fictione, percipere incipiet . . . . unde non tenetur poſtmodum iterare confeſſionem, qui fictus accedit,* (hoc eſt ſine vera & ſupernaturali contritione) *ſed tenetur poſtmodum fictionem ſuam confiteri.* Nihilominus

R. 2. Communis eſt ſententia omnino tenenda, Sacramentum Pœnitentiæ abſque contritione ſupernaturali eſſe planè irritum, ac proinde iterandum. Et ratio eſt, quia nullum Sacramentum validè conferri poteſt abſque materia quam Chriſtus inſtituit: atqui contritio, ſeu attritio ſupernaturalis, ſola eſt materia à Chriſto inſtituta: Ergo.

Minor probatur. Eam ſolam materiam Sacramenti Pœnitentiæ Chriſtus inſtituit, quæ cum forma conjuncta eſt efficax ad producendam ex opere operato gratiam ſanctificantem: atqui contritio naturalis non eſt efficax ad producendam ex opere operato gratiam ſanctificantem, ſed ſola contritio ſupernaturalis: Ergo. Ut igitur contritio naturalis cenſeretur materia divinitùs inſtituta Sacramenti Pœnitentiæ, deberet in aliquo caſu producere gratiam, ſicut aqua naturalis in Baptiſmo parvulorum: illud autem dici nequit ſine errore. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ non poteſt eſſe ſimul validum & informe, quemadmodum Baptiſma & cætera Sacramenta; quia ſufficiens & neceſſaria diſpoſitio ad effectum Sacramenti Pœnitentiæ eſt ipſamet eſſentialis materia Sacramenti, ac proinde quoties Sacramentum eſt

ratum ac validum, toties pœnitens eſt diſpoſitus ad ejus effectum. Contra verò Baptiſma & alia Sacramenta poſſunt eſſe valida, etiamſi ſuſcipiens non ſit diſpoſitus ad eorum effectum percipiendum. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ eſt iterandum, quando pœnitens effectui ejus obicem poſuit; quia illud Sacramentum fuit irritum, cùm caruerit materia eſſentiali; ſecùs ſentiendum de Baptiſmo, & aliis Sacramentis; valida enim ſunt, etiamſi ſuſcipiens caruerit debitis diſpoſitionibus, nec proinde iteranda; quia ſuſcipientium diſpoſitiones non ſunt partes eſſentiales hujuſmodi Sacramentorum.

Q. 5. *Quomodo definitur Sacramentum pœnitentiæ?*

R. Ex dictis rectè deſcribitur, Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, quo per juridicam Sacerdotis abſolutionem homini contrito & confeſſo remittuntur peccata poſt Baptiſmum commiſſa, competenti ſatisfactione injuncta.

Singulæ definitionis partes poſt præcedentem expoſitionem ulteriori explicatione non indigent. Sed, quod longe operoſius eſt, jam ſigillatim ſunt probandæ & aſſerendæ non ſolùm contra Hæreticos, ſed etiam adversùs fictos pœnitentes.

Primo itaque loco oſtendemus pœnitentiam eſſe Sacramentum propriè dictum, à Chriſto Domino inſtitutum, & quidem à Baptiſmo diſtinctum ad delenda peccata poſt Baptiſmum commiſſa. 2. Habere vim remittendi omnia peccata, eſſeque neceſſarium neceſſitate medii iis, qui à gratia Baptiſmi exciderunt. 3. Sacerdotem in hoc Sacramento ſedere tanquam Judicem, & ex poteſtate ſibi à Chriſto conceſſa, verum judicium

exer-

exercere. 4. Quæ contritio requiratur ad veritatem hujus Sacramenti. 5. Confeſſionem oris eſſe à Chriſto inſtitutam. 6. Deum in hoc Sacramento ita remittere offenſam, & reatum pœnæ æternæ, ut exigat ſatisfactionem ad delendum reatum pœnæ temporalis, cui pœnitentes poſt abſolutionem remanent obnoxii. 7. Quibus verbis debeat concipi abſolutio, quam diximus eſſe formam hujus Sacramenti, & præcipuam illius partem. Et ita ſicut omnes lineæ colliguntur in centro; ſic quæcunque diſcutienda ſunt in hocce prolixiori Tractatu, ad allatam definitionem revocantur, exceptis tamen nonnullis difficultatibus circa ſpeciales hujus Sacracramenti effectus, quibus ultimo loco faciemus ſatis.

# CAPUT II.

## Utrum Pœnitentia ſit Sacramentum propriè dictum à Baptiſmo dictinctum?

Plures à primis ſæculis circa Sacramentum Pœnitentiæ erraverunt; ſed illud propterea ex albo Sacramentorum non expunxere.

Secundo ſæculo Montanus, (à quo Montaniſtæ, dicti etiam Cataphryges à Provincia Phrygiæ, unde oriundus erat ille Hæreſiarcha, & Pepuziani à vico Pepuze, ubi conventus ſuos celebrabant, quibus Tertullianus tandem ſe adjunxit ſtupenda in tanto viro cæcitate) diſtinxit inter peccata graviora, nempe idololatriam, homicidium, & mœchiam, & peccata minus gravia. Priora voluit eſſe veluti caſus divinæ clementiæ ita reſervatos, ut ab Eccleſia nullatenus remitti

 poſſent;

poſſent; ideoque in ejus ſecta vocabantur irremiſſibilia, non quidem abſolutè; concedebat enim eorum veniam à Deo obtineri poſſe lacrymis, jejuniis, & aliis carnis afflictionibus. His autem gravioribus peccatis exceptis, Hæreſiarcha ille agnovit Eccleſiæ conceſſam eſſe poteſtatem remittendi peccata lapſis poſt Baptiſmum, ac proinde Pœnitentiæ Sacramentum admiſit. Ita Tertullianus libro de Pudicitia cap. 18. ubi Montaniſtarum errorem ſic exponit: *Salva illa pœnitentiæ ſpecie poſt fidem, quæ aut levioribus delictis veniam ab Epiſcopo conſequi poterit, aut majoribus à Deo ſolo.*

Ætate ſancti Cypriani, hoc eſt tertio mediante ſæculo, Novatianus Presbyter Romanus Sedem Apoſtolicam ambiens adverſus ſanctum Cornelium legitimum Pontificem ſchiſma fecit, Pſeudo-Epiſcopum Romanum à temulentis Epiſcopis ordinari ſe curavit, ex Euſebio lib. 6. Hiſtoriæ cap. 43. atque ut Cornelium, qui lapſos in idololatriam pœnitentes recipiebat, in invidiam adduceret, adjutus Novato Carthaginenſi, ſchiſmati hæreſim addidit, docuitque ſicut Montanus peccatum idololatriæ à ſolo Deo eſſe remiſſibile. Utrum autem ulterius progreſſus fuerit, quæſtio eſt. Aſſerit ſanctus Ambroſius libro 1. de Pœnitentia cap. 3. ipſum cenſuiſſe omnia pariter peccata poſt Baptiſmum commiſſa, eſſe in Eccleſia irremiſſibilia. Quòd autem plures ex ejus diſcipulis in eodem errore fuerint verſati, docent Euſebius citato libro 6. cap. 43. Philaſtrius libro de hæreſibus hæreſi 34, ſanctus Epiphanius hæreſi 59. & ſanctus Pacianus epiſtola 3. ad Sympronianum Novatianum: ubi ſic loquitur:

quitur: *Tractatus omnis Novatianorum, quem ad me (confertis undique propoſitionibus) deſtinaſti, hoc continet, quod poſt Baptiſmum pœnitere non liceat, quòd mortale peccatum Eccleſia donare non poſſit, imo quod ipſa pereat recipiendo peccantes.* Atque ex iis ſcriptoribus Patres Tridentini ſeſſione 14. capite primo hæc de Novatianis referre non dubitarunt: *Novatianos remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Eccleſia Catholica tanquam hæreticos exploſit, atque condemnavit.*

Certum tamen eſt Novatianos, qui & Cathari, id eſt, puri dicti ſunt, vulgo agnoviſſe cum Montaniſtis poteſtatem dimittendi peccata poſt Baptiſmum commiſſa, exceptis duntaxat idololatria, homicidio, & mœchia; ſic enim de iis ſcribit Sanctus Ambroſius cit. lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. *Ajunt Novatiani ſe exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Non hoc quidem auctor veſtri erroris; in eo igitur patrem veſtrum propria damnatis ſententia, qui diſtinctionem peccatorum facitis, quæ ſolvenda à nobis putetis, & quæ ſine remedio* (nempe ab Eccleſia miniſtrando) *eſſe arbitremini:* Sanctus enim Doctor eodem capite ſubiecit, *ajunt ſe Domino deferre reverentiam; cui ſoli remittendorum criminum poteſtatem reſervant.* Hinc Novatus, ex Socrate lib. 4. Hiſtoriæ cap. 28. ſcripſit ad omnes ubique Eccleſias, ne eos, qui dæmonibus immolaverant, ad ſacra Myſteria admitterent; ſed ut hortarentur eos ad pœnitentiam, qua indulgentiam criminum à Deo conſequerentur.

Duodecimo ſæculo Valdenſes, ex Reynero, errarunt quidem circa Miniſtrum Sacramenti pœnitentiæ: *Dicunt,* inquit, *quòd nullus poſſit abſolvi à malo ſacerdote. Item quòd bonus laicus poteſtatem*

*habeat absolvendi*. Sed constanter retinuerunt septenarium numerum Sacramentorum usque ad decimum sextum sæculum, quo à Calvinistis decepti, duo tantum Sacramenta cum ipsis admisere, ut fusè probat Illustrissimus Bossuet Meldensis Episcopus lib. 2. Variationum.

Decimo quarto sæculo Wiclefus, ex Thoma Valdensi tom. 2. de Sacramentis c. 141. docuit cum Valdensibus claves non operari in malis Sacerdotibus, quem errorem Joannes Hus, & Hieronymus de Praga decimo quinto sæculo amplexi sunt, & nos confutavimus Tractatu de Sacramentis in genere : sed ipsum Sacramentum non sustulere, ut patet ex citato lib. Variationum.

Decimo sexto sæculo Lutherus lib. de capt. Babyl. tria numerat Ecclesiæ Sacramenta, scilicet, Baptismum, Pœnitentiam, & Panem; sed in calce operis negat pœnitentiam esse Sacramentum propriè dictum. Melanchton ejus assecla sibi etiam in hoc capite non constitit ; nam in Apologia Confessionis Augustanæ, pœnitentiam inter Sacramenta reponit ; & in locis communibus editis anno 1522. pœnitentiam è numero Sacramentorum expungit. Lutherani tamen passim videntur habere pœnitentiam pro Sacramento ; utuntur enim Catechismo, quem Lutherus edidit; in quo, ut refert laudatus Episcopus Meldensis lib. 3. Variation. Minister audita confessione pœnitentis, hisce verbis concionalibus eum absolvit : *Ego, ex Christi mandato, remitto tibi peccata tua in nomine Patris*, &c.

Dixi, *concionalibus ;* Quia in mente Pseudo-Reformatorum, Sacramenta non operantur, nisi quatenus excitant fidem, quæ sola remittit peccata,

cata, & abſolutio eſt nudum miniſterium, quo Miniſter declarat remiſſa eſſe peccata confitenti: quem errorem Concilium Trident. anathemate percutit can. 9. ſeſſ. 14.

Zwinglius & Calvinus cæteris Hæreticis audaciores, apertè & conſtanter negarunt pœnitentiam eſſe Sacramentum, & in eo errore verſantur omnes Calviniſtæ, qui cum magiſtro ſuo verba Chriſti Domini, Joan. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, detorquent ad prædicationem Evangelii, qua lapſi revocantur ad memoriam Baptiſmi, & excitantur ad credendum juſtitiam in illo Sacramento acceptam, amitti non poſſe. Verba Calvini retulimus cap. præced. §. 3.

Atque falſa ejuſmodi expoſitione Calviniſtæ putant ſe declinare tela à Sanctis Patribus in Novatianos contorta. Nimirùm, inquiunt, non negamus cum illis Hæreticis omnia peccata in Eccleſia remitti poſſe, imò omnes uno ore conſtanter aſſerimus Eccleſiam accepiſſe poteſtatem remittendorum quorumcunque peccatorum; ſed contendimus duntaxat Eccleſiam id præſtare, quatenus per prædicationem Evangelii lapſos in ea fide firmat, quòd Fidelibus baptizatis nulla peccata imputentur; quam impiam novitatem Concilium Trident. ſeſſ. 14. tribus Canonibus damnavit. Canone 1. ſic habet: *Si quis dixerit in Catholica Eccleſia pœnitentiam non eſſe verè & proprie Sacramentum . . . . . anathema ſit.* Canone 2. *Si quis Sacramenta confundens, ipſum Baptiſmum pœnitentiæ Sacramentum eſſe dixerit, quaſi hæc duo Sacramenta diſtincta non ſint, atque ideò pœnitentiam non rectè ſecundam poſt naufragium tabulam appellari: anathema ſit.* Et Canone 3. *Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris,*

*vatoris*, accipite Spiritum Sanctum, &c. *non esse intelligenda de potestate remittendi & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ; sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem, contra institutionem hujus Sacramenti, ad auctoritatem prædicandi Evangelium, anathema sit.* Quare ad propositam quæstionem

R. De fide est pœnitentiam verum esse Sacramentum, in ratione judicii à Christo Domino institutum, & à Baptismo distinctum. Tres sunt responsionis partes.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura. Christus Matth. 16. promittit Petro se illi daturum claves regni cœlorum; ut quodcunque ligaverit aut solverit super terram, maneat in cœlis ligatum aut solutum. Idem promissum ligandi & solvendi ad Apostolos extendit Matth. 18. ac tandem illud actu & de facto confert post resurrectionem. Joan. 20. his verbis, *quorum remiseritis peccata*, &c. Unde Patres Tridentini sess. 14. cap. 1. colligunt Sacramentum Pœnitentiæ tum præcipuè fuisse institutum, cùm Apostolis jam in Sacerdotes ordinatis, scilicet in ultima cœna, Christus à mortuis suscitatus, dixit: *Accipite Spiritum Sanctum*, &c.

Quod autem laudata Christi verba, Joan. 20. Sacramentum propriè dictum demonstrent, probatur. Namque ad Sacramentum tria requiruntur. 1. signum externum divinitùs institutum. 2. promissio gratiæ, signo, seu ritui exteriori annexa. 3. mandatum divinum illius signi, seu ritus exterioris observandi. Atqui hæc tria in illis verbis continentur. 1. Signum, seu ritus externus; cùm enim potestas hìc concessa remit-

remittendi & retinendi peccata, exerceri debeat inter homines, sanè interveniant quædam signa exteriora necesse est, quibus pateat tum Apostolis quinam sint solvendi, quive ligandi, tum ipsis pœnitentibus an fuerint soluti vel ligati. 2. eo ipso promittitur gratia, quo promittitur remissio peccatorum; quia ex dictis de Gratia, ubi de justificatione, peccata lethalia non remittuntur, nisi per gratiæ sanctificantis infusionem. 3. denique in illis verbis imponitur præceptum tum Apostolis utendi potestate hic sibi concessa; ait enim Christus se eos ad hoc remittere, *sicut misit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos .... accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis*, &c. tum ipsis peccatoribus recurrendi ad claves Ecclesiæ; aliàs peccata eorum in cœlo retinerentur, *quorum retinueritis*, inquit, *retenta sunt :* quæ verba denotant necessitatem non solùm præcepti, sed etiam medii.

Frustra Novatores nituntur laudata verba detorquere ad prædicationem Evangelii. 1. Quia Christus ante Passionem discipulis potestatem prædicandi dederat, & eos ad prædicandum miserat, Matth. 10. & Luc. 10. 2. quia hic confertur potestas ligandi & solvendi. Atqui ista aptari nequeunt prædicationi; Evangelium enim omnibus est prædicandum; juxta illud Matth. 28. *docete omnes gentes.* Peccata verò omnibus nec sunt remittenda, nec retinenda, sed quibusdam remittenda, aliis verò retinenda. 3. quia Evangelizans non potest prædicatione sua retinere auditorum peccata. Quin, quantùm in ipso est, sive minetur, sive promittat, omnium peccata solvit, quatenùs secundùm adversarios auditores excitat, mo-

movetque ad credendum promissionibus divinis: quòd si qui non credant, non verbi ministerium, sed duritia & incredulitas auditorum ligat peccata. 4. quia excogitata ab adversariis laudatorum verborum expositio est prorsùs aliena ab omnium Veterum mente; ut docent Patres Tridentini citato cap. 1. his verbis: *quo tam insigni facto, & verbis tam perspicuis, potestatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles post Baptismum lapsos, Apostolis & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam universorum Patrum consensus semper intellexit.* Sed illud nobis jam demonstrandum incumbit. Quare

Probatur 2. ex constanti Ecclesiæ & Sanctorum Patrum traditione. Sanctus Cyprianus epist. 54. ad Cornelium Summum Pontificem, sic scribit: *Statueramus quidem jampridem, Frater charissime, participato invicem nobiscum consilio, ut qui in persecutione infestatione supplantati ab adversario, & lapsi fuissent, agerent diu pœnitentiam plenam; & si periculum infirmitatis urgeret, pacem sub ictu mortis acciperent... quando permiserit ipse, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam in cœlis quoque ligata essent: solvi autem possent illic, quæ hìc priùs in Ecclesia solverentur.* Hæc perspicue dicuntur de absolutione, quæ fit in pœnitentia, non verò in prædicatione Evangelii.

S. Pacianus Barcinonensis Episcopus epist. 1. ad Sympronianum Novatianum, *solus hoc, inquies, Deus poterit* (remittere peccata.) *Verum est, sed & quod per Sacerdotes suos facit, ipsius potestas est. Nam quid est illud, quod Apostolis dicit, quæ ligaveritis*, &c.

Hæc contra Novatianos, qui non negabant lapsis prædicandum esse Evangelium; sed absolutionis beneficium ipsis pœnitentibus esse impertiendum,

tiendum, contendebantque illos ad misericordiam Dei esse remittendos, & hac parte spem illorum esse erigendam. Contra verò S. Pacianus cum sancto Cypriano, & aliis Orthodoxis propugnabant ejusmodi lapsis nec prædicationem Evangelii esse subtrahendam, nec iisdem pœnitentibus denegandam esse absolutionem : Ergo una erat sententia omnium non solum Catholicorum, sed etiam Novatianorum, potestatem ligandi & solvendi distinctam esse à prædicatione Evangelii.

Sanctus Hilarius in cap. 16. Matthæi sic exclamat, *ò beatus cœli janitor, cujus arbitrio claves æterni aditus traduntur : cujus terrestre judicium præjudicata auctoritas sit in cœlo!*

Sanctus Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, *qui terram incolunt, atque in ea versantur, his commissum est, ut ea, quæ in cœlis sunt dispensent : iis datum est, ut potestatem habeant, quam Deus optimus neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit, neque enim ad illos dictum est, quæcumque alligaveritis*, &c. Atqui Angelis aliquando concessum est annuntiare Evangelium.

Pergit autem sanctus Doctor : *habent quidem & terrestres Principes vinculi potestatem, verùm in corpus tantùm. Id autem quod dico Sacerdotum vinculum, ipsam etiam animam contingit, atque ad cœlos usque pervadit; usque adeò, ut quæcumque infernè Sacerdotes confecerint, illa eadem Deus supernè rata habeat, ac servorum sententiam Dominus confirmet. Etenim quid hoc aliud esse dicas, nisi omnem rerum cœlestium potestatem illis à Deo concessam ! quorumcunque, ait, peccata retinueritis, retenta sunt. Quænam, obsecro potestas hæc una major esse queat? Pater omnifariam Filio potestatem dedit. Ceterùm*

*terùm video ipsam eandem omnifariam potestatem à Deo Filio illis traditam.*

S. Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum, comparat pœnitentiam cum Baptismo & Eucharistia, *Absit*, inquit, *ut de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradu succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus, qui claves regni cœlorum habentes, quodammodo judicant ante diem judicii.* Et infra: *non solùm Sacerdotes, cùm regenerant, sed etiam postea, condonandorum peccatorum obtinent potestatem.*

Sanctus Ambrosius lib. 1. de Pœnitentia cap. 2. de Novatianis hæc habet: *Sed ajunt se Domino deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Imò nulli majorem injuriam faciunt, quàm qui volunt ejus mandata rescindere, commissum munus refundere. Nam cùm ipse in Evangelio dixerit Dominus Jesus*, accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis, &c. Atqui ut jam monuimus, controversia non erat Novationos inter & Catholicos, an prædicandum esset Evangelium, nec ne, lapsis in idololatriam, & fiducia nutrienda veniæ à Deo obtinendæ:

Sanctus Augustinus epist. 228. aliàs 180. ad Honoratum de Sacerdotibus fugientibus tempore persecutionis, sic scribit: *An non cogitamus, cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem; Ubi si Ministri desint, quantum exitium sequitur eos, qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt, vel ligati? Quantus est*

*etiam*

*etiam luctus fidelium suorum qui eos secum in vitæ æternæ requie non habebunt.* Plura in hoc textu habentur notatu digna. Primum, sanctus Augustinus apertè distinguit Baptismum à Sacramento Pœnitentiæ. Secundum, discrimen ponit inter ipsam pœnitentiam, seu pœnitentiæ actionem, & reconciliationem, sive absolutionem, ut intelligamus virtutem Sacramenti non esse totaliter repetendam ab actione pœnitentis, quasi vim non habeat, nisi ex opere operantis, sed præsertim ex ipsa Sacerdotis sententia. Tertium, Sacramentum Pœnitentiæ esse æquè necessarium ad salutem lapsis post Baptismum, ac Baptismum ipsum nondum regeneratis; cùm sine Sacramento Pœnitentiæ lapsos decedentes sequatur æterna pernicies. Quartum, sententiam Sacerdotis non esse merè declaratoriam, ut docuerunt plures è veteribus Scholasticis, nec semper supponere peccata confitentis jam esse dimissa; sed illa verè expungere; si enim jam essent dimissa, falsò supponeret sanctus Doctor pœnitentes, qui hinc abeunt sine Sacramento Pœnitentiæ, in vitæ requie locum non habituros.

Sanctus Bernardus serm. in Natali sanctorum, Petri & Pauli, *Petro*, inquit, *quid potentius*, *qui claves regni cœlorum tam singulariter accepit*, *ut præcedat sententia Petri sententiam cœli?*

Denique una semper fuit, & etiamnunc est Occidentalium & Orientalium etiam Schismaticorum fides circa Sacramentum Pœnitentiæ. Illud autem Apostolicum est & Catholicum, inquit Vincentius Lyrinensis, quod semper & ubique servatum est.

Dices, plures è sanctis Patribus textum sancti

Joannis cap. 20. interpretantur de Evangelii prædicatione, *Solvunt eos Apoſtoli*, inquit ſanctus Hieronymus in cap. 44. Iſaiæ, *ſermone Dei, & teſtimoniis Scripturarum, & exhortatione virtutum.* Ergo

Diſtinguo anteced. interpretantur de Evangelii prædicatione per quandam extenſionem, quatenus ſcilicet Sacerdotes per doctrinam diſponunt peccatores ad remiſſionem peccatorum in Sacramento obtinendam, Concedo: interpretantur juxta vocum proprietatem, ita ut in eorum mente, ſolvere aut remittere peccata, nihil ſit aliud quàm Evangelium prædicare, Nego anteced. Nam ipſemet S. Hieronymus tum laudata mox epiſtola, tum in caput 16. & 18. Matthæi diſtinguit poteſtatem ligandi & ſolvendi à poteſtate prædicandi.

Confirmatur. Diaconi in ſua Ordinatione audiunt ab Epiſcopo: *Oportet Diaconum prædicare*, S. Stephanus prædicavit Jeroſolymis, Act. 6. Et S. Philippus Diaconus Samariæ, Act. 8. Quin & Diaconiſſæ, de quibus Apoſtolus 1. Timoth. 5. docebant imperitas & ruſticanas mulieres, ex Concilio IV. Carthaginenſi can. 12 Atqui nullus ex ſanctis Patribus ſcripſit unquam Diaconos aut Diaconiſſas propter ejuſmodi miniſteria accepiſſe claves regni cœlorum, & poteſtatem ligandi atque ſolvendi. Ergo.

Secunda pars, nempe Sacramentum pœnitentiæ à Chriſto fuiſſe inſtitutum in ratione judicii reconciliativi, conſtat ex teſtimoniis laudatis in confirmationem præcedentis reſponſionis; ligare enim & ſolvere, ſententiam ferre, procul dubio ſunt actus Judicis: atqui ex Scriptura & ſanctis Patribus mox laudatis, præſertimque ex Sanctis

Pacia-

Paciano, Hilario, Chryfoftomo, Bernardo, Sacerdotes in hoc pœnitentiæ tribunali ligant & folvunt, fententiam proferunt.

Confirmatur. Verba, quibus Sacerdos conficit Baptifmum, Euchariftiam, &c. vocantur à Patribus orationes, invocationes, nufquam verò fententia, abfolutio. Quid ita? nifi quia Sacerdos in ejufmodi Sacramento Judicem non agit, ficut in Sacramento Pœnitentiæ.

Tertia pars, fcilicet Pœnitentiam effe Sacramentum à Baptifmo diftinctum, probatur ex Scriptura, quæ clarè diftinguit Baptifmum inter & Pœnitentiam, tanquam inter duo planè diverfa, utpote quæ feorfim fint à Chrifto inftituta & præfcripta, & quidem in diverfa forma & materia; Baptifmum quippe ante Paffionem, in aqua inftituit Joan. 3. & exinde Difcipuli ejus baptizarunt, Joan. 4. Pœnitentiæ verò Sacramentum poft Refurrectionem inftituit in forma judicii, Joan. 20. *quorum remiferitis peccata*, inquit, *remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta funt.* Quæ pofteriora verba præceptum denotant, ut fupra expofuimus: ergo reverà Baptifmus & Pœnitentia funt Sacramenta diftincta.

Nec dicant Adverfarii citato 20. cap. Joannis, inftitutam & præfcriptam effe dumtaxat prædicationem Evangelii ad memoriam Baptifmi refricandam. Namque nullibi legimus Apoftolos lapfis poft Baptifmum in memoriam revocaffe divinam illam regenerationem ad veniam obtinendam; quin eos femper hortati funt ad Pœnitentiam. Petrus Act. 8. Simoni Mago ait, *pœnitentiam age ab hac nequitia tua.* Apoftolus 1. Cor. 5. non remitti Corinthium inceftum ad Baptifmi memoriam, fed il-

 lum

lum ligat tradens Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat in die Domini noſtri Jeſu Chriſti; tum 2. Cor. 2. eundem ſolvit pœnitentia fructum. S. Jacobus etiam peccatoribus ait c 5. *confitemini alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini.* Et Sanctus Joan. 1. epiſt. cap. 1. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra :* Ergo Adverſariorum doctrina de memoria Baptiſmi nullo Scripturarum teſtimonio fulcitur, quin evidenter eis repugnat.

Neque opponant expreſſis quidem verbis, ſuum dogma in Scripturis non contineri, ſed tanquam neceſſariam concluſionem ex eis erui, nempe Oſeæ 2. habetur, *ſponſabo te mihi in ſempiternum.* Et Hebr. 13. *non te deſeram, neque derelinquam;* quæ vera non eſſent, niſi fœdus; quod Deus nobiſcum in Baptiſmo pepigit; ſtet in æternum, adeò ut nihil aliud requiratur ex parte peccatoris ad veniam obtinendam, quàm firma fiducia in promiſſis divinis. Ne, inquam iſta opponant; namque 1. promiſſa illa, *ſponſabo te mihi in ſempiternum, non te deſeram; qui manducat hunc panem, vivet in æternum,* ſunt conditionata, nempe ſi peccator ipſe pactum non violat, Deum non deſerat, ſeipſum peccato non perimat; ſcriptum quippe eſt Ezech. 18. verſ. 24. *Si autem averterit ſe Juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius .... omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur : in prævaricatione, qua prævaricatus eſt, & in peccato ſuo, quod peccavit, in ipſis morietur.* Et ex Sancto Auguſtino, Deus neminem deſerit, niſi priùs deſeratur. Unde autem habent Adverſarii fœdus violatum non reſarciendum, niſi per memoriam Baptiſmi?

2. de-

2. detur reparari per fictitiam ejusmodi memoriam, quid inde pro suo errore colligent? An præter Baptismum, nullum veri nominis Sacramentum esse admittendum, sed solam Evangelii prædicationem, quæ in memoriam revocet inviolabile Baptismi fœdus? At ipsi Cœnam Dominicam agnoscunt pro vero Sacramento instituto ad excitandam Baptismi memoriam: Ergo non sequitur ex eo quòd gratia Baptismi amitti non possit, exteriorem pœnitentiæ ritum non esse Sacramentum, accommodatum saltem ad revocandam Baptismi memoriam.

Probatur 2. ex Traditione, pœnitentiam esse Sacramentum à Baptismo prorsus distinctum.

Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 7. sic habet: *clausa licet ignoscentiæ janua, & intinctionis sera obstructa, aliquid adhuc permisit patere. Collocavit in vestibulo pœnitentiam secundam, quæ pulsantibus patefaciat.*

S. Athanasius lib. de peccato in Spiritum Sanctum: *est*, inquit, *inter Baptismum & Pœnitentiam non leve discrimen. Quem enim pœnitet, is desinit quidem peccare, sed tamen retinet vulnerum cicatrices: qui autem baptizatur, jam veterem hominem exuit.*

Sanctus Pacianus epist. 3. ad Sympronianum, scribit: *Baptismus Sacramentum est Dominicæ Passionis, pœnitentium venia, meritum confitentis. Illud omnes adipisci possunt: quia gratia Dei donum est, id est, gratuita Dei donatio: labor verò iste paucorum est, qui post casum resurgunt, qui post vulnera convalescunt, qui lacrymosis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviscunt.* Similia habet sanctus Chrysostomus hom. 9. in epist. ad Hebræos.

Sanctus Augustinus lib. 2. de adulterinis con-

jugiis cap. 16. de peccato homicidii, ſic habet: *Si à Catechumeno factum eſt, Baptiſmate abluitur; & ſi à baptizato, pœnitentia & reconciliatione ſanatur.* Et epiſt. 98. alàs 33. ſi infans poſt Baptiſmum propria incipit habere peccata, illa non regeneratione auferuntur, ſed alia curatione ſanantur.

Dices: ſanctus Auguſtinus variis in locis remiſſionem peccatorum, quæ poſt Baptiſmum committuntur, tribuit Baptiſmo, ſic enim habet lib. 1. de nupt. & concup. càp. 30. *Sic, inquam, accipiendum eſt, ut eodem lavacro regenerationis, & verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur atque ſanentur, non ſolùm peccata, quæ omnia nunc remittuntur in Baptiſmo; ſed etiam quæ poſteriùs humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur; non ut Baptiſma, quoties peccatur, toties repetatur; ſed quia ipſo quòd ſemel datur, fit ut non ſolum anteà, verùm etiam poſteà quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur.* Et epiſt. 185. aliàs 50. *Quidquid ab eis, qui poſt acceptum Baptiſmum hic vivunt, infirmitate humana contrahitur quarumcunque culparum, propter ipſum lavacrum dimittitur.* Similia habet lib. de peccato originali cap. 39. & 40. & lib. contra Julianum c. 18. Ergo, inquiunt Calviniſtæ, noſtra ſententia eſt Auguſtini.

Diſtinguo anteced. tribuit Baptiſmo tanquam primæ radici neceſſeriò præſuppoſitæ ſequentibus ſalutis ſubſidiis, Concedo: tribuit Baptiſmo tanquam cauſæ proximæ, & excluſis aliis Sacramentis, & ſalutis ſubſidiis, Nego anteced. Enimvero ſanctus Auguſtinus argumentatur de regeneratione ſupernaturali, quæ fit per Baptiſmum, ſicut de vita naturali, quam accipiunt homines gene-

generatione carnali. Quemadmodum enim in ordine naturali, quod homo per ætatem crefcat, quòd ex morbo convalefcat; quòd hæreditatem paternam capefcat, denique quòd poft mortem aliquando refurrecturus fit, id totum fic tribuitur ejus nativiti tanquam primæ radici, ut non excludantur alimenta, quibus augmentum accipit, remedia quæ eum priftinæ fanitati reftituant, & fpecialis Dei virtus, quæ illum poft mortem ad vitam revocabit. Ita fpiritali regenerationi adfcribi debet, tanquam primæ radici, quod fidelis per Sacramentum Confirmationis in juftitia perficiatur, per Euchariftiam fpiritaliter vegetetur, & per pœnitentiam fanetur, aut etiam mortuus fufcitetur, & per lumen gloriæ vifione Dei intuitiva veluti hæreditate paterna fruatur. Sed audiendus eft ipfemet Sanctus Auguftinus citato cap. ut perfpicuum fiat, quàm injufte Adverfarii verbis ejus abutantur, & vanè ejus patrocinio glorientur. *Quid enim prodeft*, inquit, *vel ante Baptifmum pœnitentia* (Adde, & Euchariftia) *nifi Baptifmus fequeretur, vel poftea, nifi præcederet? In ipfa quoque Dominica Oratione, quæ quotidiana eft noftra mundatio, quo fructu, quo effectu diceretur*, dimitte nobis debita noftra, *nifi ab eis, qui baptizati funt, diceretur? Itemque eleemofynarum largitas, & beneficentia quantalibet, cui tandem ad dimittenda fua peccata prodeffet, fi baptizatus non effet? Poftremo regeneratorum ipfa felicitas, ubi non habebit Ecclefia maculam aut rugam . . . . . quorum erit nifi baptizatorum?* Quibus verbis luce clarius eft Sanctum Auguftinum Baptifmo jam fufcepto, non folam Evangelii prædicationem fuperftruere, fed & pœnitentiam, orationem, eleemofynam, & alia bona

 opera,

opera, tanquam media neceſſaria ad remiſſionem peccatorum obtinendam.

## CAPUT III.

### In quo conſiſtat ligandi & ſolvendi poteſtas Eccleſiæ conceſſa?

Capite præcedenti vindicavimus ab adverſariis conceſſam Eccleſiæ ſolvendi poteſtatem. Supereſt jam ut expendamus in quo præcisè conſiſtat illa poteſtas, circa quam difficultatem tres ſunt ſententiæ.

Prima eſt Heterodoxorum, qui eam reponunt in nuda, & concionali declaratione peccata eſſe remiſſa. Sed hæc ſententia damnata eſt ut hæretica à Synodo Trident. ſeſſ. 14. can. 9. his verbis: *Si quis dixerit abſolutionem Sacramentalem Sacerdotis non eſſe actum judicialem, ſed nondum miniſterium pronuntiandi & declarandi remiſſa eſſe peccata confitenti... anathema ſit.* Veritas hujuſce definitionis probata eſt cap. præcedenti, in quo demonſtravimus poteſtatem ligandi atque ſolvendi, diſtinctam eſſe à poteſtate prædicandi Evangelium.

Secunda ſententia eſt Magiſtri Sententiarum, lib. 4. diſt. 18. ubi ſupponit ad Sacrameutum Pœnitentiæ requiri contritionem charitate perfectam, ideoque peccatum ſemper eſſe remiſſum priuſquam actu ſubjiciatur clavibus Eccleſiæ, ex quo falſo principio concludit poteſtatem ſolvendi ſeu abſolutionem eſſe tantum declaratoriam remiſſionis peccatorum. Hanc ſententiam amplexi ſunt Sanctus Bonaventura in 4. art. 2. qu. 1. Alexander de Hales ibid. qu. 21. Joannes Major diſt. 14. qu. 2. Gabriel qu. 1. art. 1. & alii.

Dif-

Differt autem hæc ſententia à præcedente, 1. quia non confundit, ſicut prior, poteſtatem ligandi & ſolvendi cum poteſtate Evangelium prædicandi, contenditque Sacerdotes in tribunali pœnitentiæ non eſſe ſolùm præcones divinæ clementiæ, ſed Judices agere, & juridicè declarare peccata eſſe remiſſa. 2. quia juxta illos Theologos, contrito quantumcunque perfecta peccata non delet, niſi in ordine ad claves Eccleſiæ. 3. quia in illa ſententia abſolutio producit ſecundam gratiam, ſeu augmentum gratiæ ſanctificantis. Duo autem illa poſteriora negant auctores & Patroni primæ ſententiæ.

Quæſtio movetur circa hanc ſecundam ſententiam, num à Concilio Tridentino fuerit proſcripta? Negant communiter Theologi, ac imprimis qui Concilio interfuerunt, ut Andreas Vega lib. 13. cap. 33. de juſtificatione, Dominicus Soto in 4. diſt. 20. qu. 2. & Salmeron tom. 2. Tractatu 18. Præthereà Cardinalis Palavicinus in Hiſtoria Concilii Trident. lib. 10. cap. 12. ſcribit Concilium damnaſſe dumtaxat errorem eorum, qui dicebant abſolutionem eſſe nudum miniſterium declarandi remiſſa eſſe peccata.

Fatendum tamen eſt ejuſmodi ſententiam non ſatis cohærere cum doctrina Concilii, & communiter rejicitur, ut temeraria & erronea. Unde Facultas Pariſienſis die prima Julii anno 1638. ſua cenſura confixit quemdam librum de Virginitate, in quo Author ſtatuebat neceſſariam eſſe ad Sacramentum Pœnitentiæ contritionem charitate perfectam, & abſolutionem nihil aliud eſſe, quàm juridicam declarationem peccata eſſe remiſſa. Quas Propoſitiones ſacra Facultas declaravit quietis anima-

animarum perturbativas, communi & omninò tutæ praxi Ecclesiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ immunitivas, & insuper temerarias & erroneas.

Tertia sententia, quæ ubiqùe tandem obtinuit, quamque ex veteribus Theologis tenuerunt Principes Scholæ, S. Thomas in 4. dist. 18. in Summa quoque 3. p. q. 84. art. 3. ad 5. & Scotus in eundem librum 4. dist. 22. & ante eos Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. part. 14. cap. 8. & Richardus etiam Victorinus lib. de potestate ligandi & solvendi c. 21. ambo Magistri Sententiarum coætanei, acriter insurrexerunt in secundam Sententiam. *Extat*, inquit Richardus, *quorundam sententia tam frivola, ut ridenda potiùs, quàm refellenda videatur; putant Sacerdotes non habere potestatem solvendi sed ostendendi solutos. Sed nunquid Dominus dixit, quod solutum ostenderitis, erit solutum? Dicunt Sacerdotes non habere potestatem remittendi peccata, cùm Dominus hoc dicat; & dicunt habere potestatem ostendendi remissa, cùm Dominus hoc non dicat:* Quare juxta hanc tertiam sententiam ad propositam quæstionem

R. Sacerdotes verè & propriè remittunt peccata, non verò declarant tantum esse remissa. Ita expressis verbis Catechismus Romanus in omnibus Ecclesiis cum laude receptus p. 2. de Pœnitentia §. 21. *Neque enim*, inquit, *ut in veteri lege Sacerdotes testimonio suo aliquem à lepra liberatum esse renuntiabant: ita nunc in Ecclesia ea tantum potestas Sacerdotibus facta est, ut aliquem à peccatis absolutum esse declarent, sed verè tanquam Dei ministri absolvunt.*

Probatur 1. ex Scriptura: Christus Joan. cap. 20. v. 21. sæpius laudato, confert Apostolis eam pote-

poteſtatem, quam à Patre acceperat: *ſicut miſit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos. Hæc cùm dixiſſet*, pergit Evangeliſta, *inſufflavit*, *& dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum*, *quorum remiſeritis peccata*, *remittuntur eis*, &c. Atqui Chriſtus ex poteſtate à Patre accepta, non declaravit tantùm peccata eſſe remiſſa, ſed verè & propriè ea remiſit. Ita intellexerunt Phariſæi, cùm ex verbis ejus accepto ſcandalo, dixerunt Luc. 5. *Quis eſt hic*, *qui loquitur blaſphemias? quis poteſt dimittere peccata*, *niſi ſolus Deus?* Certè non offendebantur quòd declaraſſet Paralytico dimiſſa eſſe ejus peccata, quemadmodum olim Nathan declaravit Davidi: ſed quòd ſibi arrogaret poteſtatem, quæ ſolius Dei eſt: Chriſtus vero tam ſingularem poteſtatem ſibi à Patre collatam, miraculo ſtatim probavit. *Ut autem ſciatis*, inquit, *quia Filius hominis habet poteſtatem in terra dimittendi peccata (ait Paralytico) tibi dico*, *ſurge.* Hanc autem poteſtatem communicavit Miniſtris ſuis cit. cap. Joan. 20. Enimverò voces illæ, *remittere peccata* ex nativa ſignificatione, & in omnium hominum acceptione non denotant declarationem peccati dimiſſi, ſed ipſammet actualem remiſſionem, atque in ea ſignificatione accipiuntur, ubi ſermo eſt eſt de Baptiſmo. Cur autem in alia eaque metaphorica acceptione uſurparentur, ubi agitur de Sacramento Pœnitentiæ, cùm Scripturæ & Traditio iiſdem vocibus utantur ad ſignificandam utriuſque Sacramenti virtutem; nec ullum fundamentum præbeant diſtinguendi in hoc verbo, *dimittere*, duplicem ſignificationem? *Non intereſt*; inquit S. Ambroſius lib. de Pœnitentia c. 7. *utrùm per pœnitentiam*, *an per lavacrum hoc jus ſibi datum vindicent Sacerdotes: idem in utroque*

*utroque myſterio eſt.* Et S. Cyrillus Alexandrinus l. 12. Joannem ſimiliter ſcribit, *duobus modis Dei Spiritu afflati homines peccata remittunt, ac retinent, vel cùm dignos admittunt ad Baptiſmum, & indignos excludunt; vel cùm filios Eccleſiæ peccantes corripiunt, ac pœnitentibus ignoſcunt.* Atqui in Baptiſmo non declarant tantùm peccata eſſe remiſſa, ſed revera ea remittunt: ergo & in Sacramento pœnitentiæ.

Probatur 2. ex ſanctis Patribus cap. præcedenti laudatis, quorum alii, ut ſancti Hilarius & Bernardus, docent ſententiam Petri præcedere ſententiam cœli; quod verum non eſſet, ſi Petrus ſolùm declararet peccata in cœlo jam eſſe dimiſſa. Alii, ut S. Auguſtinus laudata epiſt. 228. de fuga in perſecutione, ſcribunt defectu abſolutionis periclitari hominum ſalutem, quæ ſanè in tuto eſſet, ſi abſolutio eſſet dumtaxat juridica declaratio peccata eſſet à Deo dimiſſa. Alii expreſsè aſſerunt Sacerdotes non ſolùm declarare peccata dimiſſa, ſed ea remittere. Ita S. Chryſoſtomus lib. 3. de Sacerdotio, ubi ſic habet: *Corporis lepram purgare, ſeu veriùs dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Judæorum Sacerdotibus ſolis licebat: At verò noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.*

Dices 1. Solus Deus peccata dimittit, Iſa. 43. *Ego ſum, ego ſum ipſe, qui deleo iniquitates tuas.* Ergo.

Jamdudum ad tritam illam Novatianorum objectionem reſponderunt Sancti Pacianus & Ambroſius, *quod per Sacerdotes facit* (Deus) *ipſius poteſtas eſt.* Quare ad eorum mentem,

Di-

Diſtinguo ant. ſolus Deus peccata dimittit, ut cauſa princeps, & independens, Concedo: ſolus, excludendo cauſam inſtrumentalem & miniſterialem, Nego anteced.

Dices 2. conſtans eſt Sanctorum Patrum doctrina, Sacerdotes plus non poſſe erga peccatores, quàm Apoſtolos erga Lazarum quatriduanum, quem tum ſolvere potuerunt, cùm jam à mortuis eſſet ſuſcitatus, & foras prodiiſſet vivus: *mortuus eſt peccator*, inquit Sanctus Auguſtinus ſerm. 67. aliàs 8. de verbis Domini, *maximè ille, quem moles conſuetudinis premit, quaſi ſepultus eſt Lazarus... quis eum ſuſcitabit, niſi qui, remoto lapide, clamavit dicens: Lazare, prodi foras? Quid eſt autem foras prodire, niſi quod occultum erat, foras prodire? Qui confitetur, foras prodit. Foras prodire non poſſet, niſi viveret: vivere non poſſet, niſi reſuſcitatus eſſet.* Et concione 2. in Pſalm. 101. *Cùm audis hominem pœnitere peccatorum ſuorum, jam revixit: cùm audis hominem confitendo proferre conſcientiam, jam de ſepulchro eductus eſt, ſed nondum ſolutus eſt. Quando ſolvitur? à quibus ſolvitur?* Quæ ſolveritis, inquit, in terra, erunt ſoluta & in cœlo. *Meritò per Eccleſiam dari ſolutio peccatorum poteſt, ſuſcitari autem ipſe mortuus, nonniſi intus clamante Domino poteſt.... loquimur ad aures veſtras; quod autem intus agitur, non à nobis ſed ab illo agitur.*

S. Gregorius ſimilia habet hom. 26. in Evangelia. *Tunc*, inquit, *vera eſt abſolutio præſidentis, cùm interni arbitrium ſequitur Judicis. Quod benè quatriduani mortui reſuſcitatio illa ſignificat, quæ videlicet demonſtrat, quia prius mortuum Dominus vocavit, & vivificavit, dicens:* Lazare, veni foras, *& poſtmodum is qui vivens egreſſus fuerat à Diſcipulis eſt ſolutus.*

*Ecce*

*Ecce illum Discipuli jam viventem solvunt, quem Magister resuscitaverat.*

Atque ex hoc principio S. Hieron. in caput 16. Matthæi, nimiæ arrogantiæ arguit Sacerdotes, qui se peccata dimittere jactitant, cùm opus illud sit divinæ virtutis; sic enim habet: *locum istum* (nempe,) tibi dabo claves, &c.) *Episcopi & Presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, vel ut damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia Sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Legimus in Levitico de Leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se Sacerdotibus: & si lepram habuerint, hinc à Sacerdote immundi fiant, non quòd Sacerdotes leprosos faciant & immundos, sed quòd habeant notitiam leprosi & non leprosi, & possint discernere mundum ab immundo. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum vel immundum facit, sic & hic alligat & solvit Episcopus & Presbyter non eos qui insontes sunt, vel innoxii: sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, scit quis ligandus sit, quisve solvendus.* Ergo.

Distinguo antecedens, Sacerdotes non plus habere potestatis quoad aliquid, nempe quoad interiorem fidei illustrationem, cordis compunctionem, & alios pœnitentiæ motus, Concedo: quoad omnia, quasi per eorum ministerium non infundatur gratia sanctificans; quæ peccatum formaliter expellit, sicut nec per ministerium Apostolorum anima rationalis infusa est quatriduano cadaveri, Nego anteced. Itaque allata Lazari comparatio omni ex parte æqua non est; in eo quippe discrimen est inter cadaver, & hominem peccato mortuum, quòd in cadavere nec sensus, nec ullus motus vitalis inesse possit, quamdiu absens

abſens fuerit anima ; ipſa prius redeat, uniaturque abſolutè neceſſum eſt, quàm cujusquam operationis vitalis particeps fiat. Contra verò anima à Deo per peccatum ſeparata, & ideo mortua, ſupernaturaliter ac vitaliter moveri poteſt à Spiritu Sancto aſſiſtente, quamvis nondum inhabitante, priuſquam Deo per gratiam ſanctificantem uniatur, ſicque plenè reviviſcat; namque interiores fidei illuſtrationes, timor gehennæ, ſpes in Dei miſericordia, contritio cordis, propoſitum melioris vitæ, ſunt actus ſupernaturales inchoatæ vitæ, quibus commotus peccator, foras exit per confeſſionem, & accuſationem ſui, tuncque manus Apoſtolica ſeu Sacerdotalis, illum ſolvit à vinculo mortis, quod eſt peccatum, & perfectæ vitæ reſtituit, quatenus per ejus miniſterium infunditur gratia ſanctificans, ſeu charitas, quæ eſt unio animæ cum Deo vita ipſius.

In eo igitur ſtat comparatio, quòd ſicut Apoſtoli fruſtra cadaver Lazari ſolviſſent, niſi priùs Chriſtus magna voce clamaſſet : *Lazare veni foras*, & ſimul ſpiritum vitæ reſtituiſſet, quod non erat virtutis Apoſtolicæ, ſed omnipotentiæ divinæ : ita temerè & incaſſum manus Sacerdotalis peccatores ſolvere præſumeret, niſi priùs efficaciter audiſſent Deum interiùs clamantem : *Convertimini ad me in toto corde veſtro.* Atque hæc de reſurrectione Lazari collata cum juſtificatione peccatoris per Sacramentum Pœnitentiæ.

Ut autem ſolvatur difficultas petita à leproſis, quos Sacerdotes veteris legis mundos aut immundos declarabant, duplex immunditia tum in leproſo, tum in peccatore diſtinguenda eſt. In leproſo quidem alia eſt immunditia naturalis, quæ

ex ipſiùs putidi morbi naturà exurgit, propter quam, ne cæteros infeſtet, ab eorum conſortio arcetur: alia legális orta ex lege, quæ Judæos ejuſmodi morbo contaminatos à Sacris excludebat. Primam immunditiam non tollebant Sacerdotes: ſed ad ſummum nonnulla præſcribebant, quibus morbus ſanari poſſet, ac tandem pluribus diebus probatum leproſum, ut refertur Levit. cap. 13. & 14. ſanatum declarabant. Secundam verò immunditiam, hoc eſt, legalem pro poteſtate à Deo ſibi collata, auferebant Sacrificiis & aliis cæremoniis legalibus citato cap. 14. præſcriptis, nec leproſum ſic probatum declarabant dumtaxat, ſed revera efficiebant mundum. Similiter in quolibet peccatore duplicem immunditiam diſtinguere oportet, actualem ſcilicet, & habitualem. Actualis eſt mentis cæcitas, qua bona terrena pluris facit, quàm cœleſtia; & cordis duritia, qua malum delectat, & virtus diſplicet: habitualis verò eſt ipſa macula peccati, & privatio gratiæ ſanctificantis, quæ ſequitur ex pravis actibus præteritis. Nam homicidium aut adulterium præteriit, inquit Sanctus Auguſtinus, ſed manet reatus peccati. Primam immunditiam, actualem nempe, Deus per ſe ſolum tollit, ſecundam verò per ſuum Miniſtrum. Sed ſicut in veteri lege Sacerdos legalem immunditiam ex lepra contractam abſtergere non poterat, quin priùs probaſſet leproſum verè eſſe ſanatum, & ſi quid dubii ſupereſſet, illum recludere tenebatur ex cit. cap. 13. donec ipſi conſtaret eum priſtinæ ſanitati eſſe reſtitutum, tuncque Sacrificiis & aliis cæremoniis legalibus mundum non ſolùm declarabat, ſed etiam efficiebat. Sic in nova lege Miniſter Chri-

ſti

ſti ſolvere nequit à reatu culpæ & pœnæ æternæ, niſi quos Deus ſanaverit à priſtinis erroribus, & illicitis cupiditatibus; non Sacerdotum ſententia, inquit Sanctus Hieronymus, ſed reorum vita apud Deum quæritur. Vita, inquam, non priſtina, cùm in reis mala fuerit, ſed recens mutata, & à pravis deſideriis expurgata, de qua ſi ſatis non conſtiterit Sacerdoti, ut prudens judicium ferre poſſit, illos pro officio ſuo recludet, hoc eſt, differet, quoadusque deprehendat Deum ipſis placatum & propitium abſtuliſſe immunditiam actualem, hoc eſt, cor lapideum, & dediſſe cor carneum, at tunc demum illos ſolvet ab immunditia habituali, nempe à reatu peccati & pœnæ æternæ. Et hæc ad mentem S. Doctoris; ait enim, *cùm peccatorum audierit varietates, ſcit quis ligandus ſit, quiſve ſolvendus.* Nimirum cùm per Confeſſionem Sacramentalem intellexerit, an lepra ſit perſeverans, aut volatilis, ut dicitur cit. cap. 13. Lev. hoc eſt, an reus peccaverit ex inolita conſuetudine contrariis operibus nondum correcta, tumque differendo eum ligabit an ex infirmitate, & præter piam agendi conſuetudinem, tuncque illum non ſolutum declarabit, ſed revera ſolvet, ſcilicet reatu peccati, ac pœnæ æternæ.

Atque ex hac explicatione facilè conciliantur Sancti Patres, qui ſecum pugnare videntur, cùm poteſtatem remittendorum peccatorum Eccleſiæ conceſſam ita aſſerunt contra Montaniſtas & Novatianos, ut uno ore conclament ſolius Dei eſſe peccata dimittere: *ſolus Dominus*, inquit Sanctus Cyprianus ſer. de lapſis, *miſereri poteſt; veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt largiri.* Sanctus quoque Ambroſius lib. 3. de Spiritu San-

cto cap. 18. *Per Spiritum Sanctum peccata donantur: homines autem ad remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent:* nempe solus Deus veniam peccatis largiri potest; non solùm quia virtus ejus & potestas per Ministros Ecclesiæ operatur; sed maximè quia Ministri nequeunt pro libitu solvere quos voluerint, sicut Episcopus potest pro libitu, quamvis illicitè, Sacerdotes ordinare indignos & minimè vocatos; verè enim non solvunt, nisi quos Deus efficaciter vocaverit, quodammodo suscitaverit, & à pravis cupiditatibus ipse priùs solverit. *Deus thesauro suo providet*, inquit Tertullianus lib. de pœnit. cap. 6. *nec sinit obrepere indignos.*

Dices 3. negari non potest, *quin absolvere* idem planè significet ac *solutum declarare;* namque 1. in foro externo Judex dicitur absolvere injustè accusatum, cùm eum innocentem declarat. 2. qui cum perfecta contritione accedit ad tribunal pœnitentiæ, jam remissionem peccatorum consecutus est, & nihilominus Sacerdos, excepta ejus confessione, super eo verè pronunciat, *Ego te absolvo*, quod falsò diceret, nisi verba illa juxta usum receptum significarent, *Ego declaro peccata tua esse dimissa:* Ergo.

Nego anteced. In primo enim exemplo injustè accusatum simul absolvit à falsis criminationibus, & innocentem declarat. In secundo etiam Sacerdos non declarat quod nescit, scilicet peccata esse remissa, cùm nec ipsi, nec pœnitenti constet contritionem, de qua sermo est, charitate esse perfectam. Sed esto ex divina revelatione id noverint, quemadmodum nota fuit Christo perfecta contritio mulieris peccatricis Luc. 17.

Nihil-

Nihilominus abſolutio non erit nuda declaratio; verba enim illa, *ego te abſolvo*, ſignificant, Ego, quantùm in me eſt, remitto peccata tua, do tibi gratiam reconciliativam, quod verum eſt, 1. reſpectu ejus qui acceſſit jam juſtificatus: tum quia recepit gratiam peccati remiſſivam: tum quia ampliùs cum Deo reconciliatur, & creſcit in ejus gratia: tum quia ipſi remittitur aliquid pœnæ temporalis, quæ ex dicendis luenda remanet, culpa jam in Sacramento Pœnitentiæ deleta. 2. reſpectu etiam illius, qui defectu diſpoſitionis ponit gratiæ obicem; nam Miniſter Sacramenti, quantum in ſe eſt, illum ſolvit à peccato, quemadmodum Medicus hoc ipſo, quo præſens & efficax remedium offert infirmo, verè dicit, *ego te ſano*, etiamſi moroſus infirmus noluerit eo uti.

# CAPUT IV.

## Ad quæ peccata ſe extendat ſolvendi poteſtas Eccleſiæ conceſſa?

Ordo doctrinæ poſtulat, ut inveſtigemus circa quæ peccata exerceri poſſit illa ſolvendi poteſtas, per quam verè & propriè dimitti peccata, capite præcedenti demonſtravimus.

Diximus jam poteſtatem illam non ſe extendere ad peccata, quæ Baptiſmum præceſſerunt, utpote extra Eccleſiam commiſſa; quia ſolvendi poteſtas exercetur per modum judicii: atqui Eccleſia non judicat de iis quæ foris ſunt: Ergo poteſtas ſolvendi non ſe extendit ad peccata Baptiſmum præcedentia, ac proinde qui in ætate adulta baptizatus eſt, fruſtra miſceret in Confeſſione

Sacramentali peccata Baptiſmum præcedentia cum peccatis Baptiſmum ſubſequentibus; de prioribus enim Sacerdos judicium ferre non poteſt.

Tota igitur quæſtio eſſe poteſt de peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, circa quam duplex eſt oppoſitus error; alter, quem perſtrinxit Leo X. in ſua Bulla contra Lutherum art. 8. & Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. can. 7. nimirum non licere confiteri peccata venialia: alter Montaniſtarum & Novatianorum, quo negabant eſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi graviora quædam peccata. Contra utrumque errorem ad propoſitam quæſtionem

R. Solvendi poteſtas ſe extendit ad omnia omnino ſive leviora, ſive graviora peccata poſt Baptiſmum commiſſa, ita tamen ut venialia ſint materia circa quam dumtaxat ſufficiens, lethalia verò neceſſaria. Reſponſio eſt de fide quoad utramque partem; ita enim definiit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis: *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſariam non eſſe jure divino, confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorùm memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur.* Et paucis interjectis, de venialibus ſic pergit; *aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.*

Prima pars, quæ eſt de venialibus, probatur 1. ex Scriptura Matth. 16. & 18. promittit Deus ſe daturum Apoſtolis eam poteſtatem, ut quæcunque ſolverint in terris, ſoluta quoque forent in cœlis. Joannis autem c. 20. promiſſum exequitur his verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum*

*rum remiſeritis peccata* &c. nulla in iis teſtimoniis peccatorum diſcretio, omnia ſive levia, ſive gravia, Chriſtus abſque exceptione aſſerit dimitti poſſe ab Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus: Ergo.

Probatur 2. ex Traditione.

Tertullianus vicinus temporibus Apoſtolorum, cùm jam ad Montanum defeciſſet, ita denegavit Eccleſiæ poteſtatem dimittendi graviora peccata, ut in ea agnoverit poteſtatem dimittendi leviora, quæ enumerat lib. de Pudicitia cap. 19. his verbis: *Et hic enim illam Joannes* (aſſerens neminem eſſe ſine peccato) *commendavit, quòd ſint quædam delicta quotidianæ incurſionis, quibus omnes ſimus objecti: cui enim non accidet, aut iraſci iniquè & ultra Solis occaſum: aut & manum immittere: aut facilè maledicere: aut temerè jurare; aut fidem pacti deſtruere: aut verecundia, aut neceſſitate mentiri? In negotiis, in officiis, in quæſtu, aut victu, in viſu, in auditu quanta tentantur, ut ſi nulla ſit venia iſtorum, nemini ſalus competat? Horum ergo erit venia per exoratorem Patris Chriſtum.*

Nec dicas Tertullian. hic vocare levia comparatè ſolùm ad graviora, cùm manum in proximum mittere, & ei maledicere ſint peccata lethalia. Namque iis annumerat iram, mendacium ex verecundia, & cætera quotidiana peccata, à quibus vita, etiam Juſtorum, immunis eſſe nequit: atqui ejuſmodi peccata quotidiana non ſunt lethalia; hæc enim Juſti cautè declinant, & quidem plures per totam vitam.

Atque vel ex hoc teſtimonio ſatis liquet univerſalem Eccleſiæ praxim, ſecundùm quam Fideles peccata venialia ſubjicere ſolent clavibus Eccleſiæ non eſſe novam, ſed ab Apoſtolis deſcen-

 dere,

dere, cùm tempus aſſignari nequeat, ex quo cœperit in Eccleſia.

Dixi, peccata venalia eſſe Sacramenti materiam ſufficientem; quia, ut docent Patres Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. *Venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quanquam rectè & utiliter, citraque omnem præſumptionem in Confeſſione dicantur, quod piorum hominum uſus demonſtrat, taceri tamen citra culpam, multiſque aliis remediis expiari poſſunt.*

Dices 1. Peccata lethalia vulgò dicuntur neceſſaria Sacramenti materia: ergo ſolvendi poteſtas exerceri non poteſt, niſi circa peccata lethalia, quemadmodum ex eo quòd aqua naturalis ſit neceſſaria Baptiſmi materia, Baptiſmus ſine aqua conferri nequit.

Diſtinguo anteced. Peccata lethalia dicuntur materia neceſſaria, hoc eſt, neceſſariò clavibus ſubjicienda, Conc. Neceſſaria ipſi Sacramento, ita ut niſi pœnitens confiteatur ſe reum peccati mortalis, poteſtate clavium abſolvi nequeat, quemadmodum nec Catechumenus ſine aqua tingi, Nego antec. Quod autem priori ſenſu, non poſteriori peccata lethalia dicantur neceſſaria Sacramenti materia, patet ex eo quod venialia ſimul vocentur materia ſufficiens; ſi enim hæc materia ſufficiat Sacramento, proculdubio alia materia, nempe peccatum mortale, non eſt neceſſaria poſteriori ſenſu.

Dices 2. Sancti Patres plura ſuggerunt remedia, quibus peccata venialia curari poſſint, ſcilicet, orationes, lacrymas, eleemoſynas, jejunia, injuriarum condonationes, nuſquam verò Sacramentum Pœnitentiæ proponunt: Ergo.

Nego

Nego conseq. Quia ex argumento negativo nihil concludi potest contra universalem Ecclesiæ praxim, maximè quando argumentum, in quo versatur scriptor, nonnulla prætermitti postulat: Patres quippe tractant de remediis necessariis, iisque continuo adhibendis ad eluenda peccata venialia; cùm enim vita hominis sit militia super terram, nec possit quis tam solerter declinare ictus adversarii, scil. concupiscentiæ & superbiæ, quin sæpius vulneretur, juxta illud Prov. 24. vers. 16. *Septies .... cadet Justus*, continuis ei opus est remediis: atqui Confessio Sacramentalis nec est necessaria ad delenda peccata venialia, ut jam diximus, nec continua esse potest: ergo mirum non est, si ejus non meminere SS. Patres: dum enumerant remedia necessaria & quotidiana sanandis peccatorum venialium vulneribus. Sed ex eorum verbis concludamus necesse est hallucinari eos, qui quotidianis peccatis mederi se putant Confessione Sacramentali absque ullo doloris sensu & cordis compunctione, semper parati ad committendum & confitendum. Septies quidem in die cadit Justus, sed per quotidianam pœnitentiam toties resurgit: *Peccatum*, inquit S. Chrysostomus, hom. 11. in 1. ad Cor. *si quando ad animam ejus divertit, hospes est, non incola.*

Secunda pars, quæ est de peccatis lethalibus quibuscunque, probatur 1. ex Scriptura, quæ laudatis cap. Matth. 16. & 18. & Joan. 20. nullis limitibus solvendi potestatem Apostolis concessam circumscribit, *quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Hic quidquid peccati nomine intelligitur, Apostoli absque exceptione dimittere pos-

 sunt.

ſunt. Hac poteſtate uſus eſt Apoſtolus 2. Cor. 2. erga Corinthium horenda ipſis gentibus fornicatione pollutum, nempe cum uxore patris ſui 1. Cor. 5. verſ. 1. ipſum enim poſt duram pœnitentiam Eccleſiæ reſtituit. Vim hujuſce exempli Tertull. Montaniſta factus, declinare non potuit cap. 14. lib. de pudic. niſi negando, reclamante ipſa textus evidentia, unum, & eundem eſſe hominem, quem Apoſtolus 1.Corinth.5. Satanæ tradiderat in carnis interitum, & quem 2. Corinth. 2. tam benignè ſuſcepit. Hunc locum adversùs Novatianos urgent ſanctus Athanaſius epiſt. 4. ad Serapionem, & S. Ambroſius lib. 1. de Pœnitentia cap. 7.

Probatur 2. ex Traditione.

S. Clemens Alexandrinus apud Euſeb. lib. 3. Hiſtoriæ c. 23. refert S. Joannem Evangeliſtam Eccleſiæ reddidiſſe perditiſſimum juvenem, qui poſt Baptiſmum latronum ducem ſe conſtituerat: errantem ovem quæſivit B. Apoſtolus, ad Eccleſiam reduxit, ac pœnitentiæ lacrymis purgatam communioni reſtituit.

Sanctus Cyprianus epiſt. 54. cum 36. aliis Epiſcopis, ſcribit ad Sanctum Cornelium Summum Pontificem, ſe communi conſilio decreviſſe lapſos in perſecutione, ac ſacrificiis illicitis maculatos, ſed poſtea pœnitentes, Eccleſiæ reconciliandos ante pœnitentiam integrè peractam, ſi periculum infirmitatis urgeret: *Nec enim*, inquit, *fas erat, aut permittebat paterna pietas, & divina clementia Eccleſiam pulſantibus claudi, & dolentibus & deprecantibus ſpei ſalutaris ſubſidium denegari, ut de ſæculo recedentes ſine communicationè, aut pace Domini dimitterentur, cùm permiſerit ipſe, qui legem dedit, ut ligata in terris, etiam*

*in*

*in cœlis ligata essent : solvi autem possent illic , quæ hic priùs in Ecclesia solverentur.* Mitto posteriores Patres , ut sanctum Pacianum , sanctum Ambrosium, & alios, qui ex professo Novatianorum errorem confutarunt, ex quibus constat Ecclesiæ traditam fuisse à Christo potestatem solvendorum quorumcunque peccatorum.

## *Solvuntur Objectiones.*

Multa objiciuntur contra posteriorem responsionis nostræ partem, quibus ut fiat satis, operæ pretium est advertere peccatum dupliciter dici posse irremissibile. 1. Ex parte subjecti, nempe si peccator, propter gravitatem, & multitudinem peccatorum, prorsus deseratur à Deo, careatque omni gratia ad agendam pœnitentiam; peccatum enim cum impœnitentia conjunctum, est absolutè irremissibile. 2. Ex parte potestatis, quæ ad solvenda omnia peccata sese non extendat, quasi admittendi sint quidam graviores casus, ita Deo reservati ut ab eis, Ecclesia etiam pœnitentes absolvere nequeat. Utrùm autem Deus aliquos ita deserat, ut pœnitendi gratiam ipsis prorsus deneget, quæstio est Scholæ, quam expendimus suo loco in Tractatu de gratia, ubi varias Theologorum opiniones retulimus. Utrùm verò Deus graviorum quorumdam peccatorum veniam sibi reservaverit, pertinet ad dogma fidei, quòd hic tractamus.

Qui opinantur Deum quibusdam, v. g. obduratis, donum pœnitentiæ denegare, facilè se extricant ab omnibus difficultatibus, quæ petuntur è Scripturis, in quibus legitur Deum in interitu impio-

impiorum ridere, quibusdam peccatis veniam non concedere ſive in hoc ſeculo, ſive in futuro, eſſe quoddam peccatum ad mortem, pro quo expiando non relinquitur hoſtia, &c. Una enim eorum reſponſio eſt, ideò peccata illa non dimitti; quia deeſt in peccatoribus vera & legitima pœnitentia; Deus enim, inquiunt, omnibus verè pœnitentibus veniam promiſit; ſed nemini pollicitus eſt ſe donum pœnitentiæ conceſſurum, ne homines ſpe veniæ liberiùs in peccata ruerent, & clementiam Dei facerent ſervitutem, ut loquitur Tertullianus.

Qui verò nobiscum aliter de bonitate Dei ſentiunt, docentque Deum neminem totaliter deſerere, quamdiù hìc ſupereſt, ſed omnes, etiam induratos, ad pœnitentiam adducere, auxiliis ſaltem remotè ſufficientibus, quæ impotentiam moralem non excludunt, ſed phyſicam dumtaxat, ut diximus cit. Tractatu de Gratia, conſequenter admittunt quædam peccata, maximè induratorum, eſſe moraliter irremiſſibilia, non ex parte ſeu defectu poteſtatis Eccleſiæ, ſed ex parte ſubjecti, ſeu defectu peccatoris, qui nunquam totas vires exeret ad agendam, ut par eſt, pœnitentiam; ſicque ad momenta ex Scripturis & Patribus deprompta, quibus Hæretici contra doctrinam Catholicam aſtruere nituntur quædam peccata eſſe irremiſſibilia, reſpondent diſtinguendo: Irremiſſibilia dicuntur ex parte ſeu defectu poteſtatis Eccleſiæ negant: ex parte ſeu defectu ſubjecti non pœnitentis ut oportet, non concedunt, ſicut patroni prioris ſententiæ, ſed ſubdiſtinguunt; dicuntur irremiſſibilia moraliter, concedunt: phyſicè & abſolutè, negant.

Hæc

Hæc quidem ſolutio eſt veluti clavis pervia ad reſeranda quæ occurrunt obſcura in libris ſacris & SS. Patrum; ſed præferendæ ſunt, quia ipſimet textus jamjam obtinendi ſuppeditant, ſolutiones. Itaque

Dices 1. 1. Reg. 2. habetur: *Si peccaverit vir in virum: placari ei poteſt Deus: Si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* 2. Machabæorum 9. v. 13. de Antiocho legitur, *orabat . . . hic ſceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus.* Et Matth. 12. v. 31 *Omne peccatum & blaſphemia remittetur hominibus: ſpiritus autem blaſphemiæ non remittetur; & quicunque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum ſanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Quem locum expendens S. Athanaſius epiſt. 4. ad Serapionem, probat 1. non omnia baptizatorum peccata eſſe in Spiritum ſanctum, ut immerito Origenes & Theognoſtus dicebantur aſſeruiſſe; quia cum omne peccatum in Spiritum ſanctum ſit irremiſſibile, viciſſent Novatiani, negantes Eccleſiæ poteſtatem dimittendi gravia peccata poſt Baptiſmum commiſſa. Deinde S. Doctor ſtatuit ſuam ſententiam, nempe peccatum in Spiritum ſanctum eſſe ſingularem peccati ſpeciem; unde concludit contra Novatianos, non omnia Baptizatorum peccata eſſe irremiſſibilia, ſed certum quoddam, quo negatur Chriſti divinitas, & opera ejus Beelzebub adſcribuntur.

R. 1. Generatim. Quæ hìc opponuntur ex Scriptura, non de baptizatis ſcripta ſunt, cùm nondum extaret Baptiſmi præceptum: atqui nullus, ſive Montaniſta, ſive Novatianus auſus eſt dicere in Baptiſmo omnia peccata non poſſe dimitti.

R. 2.

R. 2. Ad ſingula.

Ad primum reſpondeo cum S. Ambroſio libro 1. de Pœnitentia cap. 9. non eſſe dictum, *nullus orabit*, ſed *quis orabit ?* quia ad Deum tali in caſu exorandum, opus eſt homini ſingularis apud Deum gratiæ, qualis Moyſes fuit, qui Deum Judæis ob idololatriam iratum placavit. Et cap. 10. S. Doctor ſcribit eodem ſenſu accipiendum illud 1. Joan. 5. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis ;* nempe Apoſtolum non prohibere quominus Fideles orent pro ejusmodi peccatore, ſed innuere dumtaxat non ita eſſe certum orationis effectum, ac ſi oratio fieret pro peccante non ad mortem ; quia ex S. Auguſtino l. 1. de ſerm. Dom. in monte c. 22. *Illius peccati tanta labes eſt, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit.* Et lib. retract. c. 19. recenſens illa verba, ne viderentur peccanti ad mortem omnem veniæ ſpem adimere, ſic ſcribit : *Addendum fuit, ſi in hac tam ſcelerata mentis perverſitate finierit hanc vitam ; quoniam de quocunque peſſimo in hac vita conſtituto non eſt utique deſperandum, nec pro illo imprudenter oratur, de quo non deſperatur.*

Ad ſecundum reſpondeo cum ſancto Thoma in 4. diſtinct. 1. *Dicendum*, inquit, *quòd veniam verè conſecuturus fuiſſet Antiochus, ſi verè pœnituiſſet ; ſed non habuit veram pœnitentiam ; quia non amore juſtitiæ dolebat peccata, ſed timore pœnæ, quam exſpectabat, aut dolore pœnæ, quam ſuſtinebat.* Si igitur Antiochus ex perfecta cordis contritione ad Deum fuiſſet converſus, veniam fuiſſe conſecuturum non dubitaret ſanctus Auguſtinus, qui ſer. 352. alias 27. inter homilias 50. ſic ſcribit de Juda ſceleratiore,

capit.

capit. 3. *Judam traditorem non tam scelus quod commisit, quàm indulgentiæ desperatio fecit penitus interire.*

Quòd de Antiocho diximus, idem de Esau sentiendum; flevit quidem, Hebr. 12. vers. 17. non peccata, sed amissam hæreditatem; fratris enim occidendi consilium animo volvebat: *Venient*, inquit, Gen. 27. *dies luctus patris mei, & occidam fratrem meum Jacob.* Quanquam illa Apostoli verba, *non invenit pœnitentiæ locum*, non videntur intelligenda, nisi de pœnitentia Isaac, ad quam Esau lachrymis patrem suum movere conabatur, ut scil. benedictionem Jacobo impertitam revocaret; sed non modò sanctus Senex illam non revocavit facti pœnitens, quin illam expressè confirmavit, *benedixi ei*, inquit, *& erit benedictus.*

Ad tertium exposuimus Tract. de peccatis pag. 189. quid sit peccatum in Spiritum sanctum, & quo sensu dicatur irremissibile; nempe quatenus gravioris illius peccati reus pœnitentiæ remedia, sine quibus nullum peccatum remitti potest, penitùs negligit.

Ad confirmationem petitam ex auctoritate tum Origenis & Theognosti, tum sancti Athanasii; Respondeo 1. obscura esse verba, quæ in laudata epistola tanquam ex Origene & Theognosto proferuntur; ait enim sanctus Athanasius sententiam illam inquisitione adhuc indigere, ne fortè profundior in illis ipsorum dictis mens lateat.

2. Origenes disertè & constanter doctrinam Catholicam adversùs Montanistas propugnavit, ut colligitur ex variis ejus scriptis; sed præsertim lib. 3. contra Celsum, cui exprobranti quòd Ecclesia homines variis sceleribus post Baptismum inqui-

inquinatos reciperet, ſic reſpondet: *Rurſum reſipiſcentes haud ſecus quàm redivivos recipit: tandem poſt longiorem melioris mentis approbationem, ea tamen conditione, ut, qui lapſi ſunt, in poſterum excludantur ab omnibus dignitatibus Eccleſiaſticis.*

3. Sanctus Athanaſius id unum probat, ſcilicet non omnia baptizatorum peccata eſſe in Spiritum ſanctum; ſed unum quoddam ſingulare, quod quidem fatetur irremiſſibile; quo verò ſenſu hìc non explicat, ſed diſertè exponit Tractatu de communi eſſentia Patris, Filii, & Spiritus ſancti, ubi ſic habet: *Sunt alii, qui in Spiritum ſanctum impingunt, qui ſcilicet, in Chriſti veritatem blaſphemiam dicunt, ajuntque*, in Beelzebub ejicit dæmonia. *De iſtis intelligendum eſt, quod ait; non remittetur neque in præſenti ſæculo, neque in futuro; quin & hoc obſervandum eſt, non dixiſſe Chriſtum, blaſphemanti & pœnitentiam agenti remiſſionem dandam non eſſe, ſed blaſphemanti, id eſt, in blaſphemia perſeveranti: quandoquidem nullum eſt peccatum irremiſſibile apud Deum illis, qui verè ex animo, ut par eſt, pœnitentiam agunt.*

Cæterùm, movere non debet, quòd ſanctus Athanaſius in laudata epiſtola dixerit, peccatum in Spiritum ſanctum eſſe irremiſſibile; namque iſta loquendi ratio, utpote ex Evangelio deſumpta, familiaris eſt ſanctis Patribus, etiam iis, qui ex profeſſo & conſtanter uſque ad mortem Novatianos inſectati ſunt. S. Cyprianus lib. 3. ad Quirinum cap. 28. ait, *non poſſe in Eccleſia remitti ei, qui in Dominum deliquerit.* S. Pacianus epiſt. 3. ad Sympronianum de peccato in Spiritum ſanctum: *Hoc ergo eſt*, inquit, *quod in Eccleſia non dimittitur.* S. Ambroſius lib. 1. de Spiritu ſancto cap. 3. *Si quis Spiritus*

*ritus ſancti majeſtatem abnegét, non poteſt ibi exoratio eſſe veniæ, ubi ſacrilegii plenitudo eſt.* Et ad virginem lapſam ſic loquitur: *Inhære pœnitentiæ uſque ad exitum vitæ, nec tibi præſumas ab humano die poſſe veniam dari, quia decipit te, qui hoc tibi polliceri voluerit; quæ enim proprie in Dominum peccaſti, ab illo te convenit in die judicii expectare remedium.*

Atqui certo certius eſt in his & ſimilibus textibus, ubi ſermo eſt non ſolùm de ſingulari blaſphemia in Spiritum ſanctum, ſed etiam de plerisque aliis in Deum peccatis, laudatos Patres non deſeruiſſe cauſam Eccleſiæ, quam tam ſtrenue adversùs Novatianos propugnarunt; ſed baptizatos deterrere voluiſſe, ne ſpe veniæ incautiùs prolaberentur, cùm difficile ſit, aliquando etiam moraliter impoſſibile eam conſequi: *Paucorum eſt*, inquiebat ſupra S. Pacianus, *qui poſt caſum reſurgunt, qui poſt vulnera convaleſcunt, qui lachrymoſis vocibus adjuvantur, qui carnis interitu reviviſcunt.* Et S. Ambroſius teſtatur plures ſe vidiſſe, qui in gratia ſteterint (quamvis ſint admodum rari) quàm qui ſemel amiſſam recuperaverint. Ergo æquitas poſtulat ut ſimili modo interpretemur S. Athanaſium, & S. Hieronymum in epiſtola 149. ad Marcellam, cùm nudè aſſerunt, duce Chriſto, Spiritum blaſphemiæ non remitti, neque in hoc ſæculo, neque in futuro.

Inſtabis: In laudata epiſtola ad Serapionem non agitur utrùm gravia peccata poſt Baptiſmum ſint moraliter impoſſibilia; ſed utrùm ſimpliciter & abſolutè remitti nequeant. Atqui ſanctus Athanaſius aſſerit unum quoddam ſingulare in Spiritum ſanctum eſſe irremiſſibile, cætera verò remitti

mitti poſſe, quamvis difficiliùs: Ergo S. Athanaſius ſenſit cum Novatianis, peccatum in Spiritum ſanctum abſolutè non poſſe in Eccleſia remitti.

Nego ſecundam majoris partem, nempe in laudata epiſtola quæſtionem verſari, an peccata poſt Baptiſmum ſint abſolutè irremiſſibilia; ſed utrum omnia rectè dicantur in Spiritum ſanctum; illud autem poſterius negat S. Athanaſius, ne inde argumentum ſumant Novatiani pro ſuo errore, cùm Chriſtus in Evangelio aſſeruerit peccatum in Spiritum ſanctum non remitti neque in hoc ſæculo, neque in futuro.

Diſtinguo etiam minor. Aſſerit peccatum in Spiritum ſanctum eſſe irremiſſibile, juxta Scripturæ ſenſum, Conc. Juxta doctrinam Novatianorum; Nego minor. Non explicat quidem hìc, quo ſenſu Chriſtus dixerit peccatum illud non remitti neque in hoc ſæculo, neque in futuro; ſed disertè expoſuit Tractatu ſupra laudato de communi eſſentia Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

Urgebis: Atqui ex S. Athanaſio viciſſent Novatiani, ſi omnia peccata poſt Baptiſmum eſſent in Spiritum ſanctum, utpote irremiſſibilia: non viciſſent autem ſi peccatum in Spiritum ſanctum eſſet dumtaxat moraliter irremiſſibile. Ergo in mente S. Athanaſiii peccatum in Spiritum ſanctum eſt abſolutè irremiſſibile.

Diſtinguo ſubſumptum, viciſſent ex aliqua parte, quatenus dicebant (ſaltem juxta S. Athanaſium) nulla baptizatorum peccata remitti poſſe in Eccleſia, Conc. Si enim omnia & ſingula ſunt blaſphemiæ in Spiritum ſanctum, non remittuntur neque in hoc ſæculo, neque in futuro: at obſi-

obſiſtit S. Athanaſius, docens blaſphemiam in Spiritum ſanctum, eſſe quoddam ſingulare peccatum, ac proinde Novatianos gratis & ſine fundamento aſſerere omnia & ſingula baptizatorum peccata non poſſe in Eccleſia remitti: viciſſent omni ex parte, Nego ſubſumpt. Nam ſupereſt quæſtio, quam S. Doctor alibi ſolvit, ut diximus, ſcil. quo ſenſu peccatum in Spiritum S. ſit irremiſſibile; eam autem hic non ingreditur; quia ſatis eſt ad ejus propoſitum, probaſſe non omnia peccata poſt Baptiſmum eſſe in Spiritum ſanctum; nec proinde poſſe dici irremiſſibilia.

Cur autem peccatum in Spiritum ſanctum cæteris difficiliùs remittatur, aperit S. Pacianus epiſtol. 3. his verbis: *Quia in cæteris peccatis, aut errore labimur, aut frangimur metu, aut carnis infirmitate ſuperamur.* Hinc Apoſtolus 1. ad Timoth. 1. ait ſe miſericordiam conſecutum, quia ignorans fecerat in incredulitate: & ipſemet Chriſtus Dominus cit. cap. Matth. 12. aſſerit peccatum blaſphemiæ in Filium hominis, hoc eſt, in ejus humanitatem, eſſe dimittendum; ipſa enim ejus infirmitas, & abjectio blasphemantes aliqua ex parte excuſabant.

At in blaſphemia contra dona Spiritus ſancti, hoc eſt contra veritatem, quæ manifeſtabatur per miracula, & alia bona opera, nihil eſt quod ejuſmodi peccati gravitatem minuere poſſit, ut obſervat S. Chryſoſtomus hom. 42. in Matth. ubi ſic loquitur: *Spiritusne, inquies, blaſphemiæ non dimittetur pœnitentibus? quod omninò falſum eſſe patet; nam & hoc peccatum dimiſſum ſcimus, cùm multis eorum, qui talia in Spiritum ſanctum dixerant, ignotum eſſe conſtet. Quid igitur eſt quod dicis? ſignificare voluit multò minùs*

*cæteris hoc esse ignoscibile ac veniale. Quamobrem? quia videlicet quisnam esset Christus ignorabant: Spiritus autem sancti gratia multis, & magnis signis seipsam manifestaverat.*

Dices 2. Hebr. 6. dicitur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati . . . & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Ergo.

Distinguo antec. Impossibile est rursus renovari per Baptismum, Conc. per Sacramentum Pœnitentiæ, subdistinguo; impossibile est renovari ea perfectione & plenitudine, quæ confertur in Baptismo, Conc. Renovari per veram cum Deo reconciliationem, iterum distingui potest; impossibile est moraliter, Conc. Absolutè, Nego anteced. Tripliciter itaque exponitur iste Apostoli locus, propter cujus obscuritatem multi in Ecclesia latina hancce epistolam seriùs in canonem receperunt.

Primo, S. Athanasius citata epistola 4. Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 7. Epiphanius hæresi 50. Chrysostomus hom. 9. in epist. ad Hebr. quem ibidem sequuntur Theodoretus, Theophylactus, & Oecumenius, S. Augustinus in expositione inchoata epist. ad Rom. & S. Joannes Damascenus lib. 4. orthod. fidei cap. 10. locum illum interpretantur de renovatione, quæ fit per Baptismum, quasi Apostolus falsam Judæorum opinionem pervertere voluerit hisce verbis: *Ne existimetis, o Judæi, Baptisma Evangelicum simile esse baptismatibus legalibus*, quæ toties in lege Mosaica repetere licuit, quoties aliquis nova immunditia contaminatus fuerat: Baptisma quippe Evangelicum est tum divina quædam regeneratio; sicut enim homo semel nascitur, ita semel

femel in Chrifto renafci poteft; tum fignum mortis Chrifti: *Quicunque baptizati fumus in Chrifto Jefu, in morte ipfius baptizati fumus; confepulti enim fumus cum illo per Baptifmum in mortem*, Rom. 6. Unde cùm iterùm baptizari, effet quafi Chriftum fecundo crucifigi, fubdit verf. 6. *rursùm crucifigentes fibimetipfis Filium Dei, & oftentui habentes.*

Secundò, Origenes & Theognoftus apud S. Athanafium cit. epift. 4. & quamplurimi recentiores, locum illum intelligunt de renovatione, quæ fit per Sacramentum Pœnitentiæ, fed non eodem modo mentem fuam explicant.

Alii volunt Apoftolum dixiffe moraliter dumtaxat impoffibile effe fic renovari, aliàs fibi contradiceret, utpote qui inceftum Corinthium poft duram pœnitentiam communioni Fidelium reftituerit, 2. Cor. 2. & fcripferit Gal. 4. fe iterum parturire Galatas, qui à gratia exciderant, & à Chrifto evacuati erant, Gal. 5. Sed ex iis, qui locum Apoftoli de Sacramento Pœnitentiæ interpretantur, nonnulli contendunt Apoftolum non intelligendum de impoffibilitate morali, fed de abfoluta: tum quia res, quæ frequenter contingit, ut pœnitentia poft lapfum, non dicitur fimpliciter impoffibilis, tum quia Apoftolus in hac eadem epiftola vocem, *impoffibile*, femper ufurpat ad fignificandam abfolutam impoffibilitatem, ut c. 6. *impoffibile eft mentiri Deum:* Cap. 10. *impoffibile enim eft fanguine hircorum & taurorum auferri peccata*; Cap. 11. *fine fide autem impoffibile eft placere Deo.*

Alii igitur volunt Apoftolum fcribere impoffibile effe lapfos renovari per Sacramentum Pœnitentiæ, ea facilitate & perfectione, qua renovati fuerant per Baptifmum; nam ex fancto Athanafio

 epift.

epist. 4. sæpiùs laudata, latum est discrimen inter renovationem regenerationis, & renovationem reconciliationis: *Is quem pœnitet*, inquit, *peccare quidem desinit, retinet tamen vulnerum cicatrices: qui autem baptizatur, veterem exuit hominem, renovatur supernè genitus spiritu gratiæ.* Et ex Patribus Tridentinis sess. 14. cap. 2. *Alius est prætereà Baptismi, alius pœnitentiæ fructus: per Baptismum enim Christum induentes, nova prorsùs in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: ad quam tamen novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus & laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus: ut meritò pœnitentia laboriosus quidam Baptismus à sanctis Patribus dictus fuerit.*

Instabis: Apostolus ejusdem epistolæ cap. 10. vers. 25. & 26. lapsis post Baptismum adimit omne remedium; sic enim habet: *Non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam... voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio:* Ergo.

Distinguo anteced. Lapsis per apostasiam a Christo, & in ea permanentibus, ut verba illa declarant, *non deserentes collectionem nostram.* Conc. Lapsis quibusque pœnitentibus, Nego anteced. His itaque verbis occurrit Apostolus falsæ Judæorum opinioni, qui expectant alium Messiam & Redemptorem, scribitque nullam relinqui hostiam iis, qui deserunt collectionem seu Religionem Christianam.

Q. *Unde colligitur peccata lethalia post Baptismum commissa, esse materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. 1.

R. 1. Non colligitur ex illis verbis præcisè : *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*, Joan. 20. *Et quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Matth. 18. quia verba illa indicant quidem Sacramentum Pœnitentiæ eſſe quoddam remedium utile & efficax, ſed non unicum ad delenda quælibet peccata, ſive leviora, ſive graviora ; cùm ſine eo venialia ſolvi & dimitti poſſint. Itaque

R. 2. Colligitur ex verbis cum præcedentibus connexis : *quorum retinueritis, retenta ſunt ; quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.* His enim verbis declarat Chriſtus quædam eſſe peccata, quæ niſi hìc dimittantur & ſolvantur per claves Eccleſiæ, nunquam dimittenda nec ſolvenda ſunt in cœlo : Atqui illa peccata non ſunt venialia : ſi enim Juſtus decedat cum venialibus per claves Eccleſiæ nondum dimiſſis nec ſolutis, nihilominus Deus ea dimittet & ſolvet: Ergo verba Chriſti debent intelligi de peccatis lethalibus poſt Baptiſmum, clavibus Eccleſiæ neceſſariò ſubjiciendis.

Ergo Sacramentum Pœnitentiæ eſt neceſſarium neceſſitate medii lapſis poſt Baptiſmum; quia ſine eo ſaltem in voto, ſalutem conſequi nequeunt.

Ergo eſt quoque iiſdem lapſis neceſſarium neceſſitate præcepti divini, Deus enim eo ipſo quo inſtituit medium abſolute neceſſarium ad ſalutem, præceptum impoſuit illius uſurpandi. Infideles, verbi gratia, & Catechumeni tenentur ad Baptiſmum recurrere; quia ſine ipſo non poſſunt introire in regnum cœlorum. Utrùm autem Sacramentum Pœnitentiæ ſit neceſſarium neceſſitate præcepti Eccleſiaſtici, etiam iis, qui non ſunt peccato mor-

tali contaminati, nec proinde præcepto divino aſtricti, expendemus, ubi de Confeſſione.

# CAPUT V.

## Quis ſit Miniſter Sacramenti Pœnitentiæ.

Quæ hactenùs dicta ſunt de ligandi & ſolvendi poteſtate, provocant ad inquirendum ſine intermiſſione penes quos ſit in Eccleſia divina illa poteſtas.

Valdenſes, teſte Reinero libro 5. ſentiebant laicum probum, non verò improbum Sacerdotem habere poteſtatem abſolvendi.

Wiclefus eundem errorem amplexus eſt. Hinc eſt quòd Martinus V. in ſua Bulla ad calcem Concilii Conſtantienſis, in quo damnatus eſt ille Hæreticus jam defunctus, voluit hæreſeos Wiclefi ſuſpectos interrogari, num crederent quòd Fideles, habita copia Sacerdotis idonei, teneantur de neceſſitate ſalutis confiteri Sacerdoti, & non laico, ſeu laicis quantumcunque bonis & devotis?

Pſeudo-reformati, ut aſſerunt peccata poſt Baptiſmum dimitti per prædicationem Evangelii, quatenùs fidem excitat, conſequenter docent ſolvendi poteſtatem eſſe penes eos, qui promiſſa Dei in Evangelio contenta annuntiant etiam per jocum. Kemnitius tamen aſſerit id officii eſſe Paſtorum, & ita obſervant Eccleſiæ, quæ utuntur Lutheri Catechiſmo, in quo præſcribit confeſſionem peccatorum faciendam Pſeudo-miniſtro.

Omnes ejuſmodi errores damnavit Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. ſic enim habet can. 9. *Si quis dixerit abſolutionem ſacramentalem Sacerdotis non eſſe actum*

*actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi & declarandi remissa esse peccata confitenti, modò tantùm credat se esse absolutum; aut Sacerdos non seriò, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri confessionem pœnitentis, ut Sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.* Et can. 10. *Si quis dixerit Sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi, & solvendi non habere: aut non solos Sacerdotes esse ministros absolutionis; sed omnibus, & singulis Christi Fidelibus esse dictum,* quæcunque ligaveritis, &c. *quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata, publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta verò per spontaneam confessionem; anathema sit.* Et capite 7. *Quoniam igitur natura, & ratio judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur; persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem.*

Ad propositam igitur quæstionem,

R. De fide est in Ministro Sacramenti Pœnitentiæ requiri duplicem potestatem, scilicet, Ordinis Sacramentalis & jurisdictionis, ac proinde Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ esse solum Sacerdotem, Episcopum, vel Presbyterum, qui habeat jurisdictionem. Duæ responsionis sunt partes: prima de necessitate potestatis Ordinis, quam quilibet Sacerdos recipit in sua inauguratione; secunda, de necessitate potestatis jurisdictionis, quæ confertur per legitimam vocationem, seu missionem, ut infrà exponemus.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura, Joan. 20. Christus Dominus non alios alloquitur, quàm Apostolos, cum ait: *Quorum remiseritis peccata*, &c.

Ergo ſoli Apoſtoli & eorum ſucceſſores acceperunt à Chriſto poteſtatem dimittendornm peccatorum. Et ita Eccleſiam ſemper intellexiſſe teſtantur Patres Tridentini ſeſſione 14. c 1 Quare,

Probatur 2. Ex Traditione, cujus locupletes teſtes ſunt, præter ſanctos Pacianum, Chryſoſtomum, Hieronymum, Auguſtinum, c. 2. laudatos, ſanctus Ambroſius libro 1. de Pœnitentia cap. 2. *Jus hoc*, inquit, *ſolis permiſſum eſt Sacerdotibus.* Innocentius I. epiſt. ad Decentium cap. 7. ſic ſcribit: *Cæterùm de pondere æſtimando delictorum, Sacerdotis eſt judicare, ut attendat ad confeſſionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc jubere dimitti, cùm viderit congruam ſatisfactionem.* Sanctus Leo epiſt. 82. aliàs 91 cap. 2. ait: *Sic divinæ bonitatis præſidiis ordinatis, ut indulgentia Dei niſi ſupplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri; mediator enim Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus hanc præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Probatur 3. Quia illi ſoli ex inſtitutione divina judicium exercere poſſunt in Eccleſia, quos Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei, & præeſſe Fidelibus. Atqui ſoli Epiſcopi & Presbyteri poſiti ſunt regere Fideles: nulli Diacono dicitur in ſua inauguratione, oportet Diaconum præeſſe; Quia, ut habet liber Pontificalis, Diaconus (à fortiori inferiores Clerici) ad miniſtrandum ordinatur. At Pontifex munia Presbyteri declarat his verbis: *Oportet Presbyterum prædicare, benedicere, baptizare, offerre & præeſſe:* Ergo.

Dices 1. Jacobi 5. verſ. 16. habetur: *Confitemi-*

*ni ergo alterutrum peccata veſtra & orate pro invicem, ut ſalvemini:* Ergo alii, præter Sacerdotes, confeſſiones excipere poſſunt, ac proinde confitentes abſolvere.

Reſp. 1. ad antecedens, non eſſe unum hujuſce textus intellectum.

Alii illum intelligunt de Confeſſione Sacramentali, ita ut ſenſus ſit, confitemini, homines, hominibus, (ſicque *alterutrum*) non quibuslibet, ſed Presbyteris, de quibus Apoſtolus præmiſerat verbis immediatè præcedentibus: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini*, &c. ex quibus verbis infert, *confitemini ergo alterutrum peccata veſtra*; quæ concluſio non videretur elici ex præmiſſis, niſi confeſſio facienda eſſet Presbyteris, de quibus facta eſt mentio.

Alii, ut Venerabilis Beda, hunc locum interpretantur de confeſſione peccatorum venialium. *In hac ſententia*, inquit, *illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviaque peccata coæqualibus alterutrum confiteamur: porrò gravioris lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus.*

Alii contendunt S. Jacobum velle dumtaxat, ut omnes candidè fateamur peccata noſtra, nec ea protervè excuſemus, nempe, ut humili noſtra confeſſione alios provocemus ad orandum pro nobis. Sed quidquid ſit de antecedente,

Reſpondeo 2. Negando ultimam conſequentiam, nempe quòd alii præter Sacerdotes, excepta aliorum confeſſione, poſſint illos abſolvere. Olim quidem Fideles in periculo mortis conſtituti, in quo Sacerdotis copiam non habebant, ſolebant confiteri peccata ſua alicui ex laicis aſtantibus

tibus', ut constat ex Magistro Sententiarum libro 4. distinct. 17. & ex sancto Thoma in hunc locum; sed Confessio illa non erat propriè sacramentalis; sic enim scribit Angelicus Doctor quæst. 8. Supplementi capite 2. ad 1. *Confessio ex defectu Sacerdotis laico facta, sacramentalis est quodammodo,* (quia scilicet, est materia Sacramenti) *quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei quod est ex parte Sacerdotis,* nimirum absolutio. Et ad tertium: *Et ideò oportet quòd iterùm confiteatur Sacerdoti cùm copiam habere potuerit; & præcipuè quia, ut dictum est, Sacramentum Pœnitentiæ perfectum non fuit.*

Dices 2. Sanctus Cyprianus epist. 11. permittit Diaconis, absente Presbytero, etiam absolvere pœnitentes; sic enim scribit: *Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse .... occurrendum puto fratribus nostris, ut qui libellos à Martyribus acceperunt, si incommodo aliquo, aut infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectent præsentiam nostram, quin apud Presbyterum præsentem quemcumque, vel, si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque exomologesim* (confessionem) *facere delicti sui possint; ut manu eis in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt.*

Quod autem per impositionem manuum debeat intelligi absolutio; patet tum quia scribit beatus Martyr, pœnitentes per hujusmodi manus impositionem profecturos cum pace ad Dominum, quod sperandum non esset, nisi habuisset vim peccata dimittendi: tum quia per illam manus impositionem conceditur pœnitenibus quod Martyres desideraverunt: atqui Martyres efflagitaverunt, ut ejusmodi pœnitentes Deo & Ecclesiæ reconciliaren-

liarentur: Ergo ſanctus Cyprianus cenſuit iſta per Diaconum, abſente Presbytero, præſtari poſſe, ac proinde Diaconum habere ſolvendi poteſtatem, ſicut & baptizandi, ſaltem extraordinariam in caſu neceſſitatis.

Confirmatur. Eandem diſciplinam obtinuiſſe, in Hiſpania quidem teſtantur anno 303. Patres Eliberitani can. 3. in Gallia octava ſæculo Alcuinus lib. 1. de divinis Officiis: in Anglia duodecimo ſæculo Concilium Eboracenſe, & Concilium Londinenſe, Odo etiam de Soliaco Epiſcopus Pariſienſis eodem ſæculo.

Diſtinguo antecedens, ſanctus Cyprianus permittit Diaconos abſolvere pœnitentes à pœnis canonicis, eoſque communioni Eccleſiæ reſtituere, Concedo: Abſolvere ſacramentaliter, & à peccatis ſolvere, Nego antecedens. Itaque in illa epiſtola agitur de lapſis publicè pœnitentibus, quorum alii durioribus pœnitentiæ laboribus jam defungebantur; alii ſtadium pœnitentiæ nondum ingreſſi, ad illud decurrendum proſtrati ad pedes Epiſcopi, & Clerici ſuppliciter afflagitabant admitti. Tum Epiſcopus, & cum ipſo Presbyteri & inferiores Clerici manus illis imponebant in pœnitentiam, cui tunc ſubjiciebantur. Interim donec ſtadium abſolviſſent, à ſacris Myſteriis abſtinebant, ac propterea abſtenti vulgò dicebantur. Pro eorum pace & perfecta reconciliatione, Martyres ad ſanctum Cyprianum ſupplices libellos direxerant, quorum precibus annuens beatus Martyr abſens propter perſecutionem, ſcribit ad Clerum, permittitque ut in ejus abſentia, ſi qui pœnitentes infirmitatis periculo occupati fuerint, Presbyter eos reconciliet, quamvis

juxta receptam Ecclesiæ disciplinam, illud munus esset Episcopi. Quòd si desit Presbyter, Diaconus eorum exomologesim, id est, confessionem excipiat, tum manum eis imponat in pœnitentiam, quam si convaluissent, peragere tenebantur, continuòque ab excommunicatione, qua Sacris interdicebantur, illos absolvat, Ecclesiæ reconciliet, ac etiam Viaticum Corporis Domini administret, & ita veniant ad Dominum cum pace; Quia, inquit sanctus Thomas in Supplemento, quæst. 8. art. 2. *Quamvis Sacramentum efficere non possit*, (qui non est Sacerdos) *ut faciat id quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem, scilicet, defectum tamen Sacerdotis Summus Sacerdos supplet*, nimirum propter pœnitentiam, humilitatem, contritionem, & fervens desiderium suscipiendi Sacramentum. Fecit ergo S. Cyprianus, quantùm ex ipso fuit, quidquid postulaverant Martyres.

Atque hæc expositio loci alioquin difficilis suadetur 1. ex sermone ejusdem S. Cypriani de lapsis, ubi agnoscit potestatem dimittendi peccata, esse Sacerdotum propriam: *Confiteantur*, inquit, *singuli delictum suum, dum adhuc qui deliquit in sæculo est, dum admitti confessio ejus potest, dum satisfactio & remissio facta per Sacerdotes apud Dominum grata est.* 2. Ex Eusebio, qui Historiæ lib. 6. cap. 44. refert ex S. Dionysio Alexandrino, Presbyterum infirmitate detentum, Eucharistiam transmisisse per puerum ad quendam pœnitentem, nomine Serapionem periculosè decumbentem, cùm nondum esset absolutione sacramentali donatus. 3. Ex Alcuino, qui citato libro scribit solis Episcopis & Presbyteris claves regni cœlestis fuisse traditas. 4. ex Odone de Soliaco, qui Statuto 56. satis explicat con-

confeſſionem, quam à Diaconis in neceſſitate excipi permittit, non eſſe ſacramentalem; ſic enim habet: *probibetur diſtrictè ne Diaconi ullo modo audiant confeſſiones, niſi in arctiſſima neceſſitate; claves enim non habent, nec poſſunt abſolvere.*

Secunda pars, quæ eſt de poteſtate jurisdictionis abſolutè neceſſaria ad abſolvendum, probatur 1. ex Scriptura, Chriſtus enim Jo. 20. illam conjungit cum poteſtate Ordinis: *Sicut miſit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos.* En poteſtas juriſdictionis, cùm per iſta verba Apoſtoli, jus accipiant regendi Eccleſiam, & gubernandi Fideles. Pergit autem Chriſtus: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata*, quibus verbis confert poteſtatem Ordinis.

Probatur 2. iis omnibus momentis, quibus ſupra cap. 2. demonſtravimus Sacramentum Pœnitentiæ eſſe à Chriſto inſtitutum in ratione judicii reconciliativi, quod exerceri non poteſt ſine juriſdictione.

Confirmatur 1. ex Concilio Lateranenſi IV. can. 21. his verbis: *Si quis . . . . . alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa ſua confiteri peccata, licentiam priùs poſtulet, & obtineat à proprio Sacerdote; cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere vel ligare.* 2. Ex decreto Eugenii IV. pro Armenis: *Miniſter bujus Sacramenti*, inquit, *eſt Sacerdos habens auctoritatem abſolvendi, vel ordinariam, vel ex comiſſione Superioris.*

Dices 1. Quilibet Presbyter in ſua inauguratione accipit poteſtatem dimittendi peccata, non enim fruſtra Epiſcopus manus ipſi imponens, dicit: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata; remittuntur eis:* Ergo.

Diſtin-

Diſtinguo antecedens: Accipit poteſtatem incompletam, Concedo: Completam, ſubdiſtinguo; ſi cum poteſtate Ordinis ſimul conjungatur poteſtas juriſdictionis, ſeu miſſio ad plebem regendam, Concedo: Secùs, Nego anteced. Itaque Apoſtoli completam acceperunt poteſtatem remittendorum peccatorum; Joan. 20. quia Chriſtus ſimul eos præpoſuit regendis Fidelibus: *Sicut miſit me Pater*, inquit, *& ego mitto vos.* Ita antiquitus cum Presbyteri in ſua inauguratione aſcriberentur alicui Eccleſiæ gubernandæ ſub auctoritate Epiſcopi, plenam accipiebant poteſtatem dimittendorum peccatorum. Sed ex quo obtinuerunt ordinationes vagæ, ut loquuntur, contra quas multum diſceptatum eſt in Concilio Tridentino, pluribus aſſerentibus non poſſe iri obviam malis, quæ in Eccleſia obrepſerant, niſi ſancta Synodus, exemplo Concilii Chalcedonenſis, penitus prohiberet Ordinationes ſub titulo patrimonii; Presbyteri ſic ordinati indigent ſpeciali deputatione, qua ipſis aſſignentur ſubditi, quos ligare, aut ſolvere poſſint.

Dices 2. Juriſdictio neceſſaria non eſt neceſſitate Sacramenti, ſed præcepti dumtaxat ad conficienda alia Sacramenta, collatio, verbi gratia, Baptiſmi, vel Ordinis, quamvis ſine juriſdictione ſit illicita, valet tamen, nec iterari poteſt: Ergo.

Nego conſequentiam, & paritatem, Diſparitas eſt, quòd forma aliorum Sacramentorum non ſit actus judicialis ſicut abſolutio, eſſentialiter ſupponens in Miniſtro juriſdictionem, ut docent Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 7. his verbis: *Quoniam igitur natura & ratio judicii illud expoſcit,*

*ut*

*ut ſententia in ſubditos dumtaxat feratur, perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti abſolutionem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet juriſdictionem.*

Dices 3. Privati ſibi poſſunt eligere Judicem arbitrum, & ejus judicio ſe ſubjicere: Ergo Fideles quemlibet Sacerdotem poſſunt eligere in Confeſſarium, eumque ſibi conſtituere Judicem.

Diſtinguo antecedens, poſſunt eligere in cauſis merè civilibus, in quibus agitur dumtaxat de rebus, de quibus liberè tanquam domini diſponere poſſunt, Concedo: in criminalibus, in quibus controvertitur de offenſa contra Rempublicam, aut ejus Principem, Nego antecedens; in ejuſmodi enim controverſiis judicium eſt penes perſonam læſam, vel eos, in quos Reſpublica tranſtulit ſuam auctoritatem. Porrò peccata, quæ ſunt materia circa quam judicii pœnitentialis, ſunt Dei offenſæ, ac proinde ligari aut ſolvi nequeunt niſi ab eis, quos Deus vocavit ad illud judicium exercendum.

Dices 4. ſine juriſdictione, quilibet Sacerdos excipere poteſt confeſſiones peccatorum venialium, & ab iis abſolvere: ergo poteſtas juriſdictionis non eſt neceſſaria neceſſitate Sacramenti.

Nego antecend. Contrarium enim declaravit Congregatio Cardinalium ſub Innocentio XI. an. 1679. his verbis: *Ne venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo aut Ordinario. Si Confeſſarii etiam Regulares, aut quicunque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo optimo maximo ſe rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum & Ordinariorum juſtam & rigoroſam animadverſionem in con-*

*tra facientes ... & facta de præmissis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas sua probavit, ac præsens Decretum typis mandari ac publicari voluit.*

# CAPUT VI.

## Satisfit variis difficultatibus circa potestatem jurisdictionis.

Q. 1. *Quotuplex est potestas jurisdictionis?*
R. Duplex, ordinaria, & delegata.

Ordinaria est ea, quæ competit habenti ex officio curam animarum, v g. Parocho in sua Parochia, Episcopo in sua Diœcesi, Summo Pontifici in tota Ecclesia, Superioribus etiam Regularibus in sua Congregatione.

Delegata est ea quæ committitur Sacerdoti non habenti curam animarum.

Q. 2. *Quis delegare potest ad audiendas Confessiones?*

R. Juxta vulgare effatum, quivis habens jurisdictionem ordinariam delegare potest. Sed cùm ex inordinata delegatione multi orirentur defectus & magna confusio, non sine animarum pernicie; nempe Parochi nonnumquam delegabant vagos Sacerdotes, flagitiosos, & incapaces: quin Regulares, etiam aliquando apostatæ, seu prætextu privilegiorum Sedis Apostolicæ, renitentibus aut insciis Pastoribus, indiscriminatim peccatores absolvebant; Concilium Tridentinum occurrit tantis malis saluberrimo hocce Decreto sess. 23. cap. 15. de reformatione: *quamvis Presbyteri*, inquit, *in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant, decernit tamen sancta Synodus, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad*

*ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineant: privilegiis & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.*

Circa hocce Decretum plura sunt diligenter notanda.

Primum, nullus Parochus potest ullum Sacerdotem delegare ad accipiendas confessiones suorum Parochianorum, nisi fuerit ab Episcopo approbatus.

Secundum, Decretum illud non spectat habentes Beneficium, cui cura animarum annexa est; quia censentur approbati eo ipso, quo Episcopus ejusmodi Beneficium ipsis contulit.

Tertium, nequidem Sacerdotes sæculares possunt absolvi à Sacerdote, qui nec habet Beneficium cum cura animarum nec ab Episcopo est approbatus. Contrariam doctrinam proscripserunt Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700.

Quartum, hoc Decreto revocata sunt privilegia Regularium, si quæ antea habuerint, absolvendi sine licentia Episcopi; sic enim habet: *Privilegiis & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.* Et ita declararunt Summi Pontifices Pius IV. in Bulla quæ incipit, *in principis Apostolorum*, in qua sic habet: *Omnia illa & singula privilegia, exemptiones, immunitates .... mare magnum, & aliæ gratiæ in his omnibus & singulis, in quibus illa Statutis & Decretis Concilii Tridentini contrariantur, ipso jure revocata, cassata, & annullata, ac ad ipsius Concilii terminos atque limites redacta sint, & esse censeantur.* Sanctus Pius V. in Bulla, cujus

initium eſt, *Romani Pontificis*, revocat Bullam, *etſi Mendicantium*, prius à ſe editam, in qua Concilio Tridentino derogare viſus fuerat in gratiam Mendicantium.

Idem præſtitit Gregorius XIII. ſua Conſtitutione, quæ incipit, *in tanta negotiorum mole*. Illud tandem agnoverunt an. 1633. Præpoſiti Monaſteriorum urbis Pariſienſis hocce ſcripto, quod tradiderunt Eminentiſſimo Cardinali Richelio. *Nous ſouſſignez Religieux de divers Ordres, tant en notre nom, qu'au nom de tous les Religieux de nos Ordres en France, deſquels nous promettons de nous faire avouer; reconnoiſſons que nous ne devons, ni nous ne pouvons ouir les Confeſſions des perſonnes ſeculieres, ſans l'approbation & licence de Meſſeigneurs les Ordinaires, leſquelles ils peuvent revoquer quand bon leur ſemblera*, &c.

Cum autem extinctam controverſiam quidam Regulares anno 1655. ſuſcitaſſent in Diœceſi Andegavenſi, hancque Propoſitionem evulgaſſent, *Concilium Tridentinum non obligat Regulares in Gallia ad obtinendas approbationes ab Epiſcopis, ut ſæcularium Confeſſiones audire poſſint*, Clerus Gallicanus Pariſiis congregatus eam damnavit ut temerariam, ſcandaloſam, falſam, Sedi Apoſtolicæ, Conciliis tum œcumenicis, tum Provincialibus, & præcipuè ſacro Tridentino injurioſam, & contrariam. Quod judicium Alexander VII. ſuo Decreto confirmavit anno 1659. declaravitque eandem Propoſitionem falſam, temerariam, ſcandaloſam, in hæreſim & ſchiſma inducentem, ſacro Concilio Tridentino, & Sedi Apoſtolicæ injurioſam.

Sed necdum quievere Regulares; quidam enim anno 1666. Diœceſis Agennenſis inſurrexerunt contra quædam Statuta Epiſcopi approbationem

tionem ſpectantia, & tanquam ab abuſu provocaverunt ad ſupremum Senatum Burdigalenſem, qui cum eorum votis contra Epiſcopum faviſſet, Rex Chriſtianiſſimus Ludovicus XIV. uti Canonicarum Sanctionum vindex, in ſuo ſanctiori Concilio reſcidit anno 1668. Senatuſconſultum Burdigalenſe, & ſolemniori Edicto ſanxit, ut in ſuo regno ſervarentur circa approbationem, quæ Concilium Tridentinum, plures Synodi Provinciales in Gallia, ut Rothomagenſis, Burdigalenſis, Bituricenſis, Narbonenſis, Toloſana, &c. & Summi Pontifices Pius IV. Sanctus Pius V. Gregorius XIII. Clemens VIII. Paulus V. Gregorius XV. Urbanus VIII. & Alexander VII. mandarunt, ſcilicet, nullum Regularem idoneum eſſe ad audiendas ſæcularium Confeſſiones, niſi obtenta Epiſcopi approbatione, quam limitare & revocare poſſit abſque eo quod revocationis cauſam aperire teneatur.

Poſt celebre illud Edictum, quod Epiſcopi Galliæ in commentariis ſuæ Curiæ Epiſcopalis, inſerere curarunt, ſiluère Regulares, maximè cum Clemens X. paulo poſt, hoc eſt, anno 1670. Conſtitutionem, quæ incipit, *Superna*, ediderit, in qua eadem continentur circa approbationis neceſſitatem, facultatem eam limitandi & revocandi, quæ in præfato regio Edicto.

Eam tamen Conſtitutionem non receperunt Galliæ Antiſtites, utpote quæ nonnulla inſerta habeat diſciplinæ Eccleſiæ Gallicanæ minus conſentanea.

Nihilominus ex ea conſtat Regulares nulla Privilegia à Sede Apoſtolica obtinere, quibus

Confeſſiones ſæcularium excipere poſſint, non obtenta aut revocata Epiſcopi approbatione.

Dices; Eccleſia nihil mutare poteſt circa ſubſtantiam Sacramentorum, ut probavimus Tractatu de Sacramentis in genere: atqui ſi Epiſcopi approbatio eſſet neceſſaria ad veritatem Sacramenti Pœnitentiæ, Concilium Tridentinum mutaſſet hujuſce Sacramenti ſubſtantiam, cùm ante Concilium Tridentinum aliud non requiretur ex parte Miniſtri, ac ejus veritatem, quàm poteſtas Ordinis, & juriſdictionis.

Conceſſa majore, Nego minorem; Aliud enim etiamnunc non requiritur ex parte Miniſtri, quàm poteſtas Ordinis & juriſdictionis. Sed Patres Tridentini, ut contra plures abuſus integritati Sacramenti & ſaluti Fidelium providerent, decreverunt juriſdictionis ad abſolvendum neceſſariæ incapaces deinceps fore Sacerdotes, tam ſæculares, quàm Regulares, qui curam animarum non habuerint, niſi priùs fuerint ab Epiſcopo approbati. Porrò penes eſt Eccleſiam concedere vel denegare juriſdictionem quibus voluerint.

Q. 3. *Regulares poſſuntne abſque approbatione Epiſcopi excipere confeſſiones Monialium, quæ ipſis ſunt ſubjectæ, & ab Epiſcopi juriſdictione exemptæ?*

R. Non poſſunt; ita enim ſtatuit Gregorius XV. Conſtitutione, quæ incipit, *Inſcrutabili*, & Clerus Gallicanus anno 1700. hancce quorundam Regularium propoſitionem damnavit ut falſam, & a Concilii Tridentini mente alienam; *Religioſæ exemptæ poſſunt abſolvi à ſacerdote non approbato ab Epiſcopo, ſive Sacerdos ille ſit ſæcularis, ſive Regularis.*

Q. 4. *Sacerdos approbatus in una Diœceſi, cenſeturne approbatus in cæteris?*

R. Mi-

R. Minimè, ut constat tum ex Clementina *Dudum*, tit. de Sepulturis, tum ex laudata Constitutione, *Superna*, Clementis X. tum ex sacra Congregatione, cujus declarationem refert Barbosa parte secunda de officio & potestate Episcopi.

Q. 5. *Parochi possuntne sibi eligere quem voluerint Confessarium?*

R. Possunt, modò Confessarius ille sit ab Episcopo approbatus; id enim habetur cap. *Ne pro dilatione*, tit. de pœnitentiis & remissionibus: *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Episcopis, & aliis Superioribus Ecclesiasticis, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam præter sui Superioris licentiam, providum & discretum sibi possit eligere Confessorem.* Parochos autem Sanctus Thomas 2. 2. q. 188. art. 4. & 5. vocat Prælatos inferiores, & 3. p. qu. 67. art. 2. ad secundum, Ecclesiarum minores Principes. Et hunc Decretalis sensum confirmat antiqua & hodierna consuetudo.

Q. 6. *Parochus indigetne Episcopi approbatione, ut excipiat Confessiones Fidelium aliarum Parochiarum?*

R. 1. Si bona fide versentur in ejus Parochia, v. g. cujusdam negotii perficiendi causa, tam Parochus, quàm alii Sacerdotes ibidem approbati, possunt ejusmodi confessiones excipere, etiamsi Parochiani illi sint alterius Diœcesis; quia censentur Parochiæ membra, saltem quoad jus recipiendi Sacramenta ad salutem necessaria, sive utilia.

Dixi 1. *si bona fide*, quia si data opera, ut disciplinam Diœcesis vel Parochiæ suæ eludant, aliò divertant, ibi non possunt absolvi, ut declaravit Clemens X. laudata Constitutione.

Dixi 2. *Sacramenta ad salutem necessaria*, *sive utilia;* quia non possunt ibi suscipere Sacramentum matrimonii, nisi ibidem fixerint domicilium.

R. 2. Parochi non possunt sine approbatione Episcopi expressa vel tacita audire Confessiones aliorum Parochianorum, sive extra suam Parochiam, sive in sua Parochia, si Parochiani illi ex professo ad eam confluunt etiam bona fide; ut peccata sua confiteantur. Ita declarat Concilium Senonense anno 1524. *Interrogent*, inquit, *Sacerdotes pœnitentes ad Confessionem accedentes, an sint Parochiani, maximè si de ipso dubitant; quia non debent absolvere nec audire in confessione, nisi suos Parochianos.* Et ratio ex dictis est petenda, nempe Parochi eo ipso censentur ab Episcopo approbari, quo instituuntur ad Curiale Beneficium: Ergo sicut institutio est limitata ad tale beneficium, ita & jurisdictio ac approbatio: Enimverò qui capax est unius Curiæ, plerumque est incapax aliarum.

Dixi, *sine approbatione Episcopi expressa*, *vel tacita;* alterutra enim sufficit.

Approbatio est expressa, cùm scripto vel expressis verbis conceditur. Tacita verò, cùm Episcopus non contradicit necessariæ consuetudini, secundùm quam vicini Parochi etiam diversæ Diœceseos sese mutuò juvant ad sustinenda onera Pastoralia.

Ergo si Parochus alienos Parochianos absolveret, Episcopo propter graves causas contradicente, puta, quia omnes indiscriminatim admittit, publicos usurarios, concubinarios, aliorum bonorum raptores & detentores, &c. irrita & vana erat ejus absolutio vel ex solo defectu jurisdictionis & approbationis.

*Sed quid, ſi Parochus, ſilente Epiſcopo, prohibeat, ne Parochiani apud alium Parochum peccata deponant?*

R. 1. Parochi ſe faciles in hac parte præbere debent ſuis Parochianis, de quibus nulla ſit ſuſpicio eos diſciplinæ vitandæ cauſa Parochi ſui judicium ſubterfugere. Ita Sanctus Carolus Borromæus in XI. Synodo Diœceſana. Et rationem affert Sanctus Thomas in 4. Sententiarum & Supplement. quæſt. 8. art. 4. ad 6. *Peccaret*, inquit, *Sacerdos, ſi non eſſet facilis ad præbendam licentiam alteri confitendi; quia multi ſunt adeò infirmi, quòd potiùs ſine confeſſione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui ſunt nimis ſolliciti, ut conſcientias ſubditorum per confeſſionem ſciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per conſequens ſibi ipſis.*

R. 2. Abſolutio in iis circumſtantiis impertita ab alieno Parocho cenſeri debet irrita; quia Epiſcopus laudatam conſuetudinem conditionatè tantùm approbare præſumitur, nempe ſi proprius Parochus conſentiat. Epiſcopi quidem Regulares abſolutè approbant pro confeſſionibus audiendis in eorum Oratoriis extra tempus Paſchale; quia, cùm ibi deputentur pro tota civitate & vicinia, nimis grave eſſet & oneroſum tum pœnitentibus tum Confeſſariis, ſi ſemper Parochorum conſenſus requiretur, & de eo certiores fieri deberent Confeſſarii. Sed cùm Regulares ad Parochias ab Epiſcopo mittuntur cum facultate prædicandi & abſolvendi, facultas illa ſolet eſſe conditionata, & cum hac clauſula, *de conſenſu Parochorum;* id enim poſtulare videtur ſuavitas regiminis, & ordinis tranquillitas.

Dixi, *extra tempus Paſchale;* nam ſpecialis eſt difficultas, diſcutienda ubi de Confeſſione, utrùm

Regulares ab Episcopo absque ulla temporis exceptione approbati possint Paschali tempore excipere Fidelium Confessiones sine Parochorum consensu?

R. 3. Si Parochi prohibitio non sit in ædificationem, sed in destructionem, procedatque ex inordinato affectu; & animo anxio ac moroso, ad Pastoralem Episcopi sollicitudinem pertinet, ut Parochiani fruantur libertate, quam Ecclesia vult eis concedi, & cognita causa, illis det licentiam, etiam tempore Paschali, adeundi alios probatæ vitæ & capacitatis Confessarios, etiam renittente proprio Parocho.

Dices: Episcopus nihil potest contra receptos universalis Ecclesiæ Canones, multò minùs contra jus divinum: atqui ex Canone, *omnis utriusque sexus*, qui est Concilii IV. Lateranensis, ubique recepto, quilibet Fidelis tenetur confiteri proprio Sacerdoti (qui est Parochus secundùm interpretationem Summorum Pontificum, & plurium Conciliorum Provincialium, ut suo loco dicetur) aut alteri de ejus licentia, *cùm aliter ipse illos non possit solvere aut ligare*, verba sunt Canonis. Præterea Parochi sunt institutionis divinæ, & jure divino pascere debent oves sibi creditas: Ergo Episcopus nullum, iis invitis, subtrahere potest eorum jurisdictioni.

Concessa majore, distinguo primam partem min. quilibet saltem semel in anno tenetur confiteri proprio Sacerdoti, aut alteri cum ejus consensu, ita ut non excludatur Episcopus, Concedo: ita ut excludatur, Nego min. propositio enim hoc posteriori sensu damnata est I. à Joanne XXII. in Joanne de Poliaco Theologo Parisiensi, qui asserebat

stante

ſtante Canone, *omnis utriuſque ſexus*, nec Epiſcopum, nec Papam efficere poſſe, ut Confeſſio facta alieno Sacerdoti ſine conſenſu proprii valeret. 2. à Clero Gallicano an. 1655. in quodam moderno, qui contendebat laudato Canone, excludi Summum Pontificem & Epiſcopum.

Enimverò ſicut nullus crediderit Regem quidquam è ſua ſuprema auctoritate detraxiſſe, dum edixit omnes cives primo loco jus ſuum perſecuturos coram Judice, quem in Provincia eis conſtituit, nec ſtante illo Edicto, poſſe ex ſpeciali gratia, aut debere ex cauſa, puta ſi Judex eſſet conſanguineus partis adverſæ, concedere literas; quas *Committimus* vocant, hoc eſt diploma optandi fori opportunioris gratia. Similiter Summus Pontifex & Epiſcopi in Lateranenſi Concilio congregati, ita Fideles adſtrinxerunt ad deponenda peccata proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus conſenſu, ut jus quod habent à Deo gregem paſcendi ſibi non ademerint. Sic in Concilio Tridentino decreverunt nullum fore matrimonium, niſi celebraretur coram Parocho, aut altero Sacerdote de ejus conſenſu, quod non excludit Epiſcopum.

Diſtinguo etiam alteram minoris partem Parochi jure divino paſcere debent oves ſibi creditas, dependenter & conjunctim cum Epiſcopo, Concedo: independenter & ſeparatim ab Epiſcopo, quaſi non habeat immediatam juriſdictionem in Parochianos, Nego minorem. Itaque licèt Parochorum juriſdictio ſit primariò a Chriſto inſtituta, ipſi tamen & eorum Parochiani immediatè ſubſunt juriſdictioni Epiſcopali, juxta conſtantem doctrinam ſacræ Facultatis Pariſienſis, ad quam

quam cùm anno 1664. delatæ fuiſſent ſex Propoſitiones cujuſdam Jacobi de Vernant, quibus auctor ille negabat juriſdictionem Parochorum eſſe à Chriſto inſtitutam, ſic illas perſtrinxit: *Hæ ſex Propoſitiones, quatenùs aſſerunt vel inferunt poteſtatem juriſdictionis Curatorum non eſſe immediatè à Chriſto, quantùm ad inſtitutionem primariam, falſæ ſunt, & decretis ſacræ Facultatis contrariæ; ſalva ſemper immediata Epiſcoporum in Prælatos minores ſeu Curatos, & plebem ſubditam authoritate.*

Non eſt igitur gradus juriſdictionis Parochum inter & Epiſcopum, ſicut Epiſcopum inter & Metropolitanum, ut inferendum videtur ex oblocutionibus nonnullorum contra Epiſcopos, & eorum Vicarios generales, cùm pro officio ſuo ex rationabili cauſa Parochianis opitulantur inconſultis Curatis, fortè moroſis & difficilioribus. Et ratio eſt, quia, ut diximus Tractatu de Legibus pag. 364. Parochiæ ſeorſim ſpectatæ non ſunt communitatis perfectæ, ſed partes dumtaxat communitatis perfectæ, nempe Diœceſeos, cui præeſt Epiſcopus tanquam caput unius & ejuſdem corporis myſtici; cujus membra ſunt ſingulæ Parochiæ, quas immediatè regit & adminiſtrat, Parochis cooperantibus ex inſtitutione Chriſti. Hinc eſt quòd Parochi auctoritatem non habeant condendi leges, ſed eas ab Epiſcopo accipiant, tam pro ſe, quàm pro Parochianis, careant foro externo, ſubſintque immediatè tam ipſi, quàm Parochiani foro Epiſcopi. Denique primis Eccleſiæ ſæculis, cum nondum eſſent erecti Parochiales tituli, Presbyteri, quos nunc Curatos vocamus, cum Epiſcopo convivebant, & ab ejus regimine ita pendebant, ut nequidem neophytos

bapti-

baptizarent, nec peccatores pœnitentiæ publicæ obnoxios admitterent. Distinctio autem Parochiarum, quæ postmodum secuta est, & titulorum Parochialium, quæ sanè non est juris divini, sed Ecclesiastici, aliquid mutavit in forma regiminis, sed nihil ex jurisdictione Episcoporum detraxit, immediata semper manet in Curatos & plebem. Contra verò dignitas Metropolitana, & dignitatis Episcopalis constituunt diversos jurisdictionis gradus; quia sicut Metropolitanus, ita & Episcopus præest Communitati perfectæ, quæ in spiritualibus est sui juris, habet suas leges ac Statuta, suum forum independenter à Metropolitano, qui in iis (licèt Superior) nihil mutare potest nisi ad ipsum tanquam à gravamine provocetur.

Q. 7. *Qui Religionis causa ex diversis Diœcesibus & provinciis peregrinantur ad sacras quasdam ædes; possuntne ibi à peccatis absolvi?*

R. Si mala fide & primariò illuc proficiscantur, ut disciplinam suæ Diœceseos declinent, absolvi nequeunt, juxta ea, quæ supra diximus ad sextam quæstionem: si verò bona fide, & Religionis causa primariò illuc peregrinentur absolvi possunt; Sacerdotes enim illius loci tacitè sunt approbati.

Q. 8. *Sufficitne ad approbationem tacitam interpretativa intentio Episcopi, qualis esset respectu Sacerdotis singularis meriti, quem certò rogaret Episcopus audire confessiones, si sciret eum die solemni diversari in Parochia, cujus Parochus infirmus est, & plures Parochiani Sacramenta expetunt?*

R. Minimè; quia interpretativa Episcopi intentio nihil est aliud, quàm ejus dispositio ad appro-

probandum illum Sacerdotem, si casus in quo versatur quæstio, ei innotesceret: atqui satis non est Episcopum dispositum esse ad approbandum; sed requiritur insuper ut actu & de facto approbet, aut approbaverit.

Ergo, inquies, ex consuetudine, juxta quam Parochi etiam diversæ Diœceseos, mutuam sibi opem ferunt, non habetur approbatio tacita, si Episcopus ejusmodi consuetudinem ignoret.

Distinguo consequens, si consuetudo sit recens introducta, & ipso Episcopo ignorante, Concedo: si introducta sit sub Prædecessoribus Episcopi, qui præsumuntur consuetudinem approbasse, Nego conseq.

Q. 9. *Parochus qui dimisit Beneficium, indigetne approbatione ad audiendas Confessiones in eadem Parochia?*

R. Indiget; quia de eo sentiendum, sicut de Confessario delegato, post elapsum temporis terminum suæ approbationis: atqui Confessarius ille non potest absolvere elapso temporis termino: Ergo.

Quæst. 10. *A quo Episcopo debet approbari Confessarius?*

R. A pœnitentis Episcopo, utpote qui solus ex Episcopis in pœnitentem habeat ordinariam jurisdictionem: ac proinde solus per approbationem delegare potest ad absolvendum illum pœnitentem.

Q. 11. *Vagi & peregrini à quibus absolvi possunt?*

R. A Sacerdotibus approbatis in locis, per quæ transeunt; tempore tamen Paschali adire tenentur Parochum loci, aut cum ejus licentia Sacerdotem approbatum. Ita Sanctus Carolus in

XI.

XI. Synodo Diœcesana: *advenas*, inquit, *& peregrinos, quos intra Parochiæ suæ fines brevi tempore in Diœcesi morari contigerit, audire liceat etiam tempore Paschali, nisi fortasse de industria eò accesserint, ne in Parochiali Ecclesia Sacramenta sumant.* Eadem habet S. Thomas in quartum distinct. 21.

Q. 12. *Parochus potestne audire Confessiones Parochianorum suorum extra suam Parochiam?*

R. Potest etiam extra Diœcesim: quia jurisdictio, quam habet in illos, non cadit in locum, sed in personas, nec ulla lex prohibet quominus eorum Confessiones extra Parochiæ suæ fines excipiat. Ad amovendum tamen scandalum, quod pati posset qui loco præest, quòd extraneus & ignotus Sacerdos in ipsius Ecclesia Confessiones auderit, debent illum monere, & licentiam petere.

Q. 13. *Qui semel ab Episcopo est examinatus & approbatus, potestne iterùm ad examen vocari, ut prorogetur ejus approbatio?*

R. Pius V. anno 1571. in Bulla, quæ incipit, *Romani Pontifices*, in qua revocat plura Privilegia, quæ Mendicantibus priùs concesserat; illud tamen vult eis conservari, nempe *eos, qui semel ab Episcopo in Civitate & Diœcesibus suis prævio examine approbati fuerint, ab eodem Episcopo iterùm non examinari.* Ex quibus verbis Suarez disput. 28. sect. 8. assertione 1. duo infert: primum, Regulares posse examini subjici, si priùs non fuerint examinati ab eodem Episcopo, quamvis ab ejus Prædecessore: alterum, Sacerdotes sæculares posse examinari quoties voluerit Episcopus; alioquin privilegium non foret, Regulares posse semel tantùm examinari; & rationem affert, cur Sacerdo-

tes

tes ſæculares poſſint ab eodem Epiſcopo ſæpiùs examinari; *nec enim*, inquit, *Epiſcopus ſemel examinando, & approbando aliquo titulo ſe obligavit illud examen ſemper firmum habere .... præſertim cùm moraliter loquendo, poſſint occaſiones occurrere, ob quas prudenter hoc fiat; ſæpè enim examen per alios fit, & non rectè fit, & aliquando moraliter conſtat plures indignos vel negligentia, vel caſu inter dignos eſſe approbatos.* Sed hæc ratio æquè efficaciter concludit pro Regularium, ac pro ſæcularium examine iterando. Quamobrem Præſules Gallicani inhærentes laudato Tridentini Decreto, Regulares ac ſæculares toties examini ſuo ſubjiciunt, quoties expedire videtur, maximè cùm Gregorius XIII. indulta Regularibus à Pio V. Prædeceſſore ſuo reduxerit ad leges ſancitas à Concilio Tridentino, & Bulla Pii V. non fuerit in Galliis recepta, ſicut nec Bulla Clementis X. quæ idem Privilegium Regularibus, quod Pius Quintus indulget; imo Senatus Pariſienſis expreſſe prohibuit, ne typis mandaretur.

Quæſt. 14. *Quot modis limitari poteſt approbatio?*

R. Quatuor. 1. quoad locum, quomodo ſolent approbari Vicarii Curatorum, ſcilicet ut audiant Confeſſiones in Parochia dumtaxat ipſis deſignata. Vulgò tamen addunt Epiſcopi; *& in vicinia*, propter frequentes, quæ occurrunt occaſiones ferendi opem vicinis Parochis. 2. quoad perſonas, puta ſæculares; Moniales enim non comprehenduntur in approbatione generatim conceſſa; ſed ad earum Confeſſiones excipiendas requiritur ſpecialis approbatio, ut conſtat, tum ex declaratione Cardinalium, quam refert Barboſa 2. part. de officio & poteſtate Epiſcopi: tum

ex

ex sæpiùs laudata Bulla Clementis X. tum ex universali praxi Ecclesiæ Gallicanæ. 3. quoad tempus, v. g. ad annum. 4. quoad casus, quos sibi reservant Summus Pontifex & Episcopi. Sed de Casibus reservatis sequenti capite.

# CAPUT VII.

## De Casibus reservatis.

Q. 1. *Extatne in Ecclesia potestas reservandi casus?*

R. Negant Pseudo-reformati, & quidem consentaneè ad præjactum ab ipsis falsum principium, nempe potestatem absolvendi consistere in prædicatione Evangelii quatenùs excitat audientium fidem ac fiduciam omnia peccata sibi dimitti: concionator enim non potest ejusmodi fidem impedire, nec proinde peccata reservare. Addunt tamen pertinere ad disciplinam & rectum ordinem: ut atrociora crimina, si publica fuerint, judicio Consistorii reserventur ad cæterorum terrorem; quamvis conscii ejusmodi criminum per fidem coram Deo sint absoluti. Contra impium illum errorem extat Canon. 11. sess. 14. Concilium Tridentini, qui sic habet: *Si quis dixerit, Episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam politiam, atque ideò casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis verè absolvat; anathema sit.* Quare ad propositam quæstionem

R. De fide est Summum Pontificem & Episcopos posse sibi reservare casus, à quibus inferiores Sacerdotes absolvere nequeunt, etiam in foro conscientiæ, nisi potestate ab illis delegata.

Probatur 1. ex praxi univerſalis Eccleſiæ, cui teſtimonium perhibet Concilium Viennenſe XV. Generale anno 1311. in Clementina, *Religioſi*, in qua ſic loquitur Summus Pontifex Clemens V. de Religioſis; *Quibus etiam in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiùs inhibemus, ne in caſibus Sedi Apoſtolicæ, aut locorum Ordinariis reſervatis quemquam abſolvere præſumant.*

Probatur 2. ratione, quam Patres Tridentini ſeſſ. 14. cap. 7. deducunt ex ipſamet natura Sacramenti Pœnitentiæ, quod cùm exerceatur per modum judicii, eſſentialiter in Miniſtro prærequirit jurisdictionem, ita ut nullius momenti ſit abſolutio, ut loquuntur laudati Patres, quam Sacerdos in eum profert, in quem nullam habeat juriſdictionem. Cùm autem juriſdictio ſit penes Eccleſiæ diſpoſitionem, Epiſcopi illam reſtringere aut extendere poſſunt, prout diſciplinæ & ſaluti animarum expedire videbitur. Sic in Republica quædam cauſæ criminales ita reſervantur Supremo Senatui, ut de eis inferiores Judices judicare nequeant.

Q. 2. *Quinam caſus reſervare poſſunt?*

R. Patres Tridentini citato cap. 7. hancce poteſtatem agnoſcunt in Summo Pontifice & Epiſcopis. Aliorum non meminere, nec fert uſus ut Parochi ſibi caſus reſervent. Congregationes tamen Regularium quoſdam ſubditorum caſus reſervant Provincialibus, & Monaſteriorum Præfectis.

Q. 3. *Quot requiruntur, ut caſus in individuo cenſeatur reſervatus?*

R. Quatuor, 1. ut actus ſit lethaliter malus; cum enim peccata venialia non ſint materia Sacramenti

menti Pœnitentiæ necessaria, retineri aut reservari nequeunt. Unde si Confessarius advertat peccatum pœnitentis non pertingere ad malitiam mortalem defectu sufficientis consensus, aut propter levitatem materiæ, poterit illum absolvere. Idem dicendum in dubio probabili, peccaveritne lethaliter, vel non.

Sed operæ pretium est hic monere materiam, quæ secundùm se spectata levis est, vel etiam indifferens, ex circunstantiis tamen & fine, quem sibi præfixit Legislator, posse esse gravissimam, & ideò rectè prohiberi etiam sub censuris reservatis, utpote quæ viam aperiat multis criminibus & scandalis. Sic plures Episcopi, propter gravissimas causas, prohibent Clericis sub pœna suspensionis sibi reservatæ, frequentare popinas, licèt temperanter comedere & bibere in popina præcisè, non sit res per se mala.

2. Actus debet esse exterior; quia Ecclesia, cùm non judicet de internis, non reservat, nec censuris percellit peccata, quæ ex corde non exeunt, puta hæresim sola mente conceptam, ac proinde quilibet Sacerdos approbatus ab ea absolvere potest. Necesse tamen non est ut actus exterior in alicujus notitiam venerit; reservatio enim & censuræ cadere possunt in actus exteriores, etiam occultissimos.

3. Peccatum, v.g. homicidium, aut adulterium, debet esse consummatum, capit. *hoc autem*, de pœnit. dist. 1. nisi aliter in Statuto expressum fuerit; quia odia non sunt amplianda, sed restringenda: atqui pœna, ut reservatio & censura, est odiosum quid. Quare ubi de ejusmodi pœnis agitur, non intelliguntur nomine homi-

cidii inflicta vulnera animo occidendi, nisi mors sequatur; nec nomine adulterii actus propudiosi & infandi contra castitatem, sed ipsamet carnalis copula.

Dixi, *nisi aliter in Statuto expressum fuerit*; quia Superiores nonnunquam expressè sibi reservant etiam actus, qui solent esse prævii ad ultimum; sic provocatio ad duellum, & ejusdem acceptatio, etiamsi non sequatur conflictus, expressè reservantur. Similiter in quibusdam Diœcesibus tactus impudici, & alia obscœna Confessarium inter & pœnitentem, etiam seclusa copula carnali.

Quartò. Requiritur ut peccatum sit à pubere commissum; cùm enim ætatis & ingenii imbecillitas ex parte excuset impuberes, eorum peccata non comprehenduntur inter casus reservatos. Pubertas autem incipit in masculis ab anno 14. completo, & in fœminis à 12. completo.

Q. 4. *Quis absolvere potest à casibus reservatis?*

R. 1. Jurisdictione ordinaria potest Superior, qui eos sibi reservavit, Vicarius ejus Generalis; & Pœnitentiarius; delegata verò quilibet Sacerdos ab ipsis specialiter delegatus. Dico *specialiter*; quia juxta regulam 81. in 6. *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*; alioquin si quilibet Sacerdos generaliter approbatus posset absolvere à reservatis, nulli essent casus reservati.

Ergo specialiter delegatus non potest, auditis peccatis reservatis, remittere pœnitentem absolvendum à Sacerdote generaliter dumtaxat approbato; quia delegatus delegare non potest nisi à Superiore facultatem subdelegandi acceperit: ejusmodi autem facultas videtur necessaria ei, qui

qui vices Pœnitentiarii gerit ex commiſſione & mera delegatione, ut contingit in quibuſdam Diœceſibus, in quibus nullus eſt Pœnitentiarius ex officio & ratione Beneficii; vix enim fieri poteſt, ut omnes, qui ad ipſum confluunt, audiat & abſolvat; præterquam quòd quibuſdam, utpote nondum diſpoſitis, differenda ſit abſolutio, videreturque onus intolerabile, ſi ex remotioribus locis iterum ad illum redire cogerentur.

R. 2. In articulo mortis quilibet Sacerdos poteſt abſolvere ab omnibus peccatis & cenſuris reſervatis. Ita declararunt Patres Tridentini cit. cap. 7. ſeſſ. 14. his verbis : *Piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.*

R. 3. Epiſcopi abſolvere poſſunt à peccatis Summo Pontifici reſervatis ſubditos, qui præ infirmitate, aut alio impedimento ad Sedem Apoſtolicam recurrere nequeunt, ex cap. *ea noſcitur*, lib. 5. tit. 39. de Sententia excommunicationis. *Mulieres*, inquit Clemens III. *ſenes & valetudinarii, ſeu membrorum deſtitutionibus impediti; licèt ad Apoſtolicam Sedem non veniant, ab Epiſcopis valeant Fidelium communioni reſtitui.* Eadem repetit cap. *quod de his*, eodem titulo. Et ante eum Alexander III. cap. *de cætero*, eodem titulo. Et ratio eſt, quia reſervandi poteſtas eſt in ædificationem & ſalutem Fidelium, non in perniciem & deſtructionem : nec Epiſcopi, qui atrociora crimina ad Sedis Apoſtolicæ judicium referre cœperunt, priuſquàm Summus Pontifex ullum ſibi reſervaſſet, præſumi poſſunt voluiſſe ſibi adimere poteſtatem

ſubditis ſubveniendi in neceſſariis. Illud enim notatu dignum eſt, quòd reſervatio injuſtæ Clericorum percuſſionis, quæ tempore præceſſit cæteras reſervationes, cœperit in Concilio Remenſi anno 1131. & Londinenſi anno 1138. ac tandem communi omnium Epiſcoporum voto confirmata ſit in generali Synodo Lateranenſi ſecunda ſub Innocentio II. can. 15. anno 1139. atque vel ex hoc exemplo liquet Epiſcopos non ex delegatione, ſed jure ordinario ſubditos abſolvere à caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, cùm eam adeundi deeſt facultas.

Dices, quando non patet aditus ad Summum Pontificem, pœnitentes póſſunt recurrere ad Regulares, qui ex privilegio Sedis Apoſtolicæ abſolvere poſſunt à caſibus ipſi reſervatis.

R. 1. Clemens VIII. die nona menſis Januarii anno 1601. declaravit Regulares non habere ejuſmodi facultatem: verba hujuſce declarationis infra referemus. 2. abſque Epiſcoporum contumelia dici nequit eos teneri graviores cauſas remittere ad judicium eorum, qui ſunt ipſis inferiores. Hancce injuriam imprimis cavet ipſe Summus Pontifex, qui Reſcripta in cauſis gravioribus, putà matrimonialibus, Beneficiorum proviſionibus, & aliis caſibus ſibi reſervatis, ſemper dirigit ad Ordinarium, vel ejus Officiales, & quidem ſecundùm leges Regni, in quo abuſus eſſet, ſi ejuſmodi Reſcriptorum vel Bullarum executio alteri mandaretur, exceptis dumtaxat iis, quæ in foro pœnitentiæ, utpote occulta, tractanda ſunt: ſed Concilium Tridentinum præcipua, quæ hìc ſuboriri poſſent, dubia ſuſtulit. Quare

R. 2.

R. 2. Epiſcopi, juxta declarationem Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 26. de reformat. abſolvere poſſunt ab omnibus peccatis & cenſuris, ac irregularitatibus ex delicto (homicidio voluntario excepto) modò illa deducta non ſint ad forum contentioſum. *Liceat Epiſcopis*, inquiunt Patres, *in irregularitatibus omnibus & ſuſpenſionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentioſum, diſpenſare: & in quibuſcunque caſibus occultis, etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis, delinquentes quoſcunque ſibi ſubditos in Diœceſi ſua per ſeipſos aut Vicarium ad id ſpecialiter deputandum, in foro conſcientiæ gratis abſolvere, impoſita pœnitentia ſalutari. Idem & in hæreſis crimine in eodem foro conſcientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis ſit permiſſum.* Sed hæc pars Decreti ultima, quæ ſpectat hæreſim, non eſt recepta in Galliſis, ubi non ſolùm Epiſcopi; ſed & eorum Vicarii Generales, modò in eorum literis expreſſa mentio fiat de hæreſi, ſicut de aliis caſibus in hocce Decreto expreſſis, abſolvunt ab omni hæreſi etiam publica, & ad eum effectum delegant. Quid verò intelligendum ſit nomine homicidii voluntarii, exponemus ubi de irregularitatibus.

Difficultatem movent nonnulli Ultràmontani circa vocem, *occultis*, contenduntque crimen reſervatum non poſſe dici occultum, ſi in duorum vel trium notitiam ita venerit, ut eorum teſtimonio probari poſſit in foro externo, nec proinde Epiſcopum illius ſolvendi habere poteſtatem: confirmantque ſuam ſententiam quadam Cardinalium declaratione. Sed alii, etiam Ultramontani, ex adverſo aſſerunt crimen hic

dici occultum, quamdiu ſecundum Navarrum non evadit famoſum, etiamſi probari poſſit: ſecundùm Toletum quamdiu ad forum contentioſum non eſt deductum, & hanc ſententiam ſequitur Sanchez libro 2. de matrimonio diſput. 37. numero 12. utpote omnino conformem Concilii Decreto, in quo Patres exponunt quæ delicta vocaverint occulta, dum in textus decurſu ea ſola excipiunt, quæ deducta ſunt ad forum contentioſum, adeo ut in eorum mente crimen cenſura & irregularitas cenſeantur occulta, ſi ad forum contentioſum non fuerint deducta. Unde concludit idem Author, quòd ſi crimen ad forum contentioſum deductum non potuerit probari, occultum maneat, & Epiſcopus ab eo abſolvere poſſit. Hæc ſententia apprime convenit praxi Regni, in quo notorietas facti non admittitur.

Q. 5. *Regulares Privilegiati poſſuntne abſolvere à caſibus Epiſcopo reſervatis?*

R. Minimè, idque conſtat tum ex dictis capite præcedenti pro neceſſitate Epiſcopalis approbationis: tum ex Bullis & Declarationibus Summorum Pontificum.

Gregorius XIII. rogatus à Sancto Carolo Borromæo, an Regulares ex privilegio Sedis Apoſtolicæ poſſent in caſibus, quos ſibi Epiſcopus reſervaverit, abſolvere pœnitentes, hocce reſponſum dedit die decimo Septembris an. 1577. ex facultatibus per Mare magnum, aliave Privilegia, Regularibus conceſſa, factam eis non eſſe poteſtatem abſolvendi à caſibus ab Epiſcopis reſervatis.

Clemens VIII. die nono menſis Januarii anni 1601. in Congregatione Sanctæ Romanæ Eccleſiæ

Cardi-

Cardinalium in negotiis Epiſcoporum & Regularium præpoſita, prohibuit Sacerdotibus omnibus, tam ſæcularibus, quàm Regularibus, etiam Societatis Jeſu, per univerſam Italiam extra urbem degentibus ad Confeſſiones audiendas probatis, *Ne quis eorum ſub prætextu Privilegiorum eorum ordinibus, Congregationibus, Collegiis, aut Societatibus, aut Archiconfraternitatibus ſæcularium, aut ſingulis perſonis conceſſorum, ab ullo ex caſibus clarè vel dubiè in Bulla in Cœna Domini legi ſolitæ contentis, vel aliàs quomodocunque Sedi Apoſtolicæ reſervatis, aut in futurum, & per ſanctitatem ſuam: ejusve ſucceſſores pro tempore in eadem Bulla vel aliter reſervandis; nec etiam à caſibus, quos Ordinarii locorum hactenùs reſervarunt, vel impoſternm reſervabunt .... abſolutionis beneficium de cætero impendere audeat aut præſumat .... ſub pœna contrafacientibus tam Regularibus, quàm ſæcularibus, excommunicationis,* &c. *Prætereà noverint pœnitentes abſolutionem, ſi quam obtinebunt contra hujusmodi prohibitionem, eſſe nullam, nulliusque roboris & momenti.*

Urbanus VIII. die 17. Novembris 1628. in eadem Congregatione, *Cenſuit per confirmationem Privilegiorum, quas Regulares à Sede Apoſtolica poſt ſacrum Concilium Tridentinum obtinuerunt, nequaquam revixiſſe privilegia priùs ab eodem Concilio, ac deinde etiam ipſius Congregationis Decretis ſublata atque extincta, ſi quæ habebant abſolvendi à caſibus Ordinario loci reſervatis..... ac ſi ſecùs egerint abſolutiones nullas atque irritas fuiſſe ac fore.* Hæc declaratio Regulares non ſolùm intrà, ſed etiam extrà Italiam degentes comprehendit.

Alexander VII. anno 1659. in Brevi ad Epiſcopum Andegavenſem, propoſitionem, qua Regulares contendebant vi ſuorum Privilegiorum

posse se in Galliis absolvere à peccatis Episcopis reservatis, damnavit tanquam falsam, Episcoporum authoritati, Apostolicæ Sedi injuriosam.

Clemens X. in laudata Bulla, quæ incipit, *superna*, declaravit *ex facultatibus per Mare magnum, aliave Privilegia Regularibus cujuscunque Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam Jesu concessis factam eis non esse potestatem absolvendi à casibus ab Episcopo reservatis.* Addit, *Etiamsi haberent privilegium absolvendi ab omnibus casibus Sedis Apostolicæ reservatis.*

Q. 6. *Confessarius, qui non habet potestatem absolvendi à casibus reservatis, potestne audita pœnitentis confessione, eum absolvere à non reservatis, & remittere ad Superiorem pro reservatis?*

Affirmarunt S. Antoninus, Sotus, Cajetanus, & alii quamplurimi ex Veteribus, quos secutus est S. Carolus Borromæus 4. part. act. Ecclesiæ Mediolan. de instructionibus pœnitentiæ, recentiores verò communiter negant id licere, cum quibus

R. Confessarius non potest extra casum necessitatis, absolvere pœnitentem à casibus non reservatis remittendo illum ad Superiorem pro reservatis; tum quia ita fert praxis hodierna: tum quia Confessio Sacramentalis jure divino debet esse integra: atqui non est integra sacramentaliter, quando omnia peccata, quæ memoriæ occurrunt, clavibus Ecclesiæ non subjiciuntur; non subjicerentur autem in nostra hypothesi; Confessarius enim ille caret clavibus seu potestate respectu casuum reservatorum: Ergo.

Dixi, *extra casum necessitatis;* in circumstantiis enim, in quibus pœnitens non potest ad Superiorem remitti sine ejus infamia, & aliorum scandalo, potest absolvi (si aliunde dispositus sit) cum onere

onere adeundi Superiorem, nec sine fundamento præsumitur Superiorem non tantùm excepturum, si prævidisset (quod ex dictis non sufficit,) sed reverà excepisse hunc necessitatis articulum, qui non est ita extraordinarius; potestas enim reservandi casus concessa est in ædificationem & utilitatem Fidelium.

Q. 7. *Sacerdos qui non habet potestatem absolvendi à casibus reservatis, verène absolvit à non reservatis, ita ut satis sit pœnitenti sic absoluto, confiteri postmodum sola peccata reservata?*

R. Irrita est & prorsus nulla ejusmodi absolutio, tam respectu peccatorum non reservatorum, quàm respectu reservatorum, teneturque pœnitens iterùm peccata sua integrè confiteri.

Probatur 1. ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 7. ubi loquens de casuum reservatione, docet nullius esse momenti absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem nullam habet jurisdictionem: atqui absolutio esset magni momenti, si remitteret directè peccata non reservata, & indirectè reservata.

Nec dicas Sacerdotem generaliter approbatum, habere jurisdictionem in pœnitentem respectu peccatorum non reservatorum; namque 1. sequeretur pœnitentem, qui non est conscius ullius peccati mortalis nisi reservati, posse absolvi directè à venialibus, indirectè verò à peccato mortali reservato, quod est absurdissimum. 2. Quia ex citato cap. 7. Concilii Tridentini, Sacerdos inferior non potest ferre sententiam in eum, qui ligatus est peccato reservato; quia non est ei subjectus, nec ullam in eum habet jurisdictionem: Ergo

Ergo hoc ipſo quo Superior reſervat aliquod peccatum, reum ſubtrahit foro inferioris.

Probatur 2. ex laudatis Declarationibus Clementis VIII. & Urbani VIII. qui ejusmodi abſolutiones pronuntiant nullas, irritas, nullius roboris & momenti, ac proinde confeſſiones eſſe integrè iterandas.

Dices, ex iſta reſponſione ſequuntur gravia incommoda, &, ut videtur, abſurda. Poteſt enim contingere ut pœnitens bona fide confiteatur omnia peccata, neſciens unum ex iis eſſe reſervatum, nec Confeſſarius advertat, ſive ex ignorantia, ſive ex negligentia, ſive ex aliqua cauſa inculpabili. Sed quod gravius eſt, fortè pœnitens, etiam poſt diligens examen, non recordatur, nec deinceps recordabitur ſe lapſum in aliquod peccatum reſervatum. Quibus ſuppoſitis, utitur ille eodem Confeſſario uſque ad mortem, nec habet perfectam contritionem, quæ extra Sacramentum delet peccatum, damnabitur; ſicque reſervatio, quæ ex inſtitutione ſua bona eſt, fiet illi mors, etiam ſine ejus culpa, quod quàm alienum ſit à mente Superiorum, nemo non videt: Ergo.

Nego anteced. nempe ex noſtra reſponſione ſequi ullum abſurdum; namque 1. in omnium ſententia, irrita eſt abſolutio pœnitenti conceſſa, qui confitetur ei qui falſò creditur Sacerdos, aut approbatus, nec bona fides, in qua pœnitens uſque ad mortem permanet, liberabit eum à damnatione æterna propter lapſus præteritos, niſi Deus miſericorditer ei inſpiret contritionem perfectam. 2. In ſententia apud Veteres valdè communi, quamque ſanctus Carolus proponit ſequendam in ſua Diœceſi, nempe inferiorem Sacerdotem

tem posse absolvere directè à non reservatis, & indirectè à reservatis, imposito onere conveniendi superiorem pro reservatis, reservatio non adimit inferiori Sacerdoti omnem jurisdictionem in pœnitentem; sed in peccata dumtaxat reservata. Unde, quamvis in sententia, cui adhæremus tanquam veriori, non liceat extra casum necessitatis, absolvere pœnitentem cum onere adeundi Superiorem, absolutio tamen erit valida, ubi Superior suam intentionem expresserit, sicut S. Carolus.

3. Juxta communem sententiam, cui eo ipso consentire censentur Superiores, quo ei non contradicunt, cùm eum ignorare non possint, in casu necessitatis inferior validè & licitè absolvit directè quidem à non reservatis, indirectè verò à reservatis, pro quibus pœnitens Superiorem posteà adire tenetur. Quæ autem major necessitas absolvendi saltem indirectè à reservatis, quàm cùm pœnitens propter invincibilem oblivionem non potest ea confiteri? peccata, quæ post diligens examen memoriæ non occurrunt, per absolutionem indirectè remittuntur juxta doctrinam Concilii Tridentini, nec in ejusmodi necessitate obligat præceptum divinum confitendi omnia & singula peccata mortalia. Porrò si Deus sic peccatoribus indulget, nec ratio, nec justitia dubitare sinunt, quin fuerit eadem Superioris intentio ac voluntas, cùm casus sibi reservavit, ut ab eo casu inferior indirectè absolvere possit, qui inculpatè è memoria pœnitentis excidit.

Q. 8. *Si quis lapsu memoriæ, & ex inadvertentia inculpabili oblitus esset unum ex pluribus peccatis reservatis Superiori exponere, reservatio hujusmodi peccati essetne subla-*

*ſublata ita ut jam ſolvi poſſet à quolibet Sacerdote approbato?*

R. Aſſeruimus in praxi pœnitentiaria torrente Authorum quodammodo abrepti. Sed re maturiùs diſcuſſa, diſtinguendum videtur: vel Superior quibusdam indiciis manifeſtavit ſe tollere omnem reſervationem, vel non. Si primum, nulla remanet reſervatio. Unde qui ea præſtitit, quæ præſcripta erant in Bulla Jubilæi, & poſtea recordatur ſe ex oblivione inculpabili non confeſſum peccatum reſervatum, poteſt abſolvi à quolibet Sacerdote approbato; quia Summus Pontifex Jubilæi gratia, expreſsè tollit omnem peccatorum & cenſurarum reſervationem. Si ſecundum, nempe ſi Superior nequidem cogitavit de aliis peccatis, præter ea, quæ ipſi ſacramentaliter ſunt expoſita, nulla lex, nullave efficax ratio proferri poteſt, ex qua concludere liceat ejusmodi peccata omiſſa non eſſe ampliùs reſervata. Afferuntur quidem nonnullæ rationes, quas *convenientias* vocant, ſed quis neſciat ex iis ſolis nihil certò concludi?

Q. 9. *Abſolutio vel virtute Jubilæi, vel authoritate Superioris collata, tollit-ne reſervationem, etiamſi fuerit irrita defectu diſpoſitionis in pœnitente?*

R. Minimè, ne oppoſita ſententia ſatis firmo nititur fundamento. Patet de abſolutione incaſſum data virtute Jubilæi; quia ejusmodi indulgentia non conceditur, niſi verè pœnitentibus. De alia verò probatur; nam Superior ordinarius non tollit reſervationem, niſi ſacramentaliter abſolvendo, vel ad inferiorem Sacerdotom remittendo: atqui nec ſacramentaliter abſolvit, cùm ſupponatur abſolutio nulla, nec ad inferiorem remiſit:

misit Ergo. Delegatus quoque nihil potest circa peccata reservata extra Sacramentum: cum ergo irritum & planè nullum fuerit Sacramentum, peccata manent reservata.

Q. 10. *Facultas generatim concessa absolvendi à casibus reservatis, extenditurne ad censuras iisdem annexas?*

R. Si sit concessa à Summo Pontifice pro casibus ipsi reservatis, extenditur; alioquin nihil concederet, cùm nullus sit casus ipsi reservatus, qui non habeat annexam censuram. Circa verò casus, quos Episcopi sibi reservant, est difficultas; quia plures ex iis casibus sunt sine censura, & usus videbatur invaluisse, ut qui ab Episcopo obtinuisset facultatem absolvendi à casibus ipsi reservatis, censeretur facultatem habere à censuris iisdem annexis. Verùm non ita constat, quòd usus ille sit ad mentem omnium Episcoporum: Eminentissimus quippe Archiepiscopus Parisiensis nuper declaravit in generali concessione absolvendi à casibus sibi reservatis non comprehensi facultatem absolvendi ab omnibus censuris iisdem annexis. Unde exoptandum videtur ùt Episcopi in ejusmodi concessionibus indefinitis exprimant quæ sit eorum intentio circa censuras iis annexas, ut alicubi observatur.

Q. 11. *Peccatum estne reservatum in eo, qui cùm peccavit, ignorabat reservationem?*

R. Est reservatum; quia gravitas peccati est causa sufficiens reservandi ejus absolutionem, nec requiritur contumacia in peccante sicut ad incurrendam censuram. Und qui lapsus esset in peccatum, cui annexa est censura, invincibiliter ignorans peccatum illud esse reservatum cum censu-

censura, nulla quidem censura esset ligatus, nihilominus non posset à culpa absolvi, nisi per Ordinarium, aut ejus delegatum.

Q. 12. *Quilibet Sacerdos approbatus potestne absolvere ab omnibus casibus reservatis juxta privilegia quibusdam Confraternitatibus à Summo Pontifice concessa, quando Episcopus illas Confraternitates in sua Diœcesi institui permisit?*

R. Non potest, nisi sit ab Episcopo specialiter ad id approbatus: tum quia ex Alexandro VII. supra laudato non sine injuria Sedis Apostolicæ asseritur, quòd facultatem concesserit absolvendi à casibus Episcopo reservatis: tum quia Clemens VIII. nostram responsionem expressè confirmavit die septima Decembris anno 1604. edita constitutione, quæ incipit: *Quæcunque à Sede Apostolica.*

Q. 13. *Qui in articulo mortis absolutus est à casibus reservatis per Sacerdotem non approbatum, saltem specialiter, si præter spem convaluerit, teneturne adire Superiorem?*

R. Si nulla censura sit casibus reservatis annexa, una est omnium sententia, eum non teneri: quia ex dictis omnis Sacerdos in illo articulo est approbatus pro quolibet casu etiam reservato, & ita directè ab eo absolvit, nec proinde ulla ratio est, cur sic absolutus recurrat ad Superiorem, sicut qui absolutus est tantùm indirectè in altero necessitatis casu, verbi gr. ad vitandam infamiam aut scandalum, ut supra diximus. Quin Sambovius tom. 2. casu 46. extendit nostram responsionem ad casus, quibus annexa est censura, nisi Confessarius ipsis, si convaluerit, Superiorem adeundi onus imposuerit, cap. enim *de cætero*, cap. *ea noscitur*, & cap. *quod de his*, lib. 5. tit. 39. de sententia

tia excommunicationis, onus illud non imponunt, ſed monent à Confeſſario imponendum: *Cæterum*, inquit Clemens III. cit. cap. *quod de his : ab his in forma Sacramenti exigi conſuevit*, *ut reſumptis viri us & opportunitate conceſſa, Romanam Eccleſiam in propria perſona debeant viſitare.* Bonifacius quidem VIII. in ſexto, lib. 5. tit. 11. de ſententia excommunicationis, ſtatuit ſic abſolutum teneri adire Superiorem ſub pœna reincidentiæ, ut loquuntur: *Decernimus*, inquit, *ne ſic cenſuræ illudant Eccleſiaſticæ, in eandem ſententiam recidere ipſo jure.* Verùm canon ille non eſt ubique in Gallia receptus, viget in Diœceſi Remenſi & Virdunenſi : in Pariſienſi & Carnotenſi pœnitens, remoto periculo ſeu impedimento; tenetur ſe ſiſtere coram ſuperiore, ſed nulla ei imponitur pœna, ſi neglexerit. Quare debet quiſque conſulere Ritualem librum ſuæ Eccleſiæ.

Q. 14. *Eccleſia ſuppletne aliquando defectum poteſtatis in Miniſtro Sacramenti Pœnitentiæ?*

R. Supplet in iis quæ ſunt juris Eccleſiaſtici, quando duo ſimul concurrunt. 1. Quando eſt titulus coloratus, id eſt, habens ſpeciem veri tituli, quamvis reverà ſit nullus. 2. Quando eſt error publicus, ita ut omnes communiter præſumant titulum eſſe verum. Deficiente autem horum alterutro, Eccleſia defectum non ſupplet. Hinc duo Sacerdotes canonicè inſtituti ad idem Parochiale Beneficium, pendente lite, Parochianos validè abſolvunt, quamvis unus dumtaxat Paſtor eſſe poſſit, quia habent ambo titulum coloratum, nempe inſtitutionem, & communiter creduntur canonicè inſtituti. Contra verò Sacerdos, qui confeſſiones excipit poſt præfixum ap-

probationis tempus, licèt ab omnibus existimetur approbatus, invalidè absolvit; quia caret titulo saltem colorato.

Dixi, *in iis quæ sunt juris Ecclesiastici*; ut innuerem Ecclesiam non posse supplere quæ sunt juris divini, putà irritam Presbyteri ordinationem, insufficientem pœnitentis attritionem, etiamsi probabiliter, & publicè habeantur illa ut rata, ista ut sufficiens; hæc enim ab Ecclesia non pendent, sicut jurisdictionis concessio, aut denegatio. Quare meritò damnata est ab Innocentio Undecimo anno 1679. à Clero Gallicano anno 1700. & ab aliis passim Episcopis sequens propositio: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti.*

Atque hæc de potestate Ministri Sacramenti Pœnitentiæ.

Plura dicenda supersunt de ejus scientia, prudentia, sanctitate & charitate, sine quibus ritè, ac utiliter Sacramentum administrare non potest; sed cùm ea latè prosecuti fuerimus in praxi Pœnitentiæ, rectà pergimus ad ea, quæ sunt necessaria ex parte pœnitentis, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem, quas diximus esse partes materiales Sacramenti.

# CAPUT VIII.

## De Contritione.

Cum singulas jam Sacramenti Pœnitentiæ partes expendi à nobis accuratiùs oporteat, diximus

mus incipiendum à contritione, quæ eſt prima pars & maxime neceſſaria hujuſce Sacramenti.

Prima quidem eſt juxta Concilium Tridentinum ſeſſ. 14. cap. 4. quia cæteræ ab illa tanquam à cauſa ſua pendent; conceptus quippe de perpetrato peccato dolor ad id adducit peccatorem, ut accuſet ipſe ſe, ſeque nocentem eſſe fateatur; contra verò quamdiu peccatum amabit ſuum; aut aliqua peccati illecebra detinebitur, quavis ratione, vel exemplo excuſabit delicta, vel diſſimulabit, *via ſtulti recta in oculis ejus*, Prov. cap. 12. Verùm ubi primùm ſingulari quadam miſericordia Deus optimus ſpiritum compunctionis, ac pœnitentiæ infuderit, tunc in corde peccatoris cernere eſt quod fieri ſolet in malè affecto corpore, ac pravis humoribus tumente; movetur nempe ſtomachus ſubito quodam tot humorum faſtidio, ac quidquid noxium eſt, protinùs evomit: idem repentè fit in anima, intolerans quippe & impatiens earum macularum, quæ intra ſe antea latebant, eas ſincera confeſſione deponit, ejuratque, & peccatorum turpitudinem, aut numerum, nedum elevet, exaggerat potius & amplificat, ſalva tamen veritate. Hinc ardens illud deſiderium faciendi Deo ſatis, & forti quadam ſeveritate puniendi illa delicta, quibus, dum aberat contritio, parcebatur.

Eſt quoque præ ceteris Sacramenti partibus neceſſaria contritio; ipſa enim ſola aliquando defectum ſupplet aliarum; iſtæ verò nunquam ſine contritione prodeſſe queunt.

Eſt & aliud, quod diligentiam tum Confeſſarii, tum pœnitentis in inveſtiganda veræ contritionis ratione acuere debeat, nempe iſta Sacra-

menti pars longè frequentiùs, quàm cæteræ deesse solet, adeò ut si semel, aut bis Sacramentum irritum fuerit defectu vel potestatis in Ministro, vel integræ confessionis in pœnitente, decies invalidè conferatur defectu sinceræ contritionis.

Contritio autem dupliciter spectari potest, scilicet, generatim & speciatim; est enim quoddam genus, cujus species sunt contritio perfecta, & attritio.

De contritione generatim sumpta, satis superque egimus cap. 1. §. 1. pag. 14. & seq. Nunc expendere nobis incumbit, quæ sint contritionis perfectæ & attritionis propria, & quomodo ambæ illæ contritionis species inter se differant.

Sed cùm juxta Dialecticorum regulam, quod convenit generi, illud necessariò conveniat & speciei, operæ pretium est monere neutram contritionis speciem esse idoneam Sacramenti materiam, nisi cuilibet competant proprietates contritionis generatim sumptæ; hoc est, nisi sit 1. dolor supernaturalis à Spiritu sancto inspiratus. 2. Universalis, qui se extendat ad omnia & singula peccata saltem mortalia. 3. Novæ vitæ propositum includat absolutum & efficax, eo modo quo exposuimus cit. §. hìc consulendo.

## §. I.

## *De Contritione perfecta.*

Q. 1. *Quid est contritio perfecta?*

R. Describitur à Patribus Tridentinis sess. 14. c. 4. contritio quæ charitate perficitur, hoc est, quæ ex motivo perfectæ charitatis elicitur, aut imperatur. Per primam vocem designatur

tur genus, in quo contritio perfecta convenit cum imperfecta, seu attritione: per reliquas differentia; qua distat contritio perfecta ab attritione; hæc enim non elicitur à charitate saltem perfecta, ut infrà dicetur.

Q. 2. *Contritio perfecta reconciliatne peccatorem antequam Sacramentum actu percipiat?*

R. Reconciliat.

Probatur 1. ex Scriptura & SS. Patrum testimoniis, quibus Tract. de Baptismo cap. 10. asseruimus Catechumenos à peccatis purgari per votum Baptismi cum charitate conjunctum: *Charitas* enim *operit multitudinem peccatorum*, 1. Petri cap. 4. v. 8.

Probatur 2. ex Concilio Tridentino, & ex Decretis Summorum Pontificum.

Concilium quidem Tridentinum sic habet sess. 14. cap. 4. *Docet præterea etsi contritionem hanc aliquando charitate perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam.* Non ait Concilium contritionem charitate perfectam hominem Deo reconciliare aliquando, nempe, ut interpretatur Estius, in casibus duntaxat necessitatis; sed expressè docet contritionem aliquando charitate esse perfectam, tuncque hominem Deo reconciliare cum Sacramenti voto; refertque Cardinalis Pallavicinus, lib. 12. cap. 10. Historiæ Concilii adeò persuasum fuisse Patribus virtutem illam inesse contritioni perfectæ, ut paratus esset Canon, quo definiretur hancce veritatem fide divina esse credendam, nisi Archiepiscopus Calaritanus exposuisset hujus-

 modi

modi quæstionem pertinere ad controversias Scholæ, in qua graves Theologi, ut Adrianus & Cajetanus, docebant contritionem perfectam extra Sacramentum non justificare, nisi fortè in casibus extraordinariis, ut in articulo mortis, in quo non haberetur copia Confessarii.

PiusV. GregoriusXIII. & UrbanusVIII. hancce Baji Propositionem septuagesimam damnarunt: *Per contritionem etiam cum charitate perfecta & cum vero voto percipiendi Sacramentum, non remittitur crimen extra casum necessitatis aut martyrii sine actuali susceptione Sacramenti.* Præiverat Sacra Facultas Parisiensis anno 1560. die 27. Julii, judicaveratque hujusmodi propositionem esse hæreticam.

Probatur 3. Ratione, in lege veteri perfecta contritio peccata delebat: per eam Manasses veniam consecutus est; David, ut ex ferventi doloris sensu protulit: *Peccavi,* mox audivit à Propheta: *Dominus quoque transtulit peccatum tuum,* 2. Reg. c. 12. quia ex S. Chrysostomo homil. 7. in secundam ad Timoth. *sicut ignis, ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit; ita & charitatis fervor, quocunque inciderit, omnia perimit, atque perrumpit; ubi charitas est, omnia sublata sunt mala.* Atqui gratia Evangelii nihil detraxit efficaciæ perfectæ contritionis: Ergo Momenta quæ solent opponi contra nostram responsionem, solvimus citat. Tract. de Baptismo cap. 10.

Q. 3. *Contritio perfecta estne dispositio necessaria ad Sacramentum?*

Asseruerunt plures Theologi tum ante Concilium Trident. ut Hugo Victorinus lib. 2. de Sacram. p. 14. cap. 8. Richardus Victorinus lib. de potestate ligandi & solvendi, & cap. 7. & 19. Magister

gister Sententiar. lib. 4. dist. 17. Guillelmus Antissiodorensis lib. 4. de pœnit. Albertus Magnus in 4. dist. 18. art. 13. Alexander Halensis part. 4. Summæ quæstione 8. S. Bonaventura in quartum dist. 18. art. 2. Robertus de Sorbona opusc. de itinere Paradisi: & alii, tum in Concilio Trident. ut Joannes Æmilianus, quemadmodum refert Cardinalis Palavic. lib. 12. Hist. cap. 10. tum post Concilium Trident. ut Medina lib. de Pœnit. Gabriel lib. de pœnit. cap. de Contritione; Marianus Victorin. lib. dè Sacramento Conf. cap. 13. Non defuere quidem in Concilio Trident. qui, ut scribit idem Historicus cit. loco contenderent, ejusmodi sententiam censuræ esse subjiciendam; sed abstinuerunt Patres, utpote quæ videretur pertinere ad quæstiones Scholæ, plurimumque distaret ab errore tum Wiclefi, cujus fuit hic articulus in Concilio Constantiensi damnatus: *Si homo fuerit debitè contritus, omnis confessio exterior seu sacramentalis est sibi superflua & inutilis:* tum Pseudo-reformatorum, apud quos absolutio non est nisi concionalis declaratio peccata esse dimissa. In mente vero laudatorum Theologorum, absolutio est sententia verè juridica, qua confertur augmentum gratiæ sanctificantis, solviturque juxta quosdam reatus pœnæ æternæ: secundùm autem alios communiter remittitur pars pœnæ temporalis, major vel minor pro dispositione pœnitentis. Nihilominus

R. Cum communi Theologorum sententia omnino retinenda, contritionem perfectam non esse dispositionem necessariam ad Sacramentum.

Probatur 1. iisdem Scripturæ & SS. Patrum testimoniis, quibus capite 3. evicimus à Christo

conceſſam fuiſſe Sacerdotibus poteſtatem non ſolùm juridicè declarandi, peccata eſſe dimiſſa, ſed reverà remittendi.

Probatur 2. ex Synodo Tridentina, quæ etſi eo in negotio nihil decernere voluerit, mentem tamen ſuam ſat dilucidè aperuit ſeſſ. 14. cap. 4. ubi docet contritionem aliquando perfectam eſſe, hominemque reconciliare, priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur. Ergo in ejus mente ad Sacramentum ritè ſuſcipiendum, non debet ſemper eſſe perfecta contritio, quæ priùs hominem Deo reconciliet.

Probatur 3. auctoritate Summorum Pontificum Pii Quinti, Gregorii XIII. & Urbani VIII. qui hancce Baji propoſitionem quinquageſimam quintam damnarunt: *Peccator pœnitens non vivificabitur miniſterio Sacerdotis, ſed à ſolo Deo, qui pœnitentiam ſuggerens & inſpirans vivificat eum, & reſuſcitat; miniſterio autem Sacerdotum ſolus reatus tollitur.*

Probatur 4. tum ex Catechiſmo Romano, qui parte 2. cap. de pœnitent. §. 47. conceptis verbis hujuſce contritionis perfectæ neceſſitatem in Sacramento excludit; tum ex judicio Sacræ Facultatis Pariſienſis, quæ anno 1638. de quibusdam propoſitionibus Claudii Seguenot, ſic mentem expoſuit: *Quæ tradit* (Auctor ille) *de attritionis inſufficientia, & contritionis ex perfecta charitate abſoluta neceſſitate ad recipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, & quæ addit & approbat de abſolutione, quod nihil aliud ſit, quàm declaratio juridica peccati jam remiſſi, damnavit quoque Facultas, & cenſuit has propoſitiones eſſe quietis animarum perturbativas, communi & omninò tutæ praxi Eccleſiæ contrarias, efficaciæ Sacramenti imminutivas, & inſuper temerarias, ac er-*

*ac erroneas.* Tum denique ex Clero Gallicano, qui anno 1700. in declaratione de dilectione Dei in pœnitentiæ ſacramento requiſita, ſic habet: *Hæc duo imprimis ex Sacro-Sancta Synodo Tridentina monenda, & docenda eſſe duximus; primum ne quis putet in utroque Sacramento requiri, ut præviam contritionem eam quæ ſit charitate perfecta, & quæ cum voto Sacramenti, antequam actu ſuſcipiatur, hominem Deo reconciliet.*

Sed cùm charitas dupliciter poſſit eſſe perfecta, nimirum appretiativè & intenſivè, ut fusè expoſuimus Tract. de Charitate c. 1. à pag. 695. ad pag. 702. ad quas remittimus, idcircò

Q. 4. *Quæ charitatis perfectio requiritur, ut contritio extra Sacramentum peccata deleat, ac Deo reconciliet?*

Duæ ſunt oppoſitæ ſententiæ in Scholis celebres, & hinc inde acri ſtudio agitatæ.

Prima ſtatuit quemlibet charitatis actum appretiativè ſummum cum voto Sacramenti hominem Deo reconciliare.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ veniam peccatori promittit ſtatim atque ad Deum ex toto corde convertitur, illumque ſuper omnia diligit, Iſa. 55. *Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas: & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus.* Ezech. 18. *Cùm enim averterit ſe juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis .... & cùm averterit ſe impius ab impietate ſua.... ipſe animam ſuam vivificabit.* Ergo ſicut juſtus per quodlibet peccatum; ſive intenſum, ſive remiſſum, modò ſit grave & lethale, ſtatim excedit à gratia: ita impius per quemlibet amorem Dei etiam remiſſum,

missum, modò sit summus appretiativè, mox amissam vitam gratiæ recuperat, Prov. 8. vers. 17. *Diligentes me diligo;* diligentes, inquam ego, non quavis dilectione, sed ea quæ præcipitur primo legis mandato: *Diliges Dominum Deum tuum ex tote corde tuo:* Atqui per quemlibet amorem Dei appretiativè summum impiùs derelinquit viam suam, ad Deum toto corde revertitur, diligit Deum super omnia, juxta primum & maximum legis mandatum: Ergo.

Probatur 2. ex Sanctis Patribus; qui charitati & contritioni, nulla facta mentione gradus & intensionis, vim purgandi peccata tribuunt.

S. Chrysostomus epist. ad Theodorum lapsum, sic scribit: *Talis, crede mihi, talis est Dei erga homines pietas, ut pœnitentiam nusquam respuat, si ei sincerè & simpliciter offeratur .... & quod adhuc præstantius, etiamsi non potuerit quis explere in præsenti satisfaciendi ordinem, quantulamcumque tamen & quamlibet brevi tempore gestam non respuit pœnitentiam.*

Sanctus Augustinus Tractatu 9. in Joan. de charitate disserens, sic habet: *Quam cùm habere cœperit, Spiritum Sanctum habebit: quam si non habuerit, sine Spiritu Sancto erit. Et quomodo corpus tuum sine spiritu (quod est anima tua) si fuerit, mortuum est: sic anima tua sine Spiritu Sancto, idest, sine charitate si fuerit, mortua deputabitur.* Tract. 5. in 1. Joan. *Non discernuntur filii Dei à filiis Diaboli, nisi per charitatem: qui habent charitatem, nati sunt ex Deo; qui non habent, non sunt nati ex Deo.* Et serm. 35. aliàs 2. de diversis cap. 12. *Deum non vides*, inquit, *ama, & habes. Quàm multa in damnabilibus cupiditatibus amantur, & non habentur! Deus nobis de compendio se offert,*

*fert, clamat nobis, amate me; quia non poteſtis amare me, niſi habueritis me.*

Sanctus Leo epiſt. 91. *Nec miſericordiæ Dei*, inquit, *menſuras poſſumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur moras vera converſio.*

Probatur 3. ratione triplici. Prima. Quia qui Deum ſuper omnia diligit, etiam actu remiſſo, vult Deo in omnibus placere: *Minima charitas*, inquit S. Thomas 2. 2. qu. 24. art. 5. *ſe extendit ad omnia illa, quæ ſunt ex charitate diligenda:* omnem Dei offenſam averſatur, cum Deo conjungitur per amorem amicitiæ: Quid ergo ultra deſiderari poteſt, ut Deo gratus ſit & acceptus?

Secunda. Quia non poteſt aſſignari, quis in charitate intenſionis gradus neceſſarius ſit ad delenda peccata extra Sacramentum. Non omnium poſſibilium maximus; cùm charitas poſſit creſcere in infinitum, nec ulla creatura ſit capax producendi actum infinitum: non maximus, qui in hac mortali vita elici queat, alioquin nec ipſe Apoſtolus, qui ardenti amore cupiebat diſſolvi & eſſe cum Chriſto, veniam fuiſſet conſecutus, cùm minùs intensè Deum diligeret, quàm beata Virgo: non denique intenſior quolibet amore rerum creatarum, putà amore ſui ipſius, parentum, ac filiorum; quia intenſior ille amor cùm non ſit in noſtra poteſtate, omnes de ſalute ſua deſperare deberent; quivis enim experitur ſe ex humana infirmitate (quam vincere non poteſt, quantumcunque diſpliceat) vehementiùs commoveri morte propinquorum, & aliis temporalibus incommodis, quàm offenſa Dei, quamvis tamen Deum plus appretiativè, quam ſeipſum aut parentes diligat.

Tertia ratio. Facilè intelligitur, quomodo Deus justo judicio damnet à se aversos; hi quippe merentur à Deo rejici, qui primi illum rejecerunt; à creatura in æternum torqueri, in qua suum finem ultimum constituerunt; & in vitæ exitu excidere per subtractionem divini influxus, tum à fide, quam in injustitia detinuerunt: tum à spe, quæ in ipsis sine observatione mandatorum fuit inanis & præsumptionis occasio. Sed non potest concipi quomodo rejiciat conversum ad se totaliter, licèt remissè, & reprobando faciat aversum; nam omnis reprobus est à Deo aversus: atqui omnis qui diligit Deum super omnia; quamvis remissè, est ad Deum totaliter conversus, *statim atque Dei amor extiterit*, inquit sanctus Chrysostomus, hom. 9. in epist. ad Rom. *homo infra se posita habet:* Ergo.

Respondent Patroni oppositæ sententiæ reverà non damnandum fore, qui Deum super omnia remissè diligit; quia in articulo mortis Deus supplet defectum Sacramenti.

Contra: remissus Dei amor super omnia, vel est dispositio per se sufficiens, & ultima ad gratiam sanctificantem, vel non? Si primum, gratia sanctificans non separatur ab amore Dei super omnia; posita enim ultima dispositione, statim introducitur forma: *Nullas patitur moras vera conversio*, inquiebat supra S. Leo. Si secundum, nulla extat sive in Scripturis, sive in Traditione, Dei promissio perficiendæ charitatis in casu extremæ necessitatis.

Imò, inquiunt illi Theologi, constans est Ecclesiæ Traditio non desperandum de salute pœnitentium, qui absque Sacramento fortè moriuntur:

tur : *Pœnitentes*, inquit Concilium Carthaginense IV. can. 79. *qui attentè leges pœnitentiæ exequuntur, si casu in itinere, vel in mari mortui fuerint, ubi eis subveniri non possit; memoria eorum & orationibus & oblationibus commendetur.* Similia statuerunt Concilia Vasense, Arelatense II. & Toletanum XI. sanctus Ambrosius de obitu Imperatoris Valentiniani sine Baptismo defuncti, non dubitat de ejus salute. Et S. Augustinus libro 4. de Baptismo cap. 22. scribit impleri invisibiliter quod deerat, *cùm mysterium Baptismi non contemptus Religionis, sed articulus necessitatis excludit.* Ergo ea semper fuit mens Ecclesiæ Deum in extremis supplere defectum Sacramenti.

Distinguenda est consequentia; supplere aliquando, ut in Latrone in Cruce juxta Christum pendente, quem S. Augustinus cit. cap. 22. in exemplum affert, verissimum est: supplere semper, falsissimum. Orat quidem Ecclesia pro omnibus Fidelibus, qui sive perceptis, sive expetitis Sacramentis diem clauserunt extremam, sed inde non sequitur omnes illos ad Deum & ad requiem æternam abire. Hoc unum certum est, quòd si cum voto Sacramenti abeant perfectè contriti, salvabuntur: utrùm verò ex imperfectè contritis, Deus perfectè contritos reddat, incertum, nec illud colligi potest ex suffragiis Ecclesiæ, cùm ea non deneget, nisi iis, quos constat obiisse impœnitentes. Addo plures vi morbi non esse rationis compotes, ut amor Dei, qui fuerat in eis remissus, intendatur, perficiaturque, ac proinde, si per se non sufficiat ad justificationem, ut contendunt Patroni oppositæ sententiæ, illi pœnitentes cum amore Dei super omnia, sed re-

miſſo damnabuntur, quod videtur longè abſurdiſſimum. Nec dicant Deum in illis extremis gratiam habitualem infundere, etiamſi ſubjectum ad illam non ſit ultimò diſpoſitum : illud enim eſt ſingulare privilegium martyrii, ut conſtat tum ex Scriptura, tum ex Traditione. Vide quæ in hanc rem dicta ſunt Tractatu de Baptiſmo cap. 9.

Secunda Sententia requirit in contritione, quæ extra Sacramentum juſtificet, intenſiorem charitatis gradum, Deo, non hominibus notum.

Probatur autem hæc ſententia 1. ex Scriptura, quæ acrem dolorem & intenſum amorem à peccatoribus exigit, ut veniam à Deo conſequantur. Deuteron. 4. *Cùm quæſieris Dominum Deum tuum, invenies eum; ſi tamen toto corde quæſieris, & tota tribulatione animæ tuæ.* Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu; & ſcindite corda veſtra;* quæ ſanè vehementiam doloris denotant neccelſariam ad peccatorum remiſſionem obtinendam. Talis fuit dolor Davidis, cùm poſt comminationes Dei terribiles exclamavit : *Peccavi*, 2. Reg. 12. verſ. 13. *Tres ſyllabæ ſunt*, inquit S. Auguſtinus ſerm. 393. aliàs 41. ex homil. 50. *ſed in his tribus ſyllabis flamma ſacrificii cordis* (ex quo flumina lacrymarum proruperunt) *aſcendit in cœlum.* Talis quoque pœnitentia mulieris peccatricis, quæ lacrymis ſuis lavit pedes Chriſti, Luc. 7. & S. Petri, qui flevit amarè, Matth. 26.

Probatur 2. ex Catechiſmo Romano à ſancto Pio V. probato, & ubique recepto ac laudato; ſic enim habet parte 2. de inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ : *Ut hoc concedamus, contritione peccata deleri, quis ignorat eam adeo vehementem, acrem & incenſam eſſe oportere, ut doloris acerbitas cum ſcelerum*

*rum magnitudine æquari conferrique possit? Et quoniam pauci* (in veteri lege) *ad hunc gradum pervenirent; fiebat etiam ut à paucissimis hac via peccatorum venia speranda esset. Quare necesse fuit ut clementissimus Dominus faciliori ratione hominum saluti consuleret, quod quidem admirabili consilio effecit, cùm claves regni cœlestis Ecclesiæ tradidit.* Quæ verba adeo clara, etsi non habeant vim definitionis fidei, continent tamen doctrinam sanam judicio tum summi Pontificis Pii V. tum omnium communiter Episcoporum: ac proinde idem Sanctissimus Pontifex Pius V. non damnavit trigesimam & sexagesimam-septimam Baji propositionem, nisi quia auctor is asseruit charitatem etiam perfectam posse consistere cum peccato mortali.

Probatur 3. ex Patribus, qui omnes uno ore vehementem dolorem & intensum amorem à pœnitentibus exigunt. Tertullianus de pœnitentia scribens, ait cap. 9. *Mandat ..... animum mœroribus dejicere ..... ingemiscere, lacrymari, & mugire dies noctesque ad Dominum .... ut in peccatorem pronuntians Dei indignatione fungatur, & temporali afflictatione æterna supplicia non dicam frustretur, sed expungat.* Sanctus Cyprianus serm. de lapsis in fine: *Quàm magna deliquimus*, inquit, *tam granditer defleamus. Alto vulneri diligens & longa medicina non desit: pœnitentia crimine minor non sit .... Putas facilè eum* (Dominum) *misereri tui, quem tuum non esse dixisti? Orare oportet impensiùs & rogare, diem luctu transigere, vigiliis noctes ac fletibus ducere, tempus omne lacrymosis lamentationibus occupare, stratos solo adhærere cineri, in cilicio volutari & sordibus*, &c. Similia habet sanctus Ambrosius ad virginem lapsam cap. 8. ubi sic ait: *Sed quanta putas & qualis necessaria pœniten-*

*nitentia, quæ aut æquet crimina, aut certè exæquet?* Sanctus quoque Augustinus serm. 278. aliàs 34. de diversis cap. 12. *Sunt*, inquit, *quædam gravia & mortifera, quæ nisi per vehementissimam molestiam humiliationis cordis, & contritionis spiritus, & tribulationis pœnitentiæ non relaxantur. Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ.* Et sanctus Cæsarius hom. 1. *Quomodo*, inquit, *solet mater orbata super amissione unici filii sui fracto pectore lamentari; ita convenit super unicam suam* (animam) *sed cùm spe reparationis affligi .... Necesse super hanc unicam criminum mucrone confossam totum pondus doloris effundi, si fortè possit lacrymarum vivificata fontibus, calore fidei suscitari.*

Verùm isthæc Patrum testimonia parùm favent huic posteriori sententiæ: tum quia in iis agitur de pœnitentia necessaria ad obtinendam in Sacramento peccatorum remissionem, ut legenti Tertullianum, & Sanctum Cyprianum patebit, & indicat sanctus Augustinus, dum subdit: *Hæc dimittuntur per claves Ecclesiæ*; Patroni autem posterioris sententiæ non requirunt incensam charitatem ad Sacramentum Pœnitentiæ: tum quia Patres loquuntur de tota actione pœnitentiæ prout complectitur etiam satisfactionem, quæ antiquitus solebat præcedere absolutionem sacramentalem. Atqui ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8. & in omni Catholicorum sententia, satisfactio debet, quantum possibile est, æquare criminum magnitudinem. Fatendum quidem est tot gemitus & lacrymas, totque acerbas corporis afflictationes fluere ex summo cordis dolore; sed quis Catholicorum neget dolorem ad Sacramentum necessarium debere esse summum saltem appretiatè, ex quocunque tandem motivo procedat,

sive

ſive ex metu gehennæ, ſive ex deſiderio recuperandæ beatitudinis per peccatum amiſſæ? quibus motivis Tertullianus, ſanctus Cyprianus, & ſanctus Ambroſius incitant pœnitentes, ſive ex motivo amoris Dei ſuper omnia. Controverſia autem, in qua verſemur, eſt de charitate requiſita ad delenda peccata extra Sacramentum, an debeat eſſe in gradu intenſo, quod laudati Patres non attingunt, ſaltem directè, ac dilucidè.

Quæſtionem in utramque partem ſincerè ac candidè agitavimus: tum ut teſtificaremur noſtram in graves Theologos obſervantiam, qui magno numero ſtant, alii pro priore, alii pro poſteriore ſententia: tum ut vitaremus eorum offenſionem, qui utentur labore noſtro; non deſunt enim, qui in hacce Scholæ controverſia ita uni parti addicti ſunt, ut ægrè ferant, ſi altera ab aliis propugnetur. Quamobrem quid veriſimilius nobis videatur, exponemus, neutram opinionem impugnando, ſed utramque, quantùm fieri poteſt, conciliando. Quod, ut aſſequamur, nonnulla prænotanda ſunt.

Notandum itaque 1. duplicem eſſe charitatis fervorem: alium ſenſibilem, cùm ſenſus vehementer commoventur ad amandum Deum, & dolendum ob ejus offenſam: alium ſpiritalem; cùm voluntas, etſi immotis, vel etiam reluctantibus ſenſibus, toto ſuo pondere fertur in Deum propter infinitam ejus bonitatem, & ita ei diſplicet Deum offendiſſe, ut promptè ac ſine cunctatione, atrociſſima quæque potiùs eligeret, quàm Dei offenſam. Senſus autem eò vehementiùs commoventur, quò objecta ſunt eis præſentiora, & magis eos feriunt: atqui objecta ſenſibilia ſunt ſen-

ſenſibus proximiora, & inſolita ac inexperta magis eos feriunt; ab aſſuetis enim non fit paſſio. Hinc eſt quòd virtute provecti fervidum illum dilectionis impetum, & ſenſibilem contritionis vehementiam, quibus initio converſionis incitabantur, minùs in ſe ſentiant, nec ſine ſollicitudine & animi anxietate, quaſi priſtinum virtutis ſtudium remiſerint; niſi edoceantur illas ſenſuum commotiones rerum uſu & aſſuetudine defervescere, cum interim animus nova virtutis incrementa acquirat.

Igitur, etſi expetenda ſit iſthæc ſenſibilis contritio, multùm quippe juvat ad pietatem maximè eos, qui necdum à corporeis delectationibus ſunt ablactati; cùm ſine ea vix animum ad ſpiritalia intendat; abſolute tamen neceſſaria non eſt ſive extra Sacramentum, ſive in Sacramento; cùm in noſtra poteſtate non ſit; ſenſus enim non moventur ad nutum voluntatis.

Notandum 2. amorem Dei, & dolorem de peccato poſſe eſſe ſenſibiliter intenſum, & tamen inefficacem: *Multi*, inquit ſanctus Iſidorus libro 2. de ſummo bono cap. 16. *lacrymas indeſinenter fundunt, & peccare non deſinunt.* Et capite 33. quod refertur diſtinct. 3. de pœnitentia: *Ille qui plangit peccatum, & iterum admittit peccatum, quaſi ſi quis lavet laterem crudum; quia quantò magis laverit, tantò magis lutum facit.* Quàm ardens in Auguſtino fuerit amor continentiæ, & ſimul inefficax; & quàm intenſus ejus dolor quòd intemperatè viveret, ipſemet deſcribit libro 8. Conf. cap. 8. *Ego*, inquit, *fremebam ſpiritu indignans turbulentiſſima indignatione, quòd non irem in placitum & pactum tecum, Deus meus, in quod eundum eſſe omnia oſſa mea clamabant.*

*bant.* Et infra : *tam multa ergo feci, ubi non hoc erat velle quod posse; & non faciebam, quod & incomparabili affectu ampliùs mihi placebat . . . . . faciliùsque obtemperabat corpus tenuissimæ voluntati animæ, ut ad nutum membra moverentur, quàm ipsa sibi anima ad voluntatem suam magnam in sola voluntate perficiendum.* Et capite 12. *flebam amarissima contritione cordis mei.*

Notandum 3. amorem charitatis divini eo modo quo Tractat. de Spe pag. 674. distribuimus timorem Dei, scilicet, in filialem & initialem; namque, ut ibidem observavimus, in utroque illo timore includitur charitatis amor, sed inchoatus & imperfectus in initiali, robustus verò & perfectus in filiali.

Timor castus & perfectè filialis solo motivo infinitæ Dei bonitatis mentes accendit ad illum amandum, mandata ejus observanda, & offensam propulsandam. Æternæ quidem felicitatis promissa; & intentatæ pœnarum minæ occasionem illi præbent, ut cernere est in Ninivitarum pœnitentia; sed inde vires non accipit: per se fortis est ac prævalidus ad frangendos nodos omnes, quibus animi vinciuntur ac retardantur: *Fortis est ut mors dilectio . . . aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem*, Cant. 8. Timor verò initialis, in quo intelligitur charitas inchoata, ex duobus motivis, ac totidem virtutum actibus coalescit, scil. ex motivo divinæ bonitatis, quæ voluntatem suaviter allicit ad diligendam justitiam, ac præsertim totius justitiæ fontem, Deum nempe, ejusque offensam detestandam: & ex motivo spei, quæ injicit timorem gehennæ, & amorem concupiscentiæ in beatitudinem.

Initialis timor efficit ratione inchoatæ chari-

tatis quam includit, ut Deus & mandata ejus ſuaviter diligantur, ſed nondum fortiter, niſi ratione ſpei adjunctæ, quæ timore gehennæ & deſiderio felicitatis æternæ incipientes tam vehementer incitat, ut eorum impetum interdum cohibere neceſſe ſit. Conferri poteſt cum hiſce rivulis, qui cum murmure, ac ſonitu fluunt, quos tamen vel exigua moles appoſita, vel tenue ſaxum à ſuo curſu deflectit: cùm contra ingentes fluvii ad mare properent lapſu gravi, ſed ita ſilenti, ut vix labi ac fluere, imò & reſidere, & quaſi conſiſtere undas è longinquo crederes: volvuntur tamen tanta vi, tantoque pondere, ut non modò non diverti aliò, aut coerceri ulla interpoſita mole queant, ſed etiam cuncta evertant, diruant, ac ſecum trahant. Haud ſecus contingit iis, qui ſuſceptionem primam divini amoris, & iis, qui ejuſdem perfectionem attigere. Priorum impetus & ardor frangitur obvia quavis difficultate, imo & interdum ſuccumbunt, ceduntque tentationi, niſi hos gehennæ metus & amor concupiſcentiæ in beatitudinem, contineant. Poſteriores verò, id eſt, qui amore caſto & timore filialis aguntur, inceſſu firmo progrediuntur, obvias quaſque tentationes prætervolant ſola Deo diſplicendi formidine, ſed ita ſincera & latente, ut interdum ſeſe non ſuccubuiſſe demirentur, cùm illos divini amoris ignes intus in corde ſuo ardeſcere ſenſu non percipiant.

His prænotatis ad propoſitam quæſtionem

R. Amor caſtus & perfectè filialis in quovis gradu hominem Deo reconciliat extra Sacramentum: initialis verò minimè. Utrum autem in Sacramento, expendetur ſuo loco.

Prima

Prima pars, quæ eſt de amore caſto & perfectè filiali, probatur iiſdem momentis, quibus nititur utraque ſententia, quam noſtra reſponſione conciliare intendimus; nempe amor ille in quovis gradu eſt ex toto corde & ſuper omnia, fortis & prævalidus ad expugnandum extinguendumque omnem peccati affectum: dolor, qui eum ſequitur, eſt vehemens & ex tota, ſi non ſenſus ſaltem animi tribulatione, æquari conferrique poteſt cum ſcelerum magnitudine, & pauci ſine multis precibus, lacrymis, pœnitentiæ afflictationibus ad illam charitatis perfectionem perveniunt: Ergo is caſtus & verè filialis amor eſt ultima diſpoſitio, quam Scriptura & Patres requirunt ad reconciliandum Deo peccatorem.

Secunda pars, quæ eſt de amore initiali, probatur: quia amor ille eſſet ultima diſpoſitio ad gratiam ſanctificantem, vel ratione ſui præcisè, vel ratione actuum ſpei, ſcilicet intenſi timoris gehennæ, & ſervidi deſiderii beatitudinis, quibus admixtus roboratur: atqui neutrum dici poteſt. Non quidem poſterius in omnium ſententia; hactenus quippe inauditum fuit in Scholis, timorem gehennæ, & amorem concupiſcentiæ in beatitudinem, juſtificare extra Sacramentum.

Neque etiam prius dici poteſt: tum quia ex dictis amor initialis per ſe debilior eſt, quàm ut voluntatem ab illicitis affectibus prorſus avellat: ergo non ſatis diſponit ad gratiam ſanctificantem, ſicut nec primus gradus caloris lignum diſponit ad ignem, cùm ab eo non expellat qualitates inimicas, frigidum ſcilicet & humidum: tum quia Deus non ſolet dona ſua conferre ſtatim atque placent & expetuntur, ſed differt, donec ruptis

 om-

omnibus repagulis, in ea toto corde feramur; *petendo & quærendo crescis, ut capias*, inquit Sanctus Augustinus serm. 61. aliàs 5. de verbis Domini, *servat tibi Deus, quod non vult citò dare, ut & tu discas magna magnè desiderare.* Et sanctus Chrysostomus hom. 30. in Genes. *nostrum ergo sit opus continuis insistere precibus; & non ægrè ferre, si differatur quod poscimus, sed longanimes esse. Neque enim renuens nostras preces differt; sed hac arte sedulos nos efficiens ad semetipsum attrahere vult.* Castitas Augustino placebat *incomparabili affectu*, verba illius sunt; ad eam tamen non pervenit, quamdiu semisauciam, inquit Confess. cap. 8. hac atque hac versabat & jactabat voluntatem, parte assurgente cum alia parte cadente, luctantem. Quàm multi ad Deum suspirant, alii pro humilitate, quæ ipsis deest, alii pro patientia, & nihilominus, data occasione superbiæ & impatientiæ motibus persæpè abripiuntur; quia virtutes illas necdum integrè ac fortiter desiderant. Si ergo inferiora Dei dona non statim infunduntur propter initialem & inchoatam eorum dilectionem, nec à fortiori omnium donorum præstantissimum, nempe gratia sanctificans & charitas, quæ est justitiæ plenitudo.

Dices: quilibet charitatis amor sive initialis, sive castus & perfectè filialis, est ex toto corde, ac proinde per se fortis ac strenuus, utpote appretiativè summus; illud enim est discrimen inter virtutes morales & Theologicas, quòd istæ cùm habeant Deum pro objecto, in illum ferantur motivo infinito, fides divina veritate, spes Dei omnipotentia & misericordia, charitas infinita ejus bonitate: ergo hujusmodi virtutum actus sunt necessariò appretiativè summi, ac per

se

ſe prævalidi & efficaces; & ita quilibet charitatis amor, etiam initialis, hominem Deo reconciliat extra Sacramentum.

Nego anteced. & ejus confirmationem, quia in omnium Philoſophorum ac Theologorum ſententia primus cujuſque finis effectus eſt ejus volitio, ſeu ſimplex amor, qui præcedit ſaltem natura intentionem, ſeu deſiderium efficax, in quo virtualiter continentur mediorum electio & caſus, quemadmodum fusè expoſuimus Tract. de Actibus humanis pag. 56. Igitur ſicut humanitas v. g. ſpectata in ratione finis movet primò ad ſui amorem, qui eſt humilitas inchoata, ut agnoſcit S. Franciſcus Saleſius ſcribens ad quandam virginem, quæ ex amore hujuſce virtutis impensè dolebat, quòd tumentibus animi affectibus plerumque cederet: ſimiliter affectus credulitatis, in eo qui nondum eſt plenè Catholicus, eſt quoddam initium fidei, & initialis Dei ac mandatorum ejus dilectio, eſt inchoatæ charitatis effectus.

Ergo hacce noſtra ſententia conciliari videntur oppoſitæ, quas retulimus, ſententiæ, ita enim ſtatuimus cum Patronis ſecundæ ſententiæ, quemlibet charitatis amorem extra Sacramentum non ſufficere ad reconciliandum peccatorem; ſed fortem ac ſtrenuum requiri; ut ſimul concedamus Patronis primæ ſententiæ amorem illum fortem & efficacem in quovis gradu juſtificare extra Sacramentum.

## §. II.

## *De Attritionis notione, ac differentia à contritione perfecta.*

Attritionis nomen, quod à verbo, *attero*, ductum esse duximus capit. 1. §. 1. non solùm apud Scripturam & Patres non occurrit, sed neque apud Theologos ante decimum tertium sæculum.

Nomine autem attritionis veteres Theologi intellexerunt contritionem intensam & perfectam, quæ præcedit infusionem gratiæ sanctificantis, adeo ut in eorum mente contritio & attritio differant sicut fides formata & informis, hoc est, ratione subjecti, idemque dolor charitate perfectus dicatur contritio in homine justo; attritio verò in peccatore ad gratiam sanctificantem dispositio. Ita referunt Alexander de Hales lib. 4. q. 17. art. 1. S. Bonaventura in 4. dist. 17. part. 2. artic. 2. qu. 3. ad 4. S. Thomas in 4. dist. 17. & in Supplem. qu. 1. art. 3. Sed omissa illa attritionis acceptione, utpote à Scholis rejecta,

Q. 1. *Quid est Attritio?*

R. Describitur à Patribus Tridentinis sess. 14. c. 4. dolor imperfectus, qui vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu concipitur communiter cum spe veniæ, & excludens peccandi voluntatem.

Dicitur 1. *dolor*, utique supernaturalis; namque ex dictis capite 2. dolor naturalis, nec est pars materialis Sacramenti, nec dispositio ad ejus effectum: quin Patres Tridentini conceptis verbis docent laudato capite hujusmodi dolorem, *donum Dei esse & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc*

qui-

*quidem inhabitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat.*

Dicitur 2. *imperfectus*, non quidem in sua specie: sed comparatè ad dolorem contritionis perfectæ, qui longè est præstantior; omnes quippe virtutes sunt perfectæ in suo genere; ut diximus Tractatu de Spe; sed differunt inter se, sicut stella differt à stella in claritate: alia claritas Solis & charitatis; alia claritas Lunæ & spei; alia claritas stellarum & cujuslibet virtutis.

Dicitur 3. *qui concipitur vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ pœnarum metu.* Quibus verbis exprimitur differentia attritionis à contritione perfecta; hæc enim concipitur ex perfecto charitatis amore.

Sed difficultas est, quænam peccati turpitudo possit esse attritionis motivum; triplex enim turpitudo spectatur in peccato. 1. peccantem infamia aspergit; & turpitudinis notam vitæ illius inurit. 2. naturam rationalem dehonestat & inquinat. 3. opponitur pulchritudini justitiæ, quam Deus, Fides & Religio commendant.

Certum est 1. dolorem ex primæ turpitudinis consideratione profluentem magis animam inquinare; quàm purgare; oritur enim ex amore laudis humanæ, qui nisi referatur ad Dei gloriam, & proximi salutem ac commodum, vanus est & vitiosus; *Saniùs videt*, inquit S. Augustinus lib.5. de Civ. cap. 13. *qui & amorem laudis vitium esse cognoscit.* Et cap. 14. *Huic igitur cupiditati meliùs resistitur sine dubitatione, quàm creditur; tantò enim quisque est Deo similior, quantò ab hac immunditia mundior.*

Certum est 2. Dolorem ex fœditate peccati conceptum, quatenus præcisè animi ulcus dete-

git, esse merè naturalem, quin & sæpiùs vituperio dignum; ut qui fluere soleat ex superbia, & ex amore inordinato propriæ excellentiæ, ut advertit S. Augustinus cit. lib. 5. cap. 20. his verbis: *Nec illi* (Stoici) *se ab ista defenderint fœditate, qui, cùm alia spernant judicia velut gloriæ contemptores, sibi placent; videntur, & sibi placent. Nam eorum virtus (si tamen ulla est) alio modo quodam humanæ subditur laudi; neque enim qui sibi placet, homo non est.* Adde propositionem, qua à dispositionibus necessariis ad absolutionem, excluditur quilibet ad Deum offensum respectus, à Clero Gallicano damnatam fuisse anno 1700. uti temerariam, perniciosam, ducentem in hæresim.

Restat igitur ut attritio, quam Tridentini Patres describunt veluti quoddam salutare remedium adversùs peccatum, non concipiatur nisi ex tertia turpitudine peccati, quatenus nempe contraria est pulchritudini justitiæ & legis æternæ.

Dicitur 4. *cum spe veniæ, & excludens peccandi voluntatem*, quibus attritio convenit cum contritione perfecta, ut suprà diximus; distinguitur verò ab infructuosa & coacta pœnitentia, quam in inferno agunt desperati, Sap. c. 5.

Dicitur 5. *communiter*, qua voce significant Tridentini Patres attritionem ex aliis motivis aliquando concipi, ac primò quidem ex amore beatitudinis; qui enim vitam æternam ardenter desiderat, consequens est ut doleat, quòd illius amittendæ periculum peccando incurrerit; quanquam in timore gehennæ intelligitur amor beatitudinis, timor quippe mali oritur ex amore boni oppositi, timor ægritudinis, v. g. ex amore sanitatis, & eò

eo magis quis gehennam timet, quò impensiùs beatitudinem suam diligit. 2. Fluit etiam attritio ex initiali & inchoato charitatis amore; qui enim Deum diligere incipit, doleat quoque necesse est, quòd illum offenderit.

Q. 2. *Quomodo attritio differt à contritione perfecta?*

R. Attritio, quæ concipitur ex timore gehennæ, & ex amore concupiscentiæ beatitudinis supernaturalis, differt essentialiter à contritione perfecta quia illi actus essentialiter differunt, qui habent objecta motiva, seu formalia, specie diversa; ab iis enim speciem & essentiam desumunt, ut sæpiùs dictum est, ubi de virtutibus Theologicis: Atqui attritio sic concepta, & contritio perfecta habent objecta motiva, seu formalia specie diversa: ad illa movetur peccator vel timore pœnæ, vel amore concupiscentiæ in beatitudinem; ad istam verò amore infinitæ Dei bonitatis. Porrò motivum vitandæ pœnæ & consequendæ beatitudinis, specie differt à motivo charitatis: Ergo.

R. 2. Attritio profluens ex inchoato charitatis amore, non differt nisi accidentaliter à contritione perfecta, quemadmodum puer infirmus à viro perfecto; quia idem est utriusque motivum. Ita plures è veteribus Theologis, ut Guillelmus Parisiensis Tractatu de Sacramento Pœnitentiæ capite 6. in quo sic scribit: *Attritio ad contritionem sic est .... sicut calefactio ad arsionem, & sicut illuminatio, quæ est umbra ad irradiationem, hoc est, sicut umbra crepusculi ad radium ..... sunt ergo unius & ejusdem speciei, & non differunt nisi secundùm magis & minus.* At Albertus Magnus in quartum dist. 16. artic.

artic. 10. *dicendum*, inquit, *meo judicio quòd unus & idem dolor in ſubſtantia, poteſt eſſe attritionis & contritionis.*

Ex hacce attritionis explicatione naſcitur gravis in ſcholis controverſia, præſertim à tempore Concilii Tridentini; num quævis attritionis ſpecies ex recenſitis, ſufficiat in Sacramento, nam conſtat ex §. præcedenti, nullam extra Sacramentum ſufficere.

Dixi, *præſertim à tempore Concilii Tridentini;* quia ante illud tempus communis erat Theologorum ſententia, attritionem ex timore gehennæ conceptam, ſine inchoato charitatis amore, non poſſe hominem Deo reconciliare etiam in Sacramento. Id agnoſcunt, qui opinionem de ſufficientia hujuſce attritionis invexerunt, ut Dominicus Soto in 4. diſt. 18. qu. 3. art. 2. *Doctrina*, inquit, *de attritione, qua in Sacramento ſit contritio, licèt vera ſit, non eſt tamen ita multum vetus; Patres enim antiqui ſolam contritionem agnoſcebant neceſſariam ad Confeſſionem.* Similia habent Melchior Canus, Suarez, Comitolus, & alii, quorum verba alibi commodiùs laudabimus.

## §. III.

### *Utrùm Concilium Tridentinum quidquam ſtatuerit circa recèns motam de Attritione controverſiam?*

Mirum eſt opinionem de ſufficientia attritionis ſervilis, quæ non niſi timidè in publicum prodiit, quamque ejus auctores ut minimè certam, nec in praxi tutam induxerunt, tantam progreſſu

greſſu temporis auctoritatem ſibi arrogaſſe, ut à nonnullis jactari ſoleat, tanquam fidei dogma à nullo violabile, propter Concilii Tridentini ſeſſ. 14. cap. 4. authoritatem, quam obtendunt, contra quos ad propoſitam quæſtionem,

R. Indubitatum eſſe debet Concilium Tridentinum non diremiſſe controverſiam in qua verſamur, nec definiiſſe attritionem ex metu gehennæ conceptam in Sacramento ſufficere.

Probatur 1. ex eis quæ in Concilio acta fuiſſe refert Cardinalis Palavicinus in ſua Hiſtoria. Ac primò quidem narrat Eminentiſſimus Hiſtoricus lib. 4. c. 13. delineatum fuiſſe Decretum circa diſpoſitiones ad juſtificationem requiſitas, in quo, cùm non appellaretur Dei amor, Patres cenſuerunt hæc inſerenda verba, *Illumque tanquam omnis juſtitiæ fontem diligere incipiunt*, prout habetur ſeſſ. 6. cap. 6. *quod attinet*, inquit laudatus Hiſtoricus, *ad id, quod dicitur de dilectione Dei; advertendum eſt per tenorem Decreti prius delineati, nullam fieri dilectionis mentionem; ſed Salvatorem Alepium Archiepiſcopum Turritanum, Claudium Jaicum Societatis Jeſu*, &c. *monuiſſe ut aliquis charitatis actus insereretur. Cumque id ad omnium Patrum judicium relatum fuiſſet .... viginti tres ex ipſis diſertè illud comprobaſſe, ideoque inſertum Decreto.*

Reſpondent Patroni oppoſitæ ſententiæ, alii, quod Decreto inſertum eſt intelligendum de amore ſpei & concupiſcentiæ: alii cit. ſeſſ. 6. cap. 6. agi de diſpoſitionibus ad juſtificationem extra Sacramentum obtinendam.

Contra 1. ex Palavicino plures monuerunt, ut aliquis charitatis actus inſereretur, quod Patres comprobarunt. 2. Concilium agit de juſtificatione,

catione, cujus caufam inftrumentalem dicit. cap. 7. ejufdem feffionis effe Sacramentum Baptifmi: Ergo agit de juftificatione, quam Baptifmus operatur tanquam caufa inftrumentalis. Præterea abfurdum eft Concilium non tradidiffe difpofitiones ad Baptifmum ritè fufcipiendum neceffarias, maximè cùm Lutherani & Calviniftæ nullam ftatuerent neceffariam præter fidem: atqui de iis alibi non tractat: Ergo.

Confirmatur noftra refponfio ex Canone 3. ejufdem feff. 6. in quo Sancta Synodus expreffe diftinguit inter amorem fpei & charitatis, afferitque utrumque prærequiri ad juftificationem: *Si quis*, inquit, *dixerit fine præveniente Spiritus Sancti infpiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, fperare, diligere, aut pœnitere poffe ficut oportet, ut ei juftificationis gratia conferatur; anathema fit.*

Sed veniamus ad caput 4. feff. 14. quo Adverfarii maximè nituntur, cùm revera eorum opinionem funditus fubvertat. Patres Tridentini quibufdam Theologis curam delineandi Decreti in feffione 14. ferendi de attritione demandaverant, illa autem delineatio fic fe habebat ex eodem Hiftorico lib. 12. cap. 10. *Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quòd imperfecta fit, & folum vel ex turpitudinis peccati confideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui fervilis timor dicitur, concipiatur, fi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque ac delictis commiffis exprimat, ftatuit hæc Sancta Synodus, & declarat non folùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (ut quidam blafphemare non verentur) verum etiam fufficere ad Sacramenti hujus conftitutionem, ac donum Dei effe, ac Spiritus Sancti impulfum veriffimum, non adhuc quidem inhabitantis,*

*bitantis, sed tantùm moventis, quo pœnitens adjutus (cum sine aliquo dilectionis in Deum motu esse vix queat) viam sibi ad justitiam munit, & per eum ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur.* *Sed*, pergit Historicus, *laudatus Episcopus Joannes Æmilianus Hispaniensis Tudetanus Antistes, monuit falsò dici hujusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse ..... quòd autem hæc attritio satis esset Sacramento constituendo: ita ut homini attrito deleantur peccata absolutionis supervenientis vi, variare auctorum sententias, adeoque id esse tollendum. Quamobrem Decretum, sicut nunc extat, reformatum est.*

Porrò in Decreto, quod nunc extat, expuncta sunt ex oblata Patribus delineatione, quæ majusculis literis pinximus, nolueruntque Tridentini Patres decernere, 1. attritionem concipi solùm ex gehennæ & pœnarum metu. 2. timorem gehennæ esse servilem, cùm servilitas oriatur dumtaxat ex mala voluntate, quam vera attritio excludit. 3. attritionem vix esse posse sine aliquo dilectionis in Deum motu, eamque in Sacramento sufficere & loco hujusce vocis, *sufficere*, inseruerunt, *disponere*.

Ergo frustra aerem verberant, qui importunè vociferari non cessent, Concilium Tridentinum definiisse attritionem ex gehennæ metu conceptam, sufficere in Sacramento; illud enim non definiit, quod tam solemniter declaravit se nolle definire, dum ex delineato Decreto expunxit verbum, *sufficere*.

At, inquiunt, ex contextu Decreti, quod nunc extat, necessariò colligitur sufficientia hujusce attritionis.

Ergo, inquam ego, Concilium sibi contradixit;

xit; dixit, & non dixit hancce attritionem sufficere. Non dixit quidem, cùm insertum in Decreto verbum, *sufficere*, deleverit: dixit verò ut ex verbis ejus colligunt Adversarii. Quis autem Catholicorum contradictionis notam Concilio œcumenico affinget? Sed audiamus Adversariorum ratiunculas.

Objiciunt 1. Concilium opponit attritionem extra Sacramentum ipsimet attritioni in Sacramento, docetque eam extra Sacramentum ita viam ad justitiam parare, ut ad eam non perducat: contra verò in Sacramento disponere: *Et quamvis*, inquit, *sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit.* Nulla autem esset oppositio, si attritio, de qua est sermo, satis non esset ad reconciliationem peccatoris in Sacramento; sensus enim foret, quamvis attritio extra Sacramentum per se ad justificationem non perducat; tamen in Sacramento per se ad eam non perducit, quæ loquendi ratio est absurda, nugatoria, & Concilio prorsus indigna. 2. nisi illa attritio in Sacramento sufficiat, Concilium non determinavit quæ sit necessaria Sacramenti Pœnitentiæ materia; necessaria enim hujusce Sacramenti materia vel est contritio perfecta, vel contritio imperfecta: atqui ex Sancta Synodo perfecta contritio non est materia necessaria: ergo nisi statuerit contritionem imperfectam seu attritionem, quæ ex pœnarum metu concipitur, esse idoneam Sacramenti materiam, non determinavit quæ sit ejus materia necessaria, quod cum dici nequeat, fatendum omninò est Concilium in hoc Decreto statuisse attritionem

ex pœnarum metu conceptam in Sacramento sufficere.

R. 1. Generatim, si quid valeant momenta opposita, illud unum efficiunt, nempe Tridentinos Patres Catholicis fucum fecisse, hoc est, obscurè & latenter docuisse, quod palam & solemniter testati sunt se nolle docere, cùm verbum, *sufficit*, ex Decreto suo expunxerunt, quod absque eorum injuria dici nequit, à qua ut vindicentur,

R. 2. Sigillatim ad singula.

Ad primum, Nego Concilium opponere attritionem extra Sacramentum ipsimet attritioni cum Sacramento conjunctæ; alioquin sic scribere debuerat, *Quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, illum tamen in Sacramento ad eam perducit;* vel, *ad eam impetrandam sufficit;* illud enim exigebat comparatio. Sed Patres eo ipso declararunt hanc non esse suam mentem, quo verbum, *sufficit*, è Decreto delendum censuere.

Concilium igitur in hocce Decreto docet attritionem esse actum liberum & utilem, tum initio, tum in progressu conversionis ad justitiam obtinendam, perstringitque duos Lutheri errores. Alterum, quo statuebat dolorem ex metu gehennæ conceptum, esse coactum & involuntarium: alterum, quo asserebat, quæ ex illo dolore fiunt bona ante justificationem, verè esse peccata. *Ergo*, inquit ser. de pœnit. in assertione art. sexti, *peccatum assero quidquid ante gratiam fit ab homine*, tantum abest, ut præparet ad gratiam. Contra verò Tridentini Patres docent attritionem ex pœnarum metu conceptam, donum Dei esse,

& Spiritus Sancti impulsum, quo adjutus peccator liberè tum initio conversionis, & priusquam ad Sacramentum accedat, tum in ipso Sacramento ad justitiam sese disponit; quemadmodum fides ita est initium nostræ salutis, ut in progressu nutrienda & augenda sit, nedum referenda. Quòd autem ista sit mens Concilii, patet ex can. 5. qui est summa capitis quarti, ubi sic loquitur: *Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam & magis peccatorem: demum illam esse dolorem coactum & non liberum, ac voluntarium; anathema sit.*

Ad secundum, respondeo 1. Neque Concilium definivit quæ sit materia essentialis sive Confirmationis, an Chrisma, aut manus impositio; sive Presbyteratus, an instrumentorum porrectio, aut sola manus impositio: quisve sit Sacramenti Matrimonii minister, an Sacerdos, an ipsi contrahentes.

2. Concilium definivit contritionem, quæ est dolor & detestatio peccati, cum proposito non peccandi de cætero, esse partialem Sacramenti materiam. Non attingit autem ex quo motivo dolor ille fluere debeat; quia, ut scribit Cardinalis Palavicinus lib. 12. cap. 10. *Theologorum mens erat, ut error Hæreticorum damnaretur..... non item ut ferrent sententiam de Scholastica quæstione, hujusmodi timor, non solùm absque contritione animi perfecta (de quo contro-*

*troversia vix fuit, sicut patebit) sed etiam absque eo quòd ullus excitetur amor imperfectus, sufficiat ad peccatorum remissionem.*

Probatur 2. ex Theologis, qui vel Concilio interfuere, vel non ita post illud absolutum scripsere. Hi quippe aut sufficientiam attritionis sine inchoato charitatis amore negant, aut pro ea sic stant, ut opinionem suam in praxi minimè tutam, utpote novam, afferant. Unde evidenter colligitur, quæstionem, in qua versamur, solutam non fuisse a Concilio. Igitur Palavicinus lib.12. cap. 10. postquam plures appellavit, qui in Sacramento Pœnitentiæ necessitatem inchoatæ charitatis in Concilio propugnabant, concludit his verbis: *Aliquod dumtaxat vestigium comperio opinionis negantis necessitatem amoris in iis, quæ Granatensis disputavit.*

Fredericus Nausea Episcopus Viennensis in Austria, & Franciscus Sonnius Antverpiensis Episcopus è Concilio reduces pro necessitate inchoati Dei amoris scripserunt; ille in Catechismo à se edito, sic habet: *Nec est, ut absque hujusmodi contritione* (quam supra dixerat esse conversionem à peccato ad Deum) *Sacerdos quemquam verè possit absolvere;* iste Tractatu 4. de pœnitentia cap. 6. sic loquitur: *si remissa, vel solo metu pœnæ evadendæ, est attritio non efficiens veram pœnitentiam, attamen ad illam præparans.*

Cardinalis Toletus è Societate Jesu lib. 3. c.4. editionis annò 1599. 1609. & 1610. *Prima quidem attritio*, inquit, *si talis sit, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantùm ut est alicujus mali causa, & pœnæ inferni, quamvis bonus actus ille sit, tamen non sufficit ad Sacramentum; imò*

 *qui*

*qui sic accederet, peccaret denuò, & non impleret præceptum, sed esset repetendum.* Laudavi de industria tres editiones, Antverpiæ & Coloniæ Agrippinæ excusas; quia aliæ circumferuntur adulteratæ.

Ex iis verò, qui pro sufficientia attritionis ex solo pœnarum metu conceptæ in Concilio pugnarunt, tres numerantur scilicet Dominicus Soto, Melchior Canus, & Andreas Vega. Hi post absolutam sessionem decimam quartam suam opinionem proponunt, ut minimè certam: sic enim scribit Soto in 4. dist. 18. q. 3. art. 2. *Accedit demum quòd doctrina hæc de attritione, quæ in Sacramento fit contritio, licèt sit vera, non est tamen ita multùm vetus; Patres enim antiqui solam contritionem agnoscebant necessariam ad Confessionem. Revera eum, qui mihi diceret non se pœnitere propter Deum, absolvere non auderem.* Vega quoque lib. 13. in Concilium Trident. c. 33. argumento 1. *Attritio*, inquit, *sufficit ad dignè Sacramenta ista, Baptismum & Pœnitentiam, recipienda, & consequendam per ea gratiam, siquidem invincibiliter existimetur contritio, & non aliàs.* Quibus posterioribus verbis significat Auctor teneri pœnitentem eniti ad Dei amorem, & nisi probabiliter crediderit se eo moveri, non debere absolvi. Melchior Canus part. 5. prælectione de pœnitentia sic loquitur: *Quòd autem attritio sufficiat, quamvis verum sit, non est tamen adeo certum & indubitatum, & ideo Concilium Florentinum communisque sententia tenens certum, dimittens incertum, ponit contritionem partem hujus Sacramenti.*

Suarez insignis Theologus è Societate Jesu, qui scripsit XVI. exeunte sæculo, in eandem, in quam Canus, abiit sententiam; sic enim mentem suam explicat tom. 4. in 3. part. q. 90. art. 4. disp. 15.

15. sect. 14. nu. 17. *Licèt sit probabilis opinio attritionem cognitam cum Sacramento sufficere ad justificationem, tamen non est certa, & potest esse falsa . . . . hic autem est morale dubium : cùm illa opinio nec valdè antiqua sit, nec multùm communis.*

Paulus Comitolus ex eadem Societate in Responsis moralibus lib. 1. q. 32. Suaris vestigiis inhærens, ait, *plures magnique Theologi in pœnitente antequàm absolvatur, contritionem veram charitate formatam requirunt.*

Vasquez quoque in 2. 2. q. 19. art. 6. disp. 63. *Qui ad Sacramentum accedit cum sola attritione scita, licèt non se exponat periculo efficiendi irritum Sacramentum* (quod putat posse esse informe) *exponit se tamen periculo frustrandi Sacramentum effectu suo, in quo non minor est irreverentia contra Religionem. Neque usque adeo certum est attritionem pœnitenti esse satis.*

His addere liceat Gamachæum nostrum Professorem Regium tom. 3. c. 8. de pœnitentia, ubi sic habet : *Etiamsi agnoscamus Sacramentum Pœnitentiæ revera facere ex attritis contritos non tamen id omnino indubitatum, neque ex professo ab Ecclesia definitum.* Ita communiter scribebant Theologi temporibus Concilii Trid. viciniores. Sed orta postmodùm Casuistarum turba, opinio de sufficientia attritionis ex pœnarum metu conceptæ, tantum sibi arrogavit, ut ejus Patroni contra fidem Historiæ, quam verisimile est ipsos ignorasse, eam tanquam de fide tenendam, & à Concilio Trid. definitam, publicè asseruerint, & contra sentientes uti Catholicæ doctrinæ impugnatores proscidurint, non sine gravi Fidelium perturbatione, quam ut comprimeret Summus Pontifex Alex. VII. Decretum edidit die 5. Maji anno 1667. in quo prohibet sub

pœna excommunicationis latæ ſententiæ, Apoſtolicæ Sedi reſervatæ, ne qui quocunque gradu & dignitate etiam Epiſcopali fulgeant, *audeant alicujus cenſuræ Theologicæ, alteriuſve injuriæ aut contumeliæ noxa taxare alterutram ſententiam, ſive negantem neceſſitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata attritione, ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholaſticos communior videtur: ſive aſſerentem dictæ dilectionis neceſſitatem, donec ab hac ſancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum.*

Dixit Summus Pontifex priorem ſententiam ſuo tempore viſam fuiſſe communiorem, propter Caſuiſtarum multitudinem, qui ea ætate contra conſtantem Antiquiorum traditionem ubique hanc propoſitionem obtrudebant: *Concilium Tridentinum adeò expreſsè definivit attritionem, quæ non vivificet animam, quæque ſupponatur ſine amore Dei eſſe, ſufficere ad abſolutionem, ut anathema pronuntiet adversùs negantes.* Quam quidem propoſitionem primo perſtrinxerant 46. Theologi Pariſienſes anno 1696. & poſtmodum, ſcilicet anno 1700. Clerus Gallicanus hiſce verbis: *Hæc propoſitio falſa eſt, temeraria, Concilio Tridentino contraria, & in errorem inducit.*

## §. IV.

### *Utrùm Attritio ex metu pœnarum concepta, ſit ſufficiens diſpoſitio ad Sacramentum Pœntenitiæ?*

Quam in hacce Scholarum controverſia amplectamur partem præſcribunt Gallicani Antiſtites, quibus nos non obtemperare nefas; oves quippe Paſtores audiunt & ſequuntur; ſic autem loquun-

loquuntur Paſtores noſtri in generalibus comitiis anni 1700. ubi de dilectione Dei in Pœnitentiæ Sacramento requiſita ; *Ne quis putet in utroque Sacramento* (Baptiſmi & Pœnitentiæ) *ſecurum ſe eſſe ſi præter fidei & ſpei actus non incipiat diligere Deum, tanquam omnis juſtitiæ fontem.* Et nonnullis interjectis pergunt, *placet etiam caveri à Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtris, ne in hoc Pœnitentiæ Sacramento aliiſque Sacramentis conferendis ſequantur opinionem probabilem, relicta tutiore, neve pœnitentes ipſorum fidei animam ſuam committentes admonere ceſſent, ut in pœnitendo inchoatæ ſaltem dilectionis Dei ineant viam, quæ ſola ſecura ſit, graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine, vel eo ſolo, quòd certis incerta præponant.* Quare juxta regulam hic nobis præſcriptam ad propoſitam quæſtionem,

R. Opinio aſſerens attritionem ex gehennæ metu conceptam, non ſufficere in Sacramento, niſi includat initialem ſaltem charitatis amorem, ſola ſecura eſt, & in praxi ſequenda.

Probatur 1. argumento negativo; quia neque Chriſtus, neque Apoſtoli, neque Sancti Patres uſquam dixerunt peccatorem ſolo pœnarum metu veniam conſequi. Ergo gratis & abſque ulla auctoritate illud aſſeritur.

Nec dicant Adverſarii conſtare ex Scriptura & Traditione, peccata dimitti per Sacramenta Baptiſmi & Pœnitentiæ, quæ idcircò dicuntur Sacramenta mortuorum; unde probabiliter colligitur præter fidem, ſpem & gehennæ timorem non requiri charitatem ad ea ritè ſuſcipienda; alioquin eſſent Sacramenta vivorum, ſupponerentque peccata dimiſſa; cùm quilibet actus charitatis deleat peccatum. Ne, inquam, hoc dicant;

 1. quia

1. quia ex dictis §. 2. initialis actus charitatis per se peccatum expellere nequit. 2. quia Christus Sacramentorum auctor, Apostoli & Sancti Patres, qui eorum vim & efficaciam commendarunt, à pœnitentibus ad illa Sacramenta accedentibus eandem pœnitentiam, quam olim Prophetæ in veteri Lege, cujus Sacramenta erant egena & vacua, exegerunt, quæ scilicet esset ex toto corde ad Dominum conversio; verbis quippe Prophetarum mox referendis, exposuerunt Tertullianus, Sanctus Cyprianus, & alii Patres, quæ etiam in novo Testamento debeat esse peccatorum pœnitentia.

Probatur 2. positivè ex Scriptura veteris Testamenti Isaiæ 45. vers. 21. *Convertimini ad me & salvi eritis.* Ezechielis 18. v. 30. & 31. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, . . . & facite vobis cor novum & spiritum novum.* Joelis 2. v. 12. & 13. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra.* Atqui timor gehennæ 1. corda non convertit, ex S. August. lib. de natura & gratia cap. 57. ubi scribit, *sub lege est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ se sentit abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi* Similia habet S. Bern. epist. 11. de diligendo Deo in 3. *Est qui confitetur Domino quoniam potens est, & est qui confitetur Domino, quoniam sibi bonus est; & item qui confitetur quoniam simpliciter bonus est. Primus servus est, & timet sibi: secundus mercenarius est, & cupit sibi: tertius filius est, & defert Patri. Itaque & qui timet, & qui cupit, uterque pro se agunt. Quamobrem tuto de illa dictum*, lex Domini immaculata convertens

tens animas, *quòd scilicèt illa sola sit, quæ ab amore sui & mundi avertere possit animum, & in Deum dirigere. Nec timor quippe, nec amor privatus convertit animam. Mutant interdum vultum vel actum, affectum nunquam. Facit quidem etiam servus nonnunquam opus Dei; sed quia non sponte, in sua adhuc duritia permanere convincitur. Facit & Mercenarius, sed quia non gratis, propria trahi cupiditate cognoscitur.... sit itaque servo sua lex timor ipse, quo constringitur. Sit mercenario sua cupiditas, qua & ipse arctatur.... sed harum nulla aut sine macula est, aut animas convertere potest. Charitas verò convertit animas quas facit & voluntarias.* S. etiam Thomas 2 2. qu. 19. art. 6. de timore sic habet: *Timor servilis ex amore sui causatur; quia est timor pœnæ, quæ est detrimentum proprii boni:* Ergo per timorem gehennæ peccator non convertitur ad Dominum; tanquam ad terminum *ad quem*, tendit conversio, ut loquitur Sanctus Thomas, cùm in se ipso remaneat, tanquam in termino *à quò*, proprio commodo consulens. 2. neque etiam timor gehennæ cor novum & spiritum novum tribuit, ut qui pertineat ad legem veterem, & servos faciat, juxta illud Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*, qui sanè est amor charitatis. Unde S. August. lib. contra Adimantum cap. 17. *Brevissima*, inquit, *& appertissima differentia duorum Testamentorum, timor & amor. Illud ad hominem veterem, hoc ad novum pertinet.* Et S. Thomas 1. 2. q. 107. art. 1. ad 2. *Omnes differentiæ*, inquit, *quæ assignantur inter legem novam & veterem, accipiuntur secundum perfectum & imperfectum; præcepta enim legis cujuslibet dantur de actibus virtutum. Ad operanda autem virtutum opera aliter inclinantur imperfecti ex aliqua*

*causa extrinseca, putà ex comminatione pœnarum, & ideo lex vetus, quæ dabatur imperfectis, dicebatur lex timoris: in quantùm inducebat ad observationem præceptorum per comminationem quarundam pœnarum.... & propter hoc etiam lex vetus dicitur cohibere manum, non animum; quia qui timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet: non simpliciter ejus voluntas à peccato recedit, sicut recedit voluntas ejus, qui amor justitiæ abstinet à peccato; & propter hoc lex nova quæ est lex amoris, dicitur ànimum cohibere.* Porrò lex vetus, utpote timoris, justitiam non contulit, ex Apostolo, Gal. 2. v. 16. *ex operibus legis non justificabitur omnis caro.* Et Heb. 7. v. 18. & 19. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex.*

Non minùs luculenta novum Testamentum suppetit testimonia pro necessitate amoris Dei saltem initialis in attritione; Christus enim Joan. 14. v. 21. ait: *Qui.... diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum.* Et vers. 23. *si quis diligit me.... ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* En conditio, sine qua Pater & Filius ad peccatorem non venient, nempe si diligat. Quis verò Apostolorum aut Sanctorum Patrum, aut veterum Theologorum locum illum cum conditione disjunctiva intellexit, si diligat, vel si minimè diligens, Sacramentum percipiat, ad eum venient Pater & Filius? 1. Joan. 3. v. 14. *Qui non diligit manet in morte.* 1. Cor. 16. v. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* Quomodo ergo absolvendus, cui anathema dicendum.

Vis hujusce argumenti meliùs percipietur, & magis Lectorem afficiet proposito exemplo pœnitentis

tentis, qui dolet quòd proximum injustè læserit, sed simul candidè fatetur se nondum posse adduci, ut illum diligat. Detestor, inquit; hancce meam agendi rationem, utpote viro probo indignam, firmiterque propono, me nunquam illi injuriam illaturum, sed quòd amore benevolentiæ & amicitiæ illum diligam, supra me est, nec sentio me erga illum ita esse affectum. Porro si omnium judicio peccator ita dispositus non debet absolvi eo prætextu, quòd per Sacramentum ex attrito facturus sit contritus, quantò minùs qui timore gehennæ concussus, hoc est, amore proprii commodi detestatur omnem Dei offensam, cùm spe veniæ dolet se peccasse, proponitque se deinceps non peccaturum, sed confitetur cor suum nullatenus moveri infinita Dei bonitate, necdum Creatorem suum posse diligere amore amicitiæ?

Probatur 3. ex Patribus. S. Chrysostomus hom. 4. in 2. ad Cor. sic loquitur: *Quòd peccaveris ingemisce, non quòd pœnas daturus sis (nihil enim est hoc) sed quòd Deum tam benignum, tamque te amantem offenderis.*

S. Augustinus epist. 145. aliàs 144. *Ille timor pœnæ*, inquit, *tormentum habet, & non est in charitate. Tantum porrò quisque peccatum odit, quantum justitiam diligit.* Lib. 2. contra adversarium legis c. 7. *Desiderium peccandi non extinguitur, nisi contrario desiderio rectè faciendi, ubi fides per dilectionem operatur, non per jubentem literam, timore pœnæ, sed per juvantem spiritum dilectione justitiæ.* Sermon. 169. aliàs 15. de verbis Apostoli, c. 6. *Quisquis fecerit quod lex jubet, non amando justitiam, sed timendo pœnam, facit quidem secundùm justitiam, quæ ex lege est, homo sine querela,*

non

*non furatur*, *non adulterat* .... *non concupiscit rem proximi sui : potest hoc, potest fortassis : unde ? timore pœnæ. Quanquam qui timore pœnæ non concupiscit, puto quia concupiscit* (nimirum timor cupiditatem comprimit, ne in actum erumpat, sed eam non tollit.) *Terrore ingenti armorum atque telorum etiam Leo revocatur à præda, & tamen Leo venit, Leo redit : prædam non rapuit, non malitiam posuit. Si talis es, adhuc justitia est, qua justitia tibi consulis ne torquearis. Quid magnum est pœnam timere ? Quis eam non timet ? Quis sceleratus? quis nefarius? Sed hoc interest inter timorem tuum, timoremque latronis : quòd latro timet leges hominum : & ideo facit latrocinium; quia sperat se fallere leges hominum; tu autem leges ejus times, quem fallere non potes. Nam si fallere posses, quid non fecisses ? Ergo & concupiscentiam tuam non amor tollit, sed timor premit. Ad ovile venit lupus; latratu canum, & clamore pastorum ab ovili reversus est lupus : ipse tamen semper est lupus. In ovem vertatur. Facit enim & hoc Dominus, sed ipsa est justitia ejus, non tua.* Enarratione in Psal. 77. *Ex corde nullo modo fieri potest, quod formidine fit pœnæ, non dilectione justitiæ.* Et in ser. de tempore 7. nunc in appendice 117. *Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei.*

S. Chrysologus sermon. 94. *Absolvi vis ? ama. Charitas operit multitudinem peccatorum.*

Sanctus Leo ser. 7. de jejunio septimi mensis de dilectione Dei & proximi, sic loquitur : *Tanta est sub hujus geminæ charitatis edicto utriusque copula Testamenti, ut sine istarum connexione virtutum, nec lex quemquam inveniatur justificasse, nec gratia.*

S. Gregorius lib. 12. Moral. cap. 22. accipiens in sensu tropologico quod scribitur 4 Reg. cap. 4.

de mortuo puero, quam Giezi cum baculo Elisæi Prophetæ suscitare non potuit, sic scribit: *Is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit.*

Respondent Patroni oppositæ sententiæ ex ejusmodi Scripturæ & Patrum textibus, colligi dumtaxat necessarium esse ad veniam peccatorum in Sacramento obtinendam, amorem Dei generatim sumptum, sed non definiri an amor ille debeat esse charitatis, aut spei & concupiscentiæ. Quin nonnulli eorum laudata Cleri Gallicani verba ad amorem spei restringere conantur.

Contrà 1. ex laudatis textibus timor pœnæ non sufficit ad remissionem peccatorum, ergo neque amor spei & concupiscentiæ: in timore quippe mali necessario intelligitur amor & concupiscentia boni oppositi, nec quisquam timeret amittere quod possidere non concupisceret; majus ergo non est Deum concupiscere ut ultimum finem, quàm timere ne nos reprobet.

Contra 2. si laudati textus æquè de amore concupiscentiæ ac charitatis possunt intelligi, ex nullo Scripturæ textu, nequidem ex isto: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, Matth. cap. 22. necessitas charitatis colligitur, cùm in adversariorum mente Deum ex toto corde diligamus, & ad illum convertamur æquò amore spei & charitatis.

Contra 3. meridiana luce clarior est laudata Cleri Gallicani declaratio; namque 1. conceptis verbis distinguit amorem charitatis ab amore spei; *Ne quis putet*, inquiunt Antistites, *in utroque Sacramento securum se esse, si præter fidei & spei actus non incipiat diligere Deum.* 2. Cavent, ne Presbyteri in

Sacra-

Sacramento Pœnitentiæ conferendo, consequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, declarant insuper opinionem, quæ in attritione requirit inchoatam saltem Dei dilectionem, solam esse securam. Hanc igitur opinionem probabilem & securam opponunt alteri opinioni probabili quidem, sed minimè tutæ. Quæro autem quæ sit illa de attritione opinio probabilis in eorum mente? An opinio de attritione naturali? At illam damnant, ut hæreticam; an attrito ex gehennæ metu sine ulla Dei dilectione, sine ullo ad Deum offensum respectu? at illam declarant temerariam, scandalosam, perniciosam, & inducentem in hæresim. Restat ergo, ut solam opinionem de attritione ex metu gehennæ, & ex amore spei concepta, agnoscant probabilem, sed minimè securam. Solam ergo securam cognoscunt, quæ requirit in attritione inchoatum charitatis amorem. Enimverò quis credat eos voluisse attritionem, quæ includit inchoatum charitatis amorem non esse securam, illam verò quæ concipitur ex amore concupiscentiæ tantùm, solam esse tutam, & in praxi sequendam? 3. Docent non satis adimpleri posse utrique Sacramento necessarium vitæ novæ inchoandæ propositum, si pœnitens primi, ac maxime mandati, quo Deus toto corde diligitur, nullam curam gerat: *Nec sit saltem animo ita præparato, ut ad illud exequendum divina opitulante gratia, sese excitet ac provocet.* Quomodo verò præparatus erit animus ad exequendum primum mandatum, nisi illud diligat? neque enim latro censetur dispositus ad exequendum quod audit præceptum, *non furaberis*, nisi illud diligat: non diliget autem, quamdiu justitiam non amaverit.

verit. Ergo à pari ut quis ſit paratus ad exequendum primum & maximum mandatum, diligat illud neceſſe eſt, ſed illud non diliget; niſi Deum ſimul diligat; repugnat enim eum amare præceptum diligendi Deum & proximum amore benevolentiæ, ſeu amicitiæ, qui nec Deum nec proximum in ſe ſpectatos adhuc diligit. Sed de hoc argumento iterum. Denique ſi præjudicata adverſariorum opinio tenebras offendit laudatæ declarationi, alioquin per ſe evidenti, adeant illius auctores, adhuc ſupereſt magno Eccleſiæ bonò è duobus ſacri illius cætus Præſidibus alter, ſcil. Eminentiſſimus Cardinalis *de Noailles*. Archiepiſcopus Pariſienſis, ex cujus ore didicimus eam fuiſſe Cleri Gallicani ſententiam, quam hic exponimus. Id ipſum nobis, dum viveret, teſtificatus eſt Illuſtriſſimus Carolus Mauritius *Le Tellier*, Archiepiſcopus & Dux Remenſis, qui unà cum laudato Eminentiſſimo Cardinali Comitiis præfuit.

Probatur 4. ex Theologis, qui uſque ad XVII. ſæculum floruerunt.

S. Thomas libro 4. contra gentes cap. 72. *Mens noſtra*, inquit, *debitè ad Deum converti non poteſt ſine charitate: charitas autem ſine gratia haberi non poteſt*, 3. part. quæſt. 85. art. 5. recenſet actus, quibus peccator diſponitur ad juſtificationem. Primus actus eſt motus fidei. Secundus, motus timoris ſervilis. Tertius eſt, *motus ſpei, quo quis ſpe veniæ conſequendæ aſſumit propoſitum emendandi.* Quartus eſt, *motus charitatis, quo alicui peccatum diſplicet ſecundum ſeipſum, & non jam propter ſupplicia.* Et artic. 3. ad quartum, *pœnitentia eſt cum fidè Paſſionis Chriſti, per quam juſtificamur à peccato, & cum ſpe*

*ſpe veniæ; & cum odio vitiorum, quod pertinet ad charitatem.*

S. Bonaventura in quartum diſt. 17. qu. 4. ad quartum: *Ad illud*, inquit, *quod objicitur de attritione, dicendum quòd nemo recipit effectum, niſi charitatem habeat, ſaltem in principio confeſſionis, vel in medio, vel in fine.*

Sanctus Bernardinus Senenſis ſermon. in feria tertia poſt Dominicam primam Quadrageſimæ? *Qui conteritur*, inquit, *principaliter propter timorem inferni, & non propter amorem Dei, non eſt in ſtatu ſalutis, quia non dolet amore Dei, ſed amore ſui.*

S. Antoninus 4. parte tit. 14. cap. 5. *Quia*, inquit, *timor ſervilis non eſt in charitate, ideò non ſufficit ad ſalutem; & ideò pœnitentes, præcipuè in gravibus infirmitatibus oportet admonere, ne ad pœnitendum & confitendum propter hujuſmodi principaliter moveantur; nam inutilis eſſet ſibi talis pœnitentia.*

Cæteros Theologos longum eſſet dinumerare præ eorum multitudine. Alii, quos magno numero appellavimus pag. 148. requirunt contritionem perfectam: alii, de quibus pag. 169. contendunt attritionem non diſtingui à contritione perfecta niſi accidentaliter, ſicut calorem remiſſum à calore intenſo, adeò ut contritio includat perfectum charitatis motum, attritio verò imperfectum, & hanc ſententiam Cardinalis Palavicinus ſupra laudatus refert communiter obtinuiſſe in Concilio Tridentino. Quin ipſimet parentes & primi Patroni oppoſitæ ſententiæ, Sotum intelligo, Canum, Vegam, Suarem, Vaſqueſium, & alios ſupra laudatos, pagina 181. fatentur ſuam ſententiam eſſe novam, nec in praxi tutam. Hinc S. Carolus Borromæus in Inſtructionibus de Sacra-

mento

mento Pœnitentiæ, monet Confeſſarium: *Antequam pœnitentiam imponat, & abſolutionem tribuat pœnitenti; videbit an propter Deum veram peccatorum ſuorum contritionem habeat..... ſi verò talem contritionem illum non habere intellexerit: illius deſiderium accendere conabitur, hæc admonens, propter Deum ipſum uſque adeo, quantùm poteſt, eum peccata dolere oportere*, &c.

Laudatis Theologis adjungere liceat ſanctum Franciſcum Saleſium, qui libro 2. de amore Dei, poſtquam multis probavit eum, qui ſola ſpe Deum ut ſummam ſuam beatitudinem concupiſcit, amore ſui & proprii commodi cupiditate accendi, ſic refert cap. 19. *La repentance, qui ne rejette pas l'amour de Dieu, quoiqu'elle ſoit encore ſans lui, eſt une bonne & deſirable repentance, mais imparfaite, & qui ne peut nous donner le ſalut juſqu'à ce qu'elle ait atteint à l'amour, & qu'elle ſe ſoit melee avec lui; de ſorte que comme le grand Apotre a dit que s'il donnoi ſon corps à bruler, & tous ſes biens aux pauvres ſans avoir la charitè, cela lui ſeroit inutile. Auſſi pouvons nous dire en veritè, que quand notre penitence ſeroit ſi grande, que ſa douleur fit fendre nos yeux en larmes, & fendre nos cœurs de regret; ſi nous n'avons le ſaint amour de Dieu, tout cela ne nous ſerviroit de rien pour la vie eternelle.*

Probatur 5. nonnullis rationibus.

Prima. Qui mandata Dei imprimiſque primum ac maximum non diligit, is certè diſpoſitus non eſt ad effectum Sacramenti, nec debet abſolvi: atqui mandata Dei non poteſt diligere abſque initiali charitatis amore: Ergo ſine initiali charitatis amore, diſpoſitus non eſt ad effectum Sacramenti, nec proinde debet abſolvi.

Majorem, ut opinor, non negabunt oppositæ ſententiæ Patroni: nullum enim ex iis hactenus reperi in examine à Synodo Tridentina præſcripto ad tentandam Confeſſariorum peritiam, qui ita admitteret ſufficientiam attritionis ex pœnarum metu conceptæ, ut aſſereret abſolvendum pœnitentem hactenus ebrioſum, impudicum, proximo infenſum, qui candidè fateretur ſe nullatenus amare ſobrietatem, caſtitatem, charitatem in proximum, ſibique videri jugum grave præcepta quæ de illis virtutibus data ſunt: fixum tamen eſſe in animo ſe deinceps talia crimina non perpetraturum, cùm alioquin æternam damnationem, quam ſummè exhorret, vitare nequeat.

Enimvero pœnitens dici non debet, qui non depoſuit perverſam voluntatem: atqui perverſa eſt illa voluntas & malè affecta, quæ non amat juſta honeſta; & debita; ſicut enim bona voluntas aliud non eſt, quàm voluntaria propenſio in ea, quæ ſunt rectæ rationi conſentanea, ita mala voluntas intelligi debet, quæ in ea quæ fides & recta ratio præſcribunt, proprio pondere non fertur, ſed impellatur neceſſe eſt vel metu pænarum, vel ſpe remunerationis. Bonus quidem eſt ille timor, honeſtus quoque & laudabilis ille con cupiſcentiæ amor, ut probavimus Tract. de Spe: ſed malum eſt & ſanandum illud voluntatis faſtidium, utpotè animi ægritudo. Quapropter Tridentini Patres ex Palavicino ſupra laudato pagina 173. cenſuerunt pœnitentes ſatis ad Baptiſmum non diſponi per actus fidei, timoris judiciorum Dei, ſpei in ejus miſericordia, & per odium peccati: ſed in Decreto iſta inſeruere verba: *Incipiunt Deum diligere tanquam omnis juſtitiæ fontem*, quam ſingu-

ſingularem loquendi rationem operæpretium eſt ponderare, uti à Spiritu Sancto inſpiratam.

Patres itaque Deum diligendum proponunt initiandis ſive pœnitentibus, non præcisè, ut miſericordem & pronum ad parcendum: neque ut omnipotentem ad ſanandum animæ vulnera: neque ut bonorum omnium, ac præſertim æternæ felicitatis auctorem: ſic enim eum diligit quilibet fidelis etiam nequiſſimus, vult enim eſſe beatus & fide Catholica inſtructus, aliam beatitudinem poſt mortem non exoptat, quàm Dei poſſeſſionem. Cùm ergo ejuſmodi ſpei amor per ſe ſolum perverſam voluntatem non corrigat, Tridentini Patres à pœnitentibus exigunt, ut ante Baptiſmum Deum diligere incipiant, tanquam omnis juſtitiæ fontem, qui enim Deum ſic diligit, proculdubio ejus quoque mandata, & omnem, quam præcipiunt juſtitiam diligat neceſſe aſt, ſicut eo præcisè quis expetit lumen, quò noctis pertæſus expetit Solis ortum, tanquam omnis luminis principium.

Ex hac explicatione probata manet argumenti noſtri minor propoſitio, nempe mandata Dei, imprimiſque primum ac maximum non poſſe diligi abſque initiali charitatis amore; quia tota ratio amandi præceptum eſt res ipſa quæ præcipitur; repugnat quippe eum v. grat. delectabiliter audire: *Diliges proximum ſicut te ipſum*, qui erga proximum non eſt bene affectus nec benevolus: atqui mandata Dei ſunt de omnibus actibus virtutum: ergo qui ea diligit, hoc ipſo intelligitur diligere omnem, quam præcipiunt, virtutem & juſtitiam. Porrò ejuſmodi dilectio charitas eſt, ex ſanctis Auguſtino & Thoma ſupra laudatis.

Reſpond. Adverſarii ex hoc argumento evincunt dumtaxat inſufficientiam timoris gehennæ, non verò amoris concupiſcentiæ in beatitudinem; experientia enim conſtat homines ex efficaci finis deſiderio incitari ad amanda, & cum delectatione amplectenda, quæ ad illum aſſequendum conducunt. Annon artifex v. g. & mercenarius delectabiliter & cum amore neceſſarias perficiunt operas ad captandum lucrum, quod ut finem intendunt? Ergo à fortiori, cùm ad vitam æternam non pateat ingreſſus, niſi per mandata, quiſquis illam ut ultimum finem ex ſpe ardenter concupiſcit, mandata quoque ex eodem affectu neceſſitate conſequentiæ amat & deſiderat.

Contra: ex S. Auguſtino in aliis Tractatibus ſæpius laudato: *Quod amatur propter aliud, non illud amatur; ſed aliud propter quod amatur.* Quamvis æger medicinam quantumcunque amaram deſideret, & magno pretio ſibi comparet; inde tamen conſtat illam non amare, ſed ſolam ſanitatem, quòd ſæpè conqueratur de Medico quaſi plura, quàm neceſſe ſit, remedia præſcribat, & ubi obtenta, vel deſperata eſt ſalus, omnem medicinam averſetur, ac prorſus abjiciat. Eodem planè modo ſe habent, qui mandata Dei ſervare proponunt ex ſolo vel pœnarum metu, vel æternæ felicitatis deſiderio; timent ne Confeſſarius extra fines mandati excurrat, & nonnulla, licèt proficua, abſolutè tamen non neceſſaria imponat, atque ea de re aliquando cum illo diſceptant, ac auſteriorem pronuntiare non verentur. Ex quibus conficitur pœnitentes ſic affectos non amare mandata propter ſe, atque adeò propriè juſtitiam non amare: *Quod enim non propter ſe amatur, non amatur*, inquit S. Auguſt. lib. 1. Soliloquiorum.

Ut

Ut autem ampliùs pateat quàm inordinata & perversa sit animi illa dispositio, consulenda sunt dicta Tract. de Actibus humanis pag. 33. & 77. & sequentibus, ubi fusè demonstravimus mandata & justitiam quam præcipiunt, non esse pura media, quibus uti liceat sicut molestis Medicorum præceptis, ex necessitate finis dumtaxat expetendis; sed habere rationem finis simul & medii: medii quidem, quia ad vitam æternam adipiscendam inserviunt: finis etiam, quia sunt proprium creaturæ rationalis bonum, eam per se perficiunt, & eò nos feliciores reddunt, quò pleniùs diliguntur, juxta illud Matth. 5. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur*, nimirum perfecta Dei possessione, quæ nihil est aliud quàm plena veritatis, sapientiæ, charitatis, & omnis justitiæ fruitio; quid est enim Deus, nisi ipsa veritas, sapientia, charitas & omnis justitia? Ergo mandata Dei & justitia, quam præcipiunt, non sunt pura media ex se gravia, injucunda, & aliquando, fine scilicet obtento, abjicienda, sicut Medici præcepta & remedia; sed habent rationem finis, ac proinde sunt propter se desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum, ac per se dulciora super mel & favum, inquit Regius Psaltes.

Ergo voluntas, quæ virtutem fastidit, est malè affecta, & minùs disposita ad fructum Sacramenti percipiendum, novamque vitam inchoandam, juxta Concilii doctrinam. Enimverò nisi præoccupata sit justitiæ delectationibus, quomodo resistet carnis illecebris, mundi terroribus & suavitatibus, si nullus sit in ea affectus ejusmodi tentationibus repugnans? Intensus, inquies,

ſpei & beatitudinis amor illas propulſabit : atqui graves tentationes mentem perturbant , & ultimi finis cogitationem avocant : *Faſcinatio enim nugacitatis obſcurat bona , & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia.* Sap. 4. verſ. 12. unde voluntas, niſi juſtitiæ illecebris fuerit delinita, præceps tanquam avis proſpecta eſca, in peccati laqueum inducitur. Centies illud mihi iterandum fuit, benemultis mirantibus, quomodo tam temere & inconſultò tentationibus in peccatum laberentur, cùm obfirmato adeo animo rectè & piè vivere decreviſſent, nimirum fortis ut mors dilectio cordi non dominatur, domum vacantem invenit Satanas facilèque diſpellit memoriam æternæ damnationis & felicitatis, quæ poſſet ei obſiſtere; quin etiamſi ſit præſentiſſima, novit illam eludere, objiciendo ſcilicet futurum ſpatium pœnitendi, & promiſſam pœnitentibus veniam ; & ita ſpem ſalutis æternæ, & timorem gehennæ conciliat cum momentaneo peccato. Sed exitialem illam compoſitionem horret vera juſtitiæ dilectio, incenditurque nedum extinguatur hujuſmodi tentationibus. Ergo ut efficax ſit in pœnitentibus propoſitum non peccandi præter timorem gehennæ & amorem ſpei, requiritur initialis timor & inchoata charitas, per quam mandata dulceſcunt, & ſuavis efficitur cultus juſtitiæ, ut propter ſe appetatur.

Altera ratio ſuadet hancce initialis amoris neceſſitatem, ſcilicet ad jungendam cum aliquo amicitiam, præire debet amor benevolentiæ, juxta vulgare axioma, *ſi vis amari, ama*, hoc eſt, incipe amare ſimili amore, quo amari deſideras; amicitia quippe eſt amor reciprocus : amori autem

tem benevolentiæ non respondet amor concupiscentiæ, dispares sunt ac dissimiles duo illi amores: amore enim benevolentiæ quis bene vult dilecto, ac de ejus bono delectatur; amore vero concupiscentiæ cupit sibi, & proprium dumtaxat commodum intendit. Nihil hic reciprocum, nihil simile amori optato offertur; ideoque nullus amicitiam instituet cum eo, quem certò novit suis tantùm rebus consulere, & omnia erga ipsum obsequia, ad suum privatum referre commodum: atqui Sacramentum pœnitentiæ institutum est ad restituendam cum Deo læsam amicitiam, per absolutionem charitatis, quæ ex dictis est vera amicitia, diffunditur in cordibus pœnitentium. Ergo pœnitentes ad illud se disponere debent per intialem charitatis amorem.

Respondent Adversarii ex nostro decursu, colligi quidem amorem charitatis esse dispositionem proximam ad nectendam cum Deo amicitiam, sed in Sacramento satis esse, si pœnitens sit remotè dispositus, alioquin frustra institutum videtur Sacramentum, nisi suppleat ultimum dispositionis gradum; è quo forma seu effectus divelli nequit.

Contra, solus perfectæ charitatis amor ultimo disponit ad instituendam cum Deo amicitiam: non agitur autem hic de perfecto ullo amore, sed de initiali & inchoato, qui respondeat benevolentiæ, qua Deus prævenit & alicit peccatorem, ut in amicitiam suam redeat. Atqui amor spei, utpotè privato commodo amantis unicè consulens, nullatenus respondet Dei benevolentiæ: ergo non est sufficiens dispositio etiam cum Sacramento ad restituendam cum Deo amicitiam.

Tertia ratio. Qui lethaliter peccat, proculdubio violat Dei amicitiam, ac in primum maximum mandatum offendit. Quòd si longo tempore in peccati sordibus volutatus est, ut contingit peccantibus ex habitu, qui etiam sacrilegis confessionibus non rarò suis peccatis cumulum addidere, is sanè præceptum charitatis sæpesæpiùs transgressus est, cùm ex dictis Tract. de Charitate præceptum illud sit speciale, obligetque ad eliciendos identidem divini amoris actus, quos omisit inveteratus ille peccator. Si igitur ultionis cupidus, priusquam absolvatur, debet odium deponere, & amorem concipere: si ebriosus, libidinosus, & rei alienæ detentor, non censentur ad Sacramentum dispositi per timorem gehennæ & concupiscentiam æternæ beatitudinis, nisi pravos habitus per actus temperantiæ & justitiæ depellere conati fuerint; & ut in iis virtutum actibus exerceant sese (nisi Confessarium prævenerint) differtur absolùtio; qua ratione nullam curam gerent primi ac maximi mandati, quod toties ac tandiu transgressi sunt? Cur Confessario satis fuerit inquirere, num ex quo conversionem meditantur, temperatè vixerint, illatum proximo damnum repararint, cum ipso reconciliati sint, eumque diligere incipiant, nulla mentione facta dilectionis Dei, licèt ejus præceptum, utpotè longo tempore neglectum, actu eos urgeat? si cum recentiore quodam respondere pudet, quòd ejusmodi dilectio obstet, quominus effectus Sacramenti sequatur: *Quemadmodum*, inquit ille, *absurde certè faceret Meditus, qui ægroto præciperet, ut non susciperet medicamentum, nisi priùs conatus esset absque medicamento morbum depellere;* ex absurda tamen

tamen illa ſententia videntur agere, qui inter diſpoſitiones percipiendo pœnitentiæ Sacramento conſentaneas initialem Dei amorem recenſere cavent, quamvis primum locum obtinere debeat, ſitque tutiſſima via ad percipiendum Sacramenti fructum, ut mox patebit.

Quarta igitur ratio petitur ex communi SS. Patrum, & Eccleſiæ doctrina, quàm latiùs expoſuimus Tractatu de Conſcientia pagina 320. nempe graviter peccare eum, qui in rebus ad ſalutem animæ pertinentibus certis incerta præponit: *In his rebus*, inquit ſanctus Bernardus. ſerm. de voluntate noſtra ſubjicienda divinæ, *in quibus nihil certi poſſumus invenire, nihil certum voluntas noſtra definiat.* Et cap. *Juvenis*, de ſponſalibus, *in his quæ dubia ſunt, quod certius exiſtimamus, tenere debemus.* Generale quoque Concilium Viennenſe cap. *Exivi*, de verborum ſignificatione, ſic ſtatuit: *in his quæ ſalutem animæ reſpiciunt ad vitandos graves remorſus conſcientiæ, pars ſecurior eſt tenenda.*

Addit Clerus Gallicanus anno 1700. *Neque id Conſilii, ſed præcepti loco habeamus.* Denique Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. damnàrunt hancce quorundam Modernorum propoſitionem: *Non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Atqui ex omnibus opinionibus circa ſufficientiam attritionis, ſola, quam hìc propugnamus, in praxi eſt tuta: ergo ſola practicè eſt tenenda.

Minor probatur 1. ex Theologis, qui oppoſitam opinionem in Scholas invexerunt, Sotum intelligo, Vegam, Canum, & qui eos proximè ſecuti ſunt, ut Suarez, Vasquez, Gamachæus, qui

N 5 omnes

omnes uno ore pronuntiant hujusmodi opinionem, quantumcunque ipsis videretur probabilior, non esse tamen in praxi securam; *In hoc casu*, inquit Vasquez in 1. 2. qu. 19. art. 6. disp. 63. *existimo neminem satisfacere huic obligationi charitatis, si sequatur opinionem probabilem, imò etiam probabiliorem minùs tutam, cùm potest tutam eligere.*

Probatur 2. ex Decreto Alexandri VII. supra laudato, quo Summus Pontifex prohibet sub pœna excommunicationis sententiæ latæ, ne quis alterutram ex oppositis opinionibus circa sufficientiam attritionis censura Ecclesiastica, sive Theologica perstringat. Unde sic conficitur argumentum: ex duabus sententiis contradictoriè oppositis necessariò una est vera, altera falsa; ergo cùm liberum relinquat Summus Pontifex utramque in Scholis propugnare uti probabilem, incertum planè est utra ex iis sit vera aut falsa, an negans inchoatum charitatis amorem in attritione esse necessarium, an vero affirmans; ac proinde quamdiu manebit illud dubium, nec judicium suum Sedes Apostolica protulerit, inquirendum est utra ex duabus illis opinionibus probabilibus secura sit in praxi.

Atqui prima negans practicè teneri non potest absque æternæ damnationis periculo; potest enim esse falsa, & quidem probabiliter, cùm opposita sit probabilis: affirmans verò licet possit esse falsa, cùm pugnet contra alteram probabilem, nulli tamen periculo exponit; certum quippe est & indubitatum eum, qui cum initiali charitatis amore ad Sacramentum accedit, veniam peccatorum accipere, cùm contra id non constet de eo, qui accedit sine illo inchoato amore.

At,

At, inquies, opinio negans neceſſitatem hujusce amoris, probabilior eſt affirmante.

Tranſeat, etiamſi nobis aliter videatur, quid inde? nempe, inquies, licet ſequi opinionem probabiliorem. At ſupra negabat Vaſqueſius, quando probabilior opinio non eſt in praxi tuta, & nos etiam negavimus ubi de Conſcientia. Sed & illud etiam concedamus, utpotè non pertinens ad præſentem quæſtionem: inde ſolùm concludi poteſt operantem ex probabiliori opinione, minimè tamen ſecura, non peccare; ſed bona ejus fides non reddit Sacramentum validum in hypotheſi probabiliter vera, quòd attritio ex inchoato charitatis amore concepta, ſit eſſentialis Sacramenti materia, deſitque in pœnitente; quemadmodum Euchariſtiam non conficit, qui bona fide adhibet aquam, quam exiſtimat vinum album. Ergo noſtra opinio in praxi ſola eſt tuta.

Probatur 3. eadem minor ex Clero Gallicano, qui conceptis verbis loco ſæpius laudato, docet monendos pœnitentes: *Ut in pœnitendo inchoatè ſaltem dilectionis Dei ineant viam, quæ ſola ſecura ſit, graviter peccaturi in hoc ſalutis diſcrimine, vel eo ſolo quòd certis incerta præponant.*

Adverſarii declarationem tam clarè expreſſam obſcurare nituntur, & in ſuam ſententiam detorquere; contendunt enim Galliæ Antiſtites unum velle dumtaxat, nimirum ſatis non eſſe ad conſequendum Sacramenti effectum, ut pœnitentes gehennæ metu ducantur, niſi ſimul amore ſpei Deum diligant tanquam ſuum ultimum finem.

Sed quàm abſurdè illud dicatur, patet, vel ex ipſo contextu. Ibi quippe Paſtores noſtri declarant in Sacramentis conferendis, non eſſe ſequendam

dam opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore: ſolam verò, quæ requirit inchoatam Dei dilectionem eſſe ſecuram. Quòd autem de charitatis dilectione loquantur, ex enumeratione opinionum probabilium de valore Sacramenti evidenter colligitur. Duæ, vel ad ſummum tres circumferuntur opiniones, tanquam probabiles de valore Sacramenti. Prima aſſerit attritionem ex ſolo pœnarum metu conceptam, ſufficere ad Sacramentum. Secunda requirit inſuper dilectionem Dei ex ſpe, & amore concupiſcentiæ in beatitudinem. Tertia contendit inchoatæ ſaltem charitatis amorem ad valorem Sacramenti, eſſe neceſſarium. Has opiniones Summus Pontifex Alexander Septimus probabiles ſupponere videtur eo ipſo, quo prohibet, ne ulla ex iis nota cenſoria configatur. Jam verò indicent Adverſarii quam ex illis opinionibus probabilibus Clerus Gallicanus ſolam aſſerat ſecuram. Primam certè non indigitabunt; ſecunda enim videtur ipſis ſecura, quin & ſecurior. Quam igitur? fortè ſecundam? pro illa enim decertant ac jurant. Sed ſi ſecunda opinio, quæ aſſerit ad valorem Sacramenti neceſſariam eſſe, & ſufficere attritionem ex amore ſpei conceptam, in mente Cleri Gallicani ſola eſt ſecura, videant in quod abſurdum ſe conjiciunt: ſi enim hæc opinio ſola ſit tuta & ſecura: ergo ſecundum eundem Clerum tutum non eſt, nec ſecurum cum inchoatæ charitatis amore ad Sacramentum accedere, quo nihil abſurdius fingi poteſt, nec contumelioſius dici in Eccleſiæ Gallicanæ Antiſtites. Ergo certo certius eſt Clerum Gallicanum non aliam opinionem declaraſſe ſecuram, quàm quæ in attritione

tione requirit inchoatæ saltem charitatis dilectionem.

Nec dicas Præsules voluisse dumtaxat nullam opinionem de attritione, esse in praxi securam, nisi timori gehennæ addatur inchoata Dei dilectio ex quacunque tandem virtute, sive spei, sive charitatis nascatur; namque 1. conceptis verbis, *præter fidei & spei actus*, requirunt initialem Dei attritionem, & in argumentum assumunt ista Concilii Tridentini verba: *Incipiunt diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem.* Quæ verba ex Palavicino supra laudato, incerta sunt Decreto ad votum eorum, qui contendebant aliquem charitatis actum prærequiri ad Sacramentum. 2. In sententia Adversariorum, attritio non est sufficiens, nisi includat perfectiorem spei dilectionem, quàm attritio, quæ concipitur ex solo gehennæ metu; atqui Clerus Gallicanus præscribit ut pœnitentes *inchoatæ saltem dilectionis Dei ineant viam, quæ sola secura sit:* Ergo doctrina Adversariorum non concordat cum doctrina Cleri Gallicani: nam juxta eorum interpretationem satis est in mente Cleri Gallicani, ut attritio includat inchoatam spei dilectionem, quæ necessariò includitur in attritione, ex solo pœnarum metu concepta; nullus enim damnationem ex fide timeret, nisi beatitudinem supernaturalem saltem imperfectè & inchoatè diligeret, cùm timor mali non oriatur, nisi ex amore boni oppositi: Ergo admissa ejusmodi interpretatione, Clerus Gallicanus statuit attritionem ex pœnarum metu tanquam viam, quæ sola secura sit. Sed dum iis immoramur, facem admovemus ad conspiciendum Solem in meridie lucentem.

Quæ

Quæ hucuſque diximus, non eò tendunt, ut damnemus opinionem noſtræ oppoſitam. Abſit enim, ut præveniamus judicium Eccleſiæ, apud quam pendet lis noſtra, aut ulteriùs progrediamur, quàm Paſtores noſtri, quibus ſatis fuit viam tutam ovibus ſuis præmonſtrare, illibata probabilitate, quæ vulgò tribuitur mox recenſitis opinionibus.

Doceant ergo Adverſarii ſuam opinionem, & pro ea publicè decertent, ſed ea lege quam ſtatuerunt Illuſtriſſimi Præſules, nimirum probabile eſſe, aut, quemadmodum ipſi volunt, probabilius amorem ſpei ſufficere ad Sacramentum; in praxi tamen doctrinam illam minimè eſſe ſecuram. Sic docebant qui eam reconciliationis viam Patribus ignotam aperuere; eorum verba & ſententias ſupra laudavimus. Enim verò ſi graviter peccaret Medicus, qui ex præjudicata ſua opinione temporalem ægroti ſalutem periculo exponeret per remedia incerta, cùm alii ſuggererent indubitata & præſentiſſima, quantò magis vituperandus eſt Theologus, qui ita propugnat attritionem ſine inchoatæ charitatis amore in Sacramento ſufficere, ut ſimul non moneat Diſcipulos vel auditores ejuſmodi opinionem in praxi non eſſe tutam, ſed æternæ damnationis periculo exponere?

# CAPUT IX.

## De Confeſſione.

Quæ Confeſſionem ſpectant, ad quatuor capita revocabimus. 1. Dicemus de ejus notione ſeu definitione. 2. De utilitate. 3. De neceſ-

neceſſitate. 4. De proprietatibus, ſeu conditionibus; quarum duæ ſunt præcipuæ, nimirùm integritas, & ſecreti ſigillum.

§. I.

*De notione, ſeu definitione Confeſſionis.*

Q. 1. *Quid eſt Confeſſio?*

R. Eſt accuſatio facta à pœnitente peccatorum propriorum à Baptiſmo commiſſorum, ad illorum abſolutionem obtinendam à Sacerdote.

Dicitur 1. *Accuſatio*, non mera declaratio, aut narratio, multo minus excuſatio, vel oſtentatio, ut in iis contingit, qui gloriantur cùm malè fecerint, & malum dicunt bonum; ſed eſt humilis agnitio propriæ culpæ, propter quam dolens quis, ſeſe reum & pœna dignum confitetur, juxta illud Pſal. 31. *Dixi, confitebor adverſùm me injuſtitiam meam.*

Dicitur 2. *Facta à pœnitente;* Quia ex dictis pag. 146. vera confeſſio ex dolore procedit; cui enim non diſplicent peccata, v. grat. ſuperbia, avaritia, pigritia, vulgo falſam cauſam fingit, quod Regius Pſaltes à ſe deprecatur Pſal. 140. *Ne declines*, inquit, *cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis.*

Dicitur 3. *peccatorum*, non tentationum & defectuum, quos ex humana fragilitate ſine noſtra negligentia patimur; iſta enim non ſunt materia abſolutionis, ad quam Confeſſio ordinatur; ſed conſilii.

Dicitur 4. *propriorum*, non alienorum, niſi noſtra culpa patrata ſint; ſed in illa hypotheſi eva-

evadunt propria, putà ratione dati ſcandali, vel negligentiæ noſtræ erga eos præſertim, qui ſubſunt curæ noſtræ. De hujuſmodi peccatis intelligitur illud Pſ. 18. *Ab alienis parce ſervo tuo.*

Dicitur 5. *à Baptiſmo commiſſorum.* Quia peccata Baptiſmum præcedentia clavibus Eccleſiæ ſubjici nequeunt, ut ſupra diximus pag. 85.

Dicitur 6. *ad abſolutionem illorum obtinendam*; Quia Sacramentum Pœnitentiæ celebratur per modum judicii reconciliativi, non vindicativi: *Dixi, confitebor adversùm me injuſtitiam meam*, inquiebat ſupra Regius Pſaltes...... *& tu remiſiſti impietatem peccati mei.*

Dicitur 7. *à Sacerdote*, ſcil. tanquam Dei Vicario. Unde Confeſſio Sacramentalis à Patribus vulgò dicitur Deo fieri; quia ſolus Deus remittit peccata per Miniſtrum ſuum.

Q. 2. *Confeſſio eſtne actus virtutis?*

R. Affirmativè; Quia in Scriptura laudantur qui agnoſcunt & confitentur peccata, ut David 2. Reg. 12. Publicanus Luc. 18. Filius prodigus, Luc. 15. vituperantur verò qui ea abſcondunt, Prov. 28. verſ. 13. *Qui abſcondit ſcelera ſua, non dirigetur: qui autem confeſſus fuerit, & reliquerit ea, miſerecordiam conſequetur.*

Q. 3. *Cujuſnam virtutis actus eſt Confeſſio?*

R. 1. Eſt actus pœnitentiæ, ut patet ex ejus definitione mox allata; qui enim peccatum contra ſe confitetur, illud improbat: deteſtatur, coram perſona læſa ſe dejicit, & ſatisfactionem ei exhibet: *Confeſſio ſatisfactionis conſilium eſt, diſſimulatio contumaciæ*, inquit Tertullianus, capite 8. de pœnitentia. 2. Eſt etiam actus Religionis, tum quia Sacramenta ſunt cæremoniæ religioſæ, pertinentque

tinentque ad Dei cultum: tum maximè, quia confessio peccatorum est laus Dei speciosa in ore peccatoris, ut observat sanctus Augustinus in Psalmum 94. ubi sic habet: *Nunquid & hoc non pertinet ad laudem Dei, quando confiteris peccata tua? imò verò maximè pertinet ..... quia cùm peccata nostra cognoscimus, Dei gloriam commendamus.* Enimverò cùm peccat quis, insurgit adversus Deum, mandata ejus graviora queritur ac rejicit: & cùm peccatum suum defendit, & vanis excusationibus prætexit, cum Deo rixatur: at ubi adversum se confitetur, Dei legem honorat, justum confitetur ejus auctorem, illi se subjicit, & pro ipso stat contra seipsum; *Qui confitetur peccata sua*, inquit sanctus Augustinus, Tractatu 12. in Joannem, *jam cum Deo facit. Accusat Deus peccata tua, si & tu accusas, conjungeris Deo.* Et in Psalm. 95. expendens illa verba: *Confessio & pulchritudo in conspectu ejus;* ait: *Confessio hostia est Deo. Ergo, ò gentes, si vultis intrare in atria ejus, nolite vacuæ intrare, tollite hostias. Quas hostias nobiscum deportabimus? Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non spernit.* Et sanctus Bernardus epistola 113. *Cùm mala tua confiteris, sacrificium est Deo spiritus contribulatus.*

## §. II.
## *De utilitate Confessionis.*

Q. 1. *Estne utilis confessio peccatorum?*

R. Affirmant Patres Tridentini sessione 14. c. 4. his verbis: *Ipsa verò hujusmodi confessionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, gravis quidem videri posset, nisi tot tantisque commodis, & consolationibus levaretur*, &c. Et Catechismus Romanus

parte 2. de Confessione, §. 49. sic habet: *Constat, si Sacramentalem Confessionem è Christiana disciplina exemeris, plena omnia occultis & nefandis sceleribus futura esse, quæ postea & alia etiam multò graviora, homines peccati consuetudine depravati, palàm committere non verebuntur. Etenim confitendi verecundia, delinquendi cupiditati, & licentiæ tanquam frænos injicit, & improbitatem coercet.* Nec inficiantur Hæretici; illam enim ut utilem commendant, solùmque ejus necessitatem impugnant; *Hinc sequitur*, inquit Calvinus, libro 3. Institutionum capite 4. §. 7. *ejusmodi confessionem liberam esse oportere, ut non ab omnibus exigatur; sed iis tantùm commendetur, qui eà se opus habere intelligent. Deinde ne ii ipsi, qui illà utuntur pro sua necessitate, ad enumeranda omnia peccata, vel præcepto cogantur, vel arte inducantur, sed quoad interesse sua putabunt, solidum consolationis fructum referant.*

Q. 2. *Quid utilitatis percipitur ex Sacramentali Confessione?*

R. 1. Si sit accurata, & fiat ut oportet, annexam habet promissionem remissionis peccatorum, 1. Joan. 1. 9. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Unde Tertullianus, libro de Pœnitentia cap. 9. & 10. *Cùm igitur provolvit hominem, magis relevat; cùm squallidum facit, magis mundatum reddit; cùm accusat, excusat: cùm condemnat, absolvit. In quantùm non peperceris tibi, in tantum tibi Deus, crede, parcet. Plerosque tamen hoc opus ut publicationem sui aut suffugere, aut de die in diem differre præsumo, pudoris magis memores, quàm salutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione, conscientiam medentium vitant, & ita cum erubescentia sua pereunt.* Et infrà: *Adeone existimatio homi-*

*hominum, & Dei conscientia comparantur? an melius est damnatum latere, quàm palàm absolvi?* Et S. Augustinus in Psalm. 66. *Te accusa, illum glorifica: te reprehende, illum lauda: ut & ipse veniens inveniat te punitorem tuum, & exhibeat tibi salvatorem tuum..... quia ista confessio non ad supplicium ducit, sequitur & dicit,* lætentur & exultent gentes. *Si plangunt ante hominem confessi latrones, lætentur ante Deum confessi fideles. Si homo judicet, exigit à latrone confessionem tortor, & timor; & si victus dolore fuerit, profert ad mortem vocem suam. Nusquàm ergo lætus nusquam exultans; antequam confiteatur, exarat ungula: cum confessus fuerit, damnatum carnifex ducit. Miser ubique. Sed* lætentur & exultent gentes. *Unde? per ipsam confessionem. Quare? quia bonus est, cui confitentur: ad hoc exigit confessionem, ut liberet humilem; ad hoc damnat non confitentem, ut puniat superbum.*

2. Confessio magnum animæ tribuit solatium & levamen. Ita sanctus Augustinus citato loco in Psal. sexagesimum sextum: *Tristis esto*, inquit, *antequam confitearis: confessus exulta, jam sanaberis. Conscientia sua saniem collegerat, apostema tumuerat, cruciebat te, requiescere non sinebat; adhibet Medicus fomenta verborum, & aliquando secat, adhibet medicinale ferrum in corruptione tribulationis: tu cognosce Medici manum; confitere; exeat in confessione, & defluat omnis sanies: jam exulta, jam lætare; quod reliquum est facile sanabitur; advocatum misit tibi* (Deus) *propter illum & per illum confitere; age causam tuam, & defensor est pœnitentis, & petitor veniæ confitentis, & Judex innocentis.* Et S. Gregorius hom. 20. in Evangel. *Quid est*, inquit, *peccatorum confessio, nisi quædam vulnerum ruptio? quia peccati virus salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente.*

Sed frustra immoramur in aliorum testimoniis colligendis, cùm mos ipsi quotidie experiamur quanta ex confessione nascatur animæ quies, in Deum fiducia, & justitiæ suavitas.

3. Confessio est medium efficax ad excutiendas mentis tenebras, quas offundere solent amor sui, cupiditas, & communis aliorum agendi ratio; homines quippe magis ad morem vivunt, quàm ad rationem, ajebat olim Seneca, crimenque fit licitum, cùm incipit esse publicum, ut notat sanctus Cyprianus, & nos alibi demonstravimus homines vix aliter in infernum prolabi; quàm per peccata ignorantiæ vincibilis. Immane autem illud periculum misericordia divina avertit per Sacramentalem Confessionem, in qua Confessarius instar periti Medici, qui ex iis quæ audit ab ægroto, colligit pestiferum latere morbum, & pessimè affecta viscera; prudens quippe Confessarius ex peccatis, quorum se conscium confitetur pœnitens, sæpè sæpiùs plura graviora detegit, putà injustos contractus, quos ille arbitrabatur licitos, lethalem negligentiam, cum qua munere suo defungitur, aliorum exemplo ductus & deceptus, atque ideo iterandas præcedentes Confessiones, utpote sacrilegas. Porrò tot ac tanta animæ vulnera, plerique fideles sine confessione, & prudentis Confessarii ope nunquam deprehenderent, multò minùs de necessariis remediis cogitarent, sicque è vita exirent impœnitentes in suppliciis experturi quod scriptum est, Prov. 16. vers. 25. *Est via, quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem.*

4. Confessio Sacramentalis plurimùm confert ad sananda animæ vulnera, evellendos pravos habi-

habitus, & ſuperandam moralem illam peccandi neceſſitatem, quam longa conſuetudo induxit; ad id enim opus eſt perita manu Confeſſarii, & mordacibus remediis, quæ pœnitentes aut ignorant, aut ſi noverint, adhibere formidant nimiùm ſui amantes. Quare ſicut ægroti, etiam illi, qui artem medendi callent, aliorum peritiæ ſe tradunt, ab iiſque ſe ligari patiuntur, ubi ſectio, vel aduſtio eſt adhibenda: ſimiliter pœnitentes neceſſariam ſibi vim inferre aliquando piget, ſed præceptis Confeſſarii conſtrigendi ſunt, ut ablata reſtituant, inimicitias deponant, cum læſo fratre reconcilientur, proximas peccandi occaſiones amputent, & propriis cupiditatibus, qua par eſt animi fortitudine, obſiſtant. Hancce Confeſſionis efficaciam agnoſcunt non ſolùm Catholici, qui ſalutem ſuam plerumque deferunt conſiliis, & remediis in Sacramentali Confeſſione perceptis; ſed & ipſimet Heterodoxi, qui ex Eccleſia Catholica potiùs quàm ex ſua ſecta domeſticos aſſumunt, rati uſum Confeſſionis eſſe præſentiſſimum remedium contra vitia, quibus famuli ſunt obnoxii. Imprimis memorabile eſt, quod Dominicus Soto in quartum diſtinction. 18. quæſt. 1. artic. 1. dum in aula Caroli V. verſaretur, ſub oculis ſuis contigiſſe ſcribit: *Ex inclyta*, inquit, *Noremberga civitate miſſa eſt ad Cæſarem legatio, per quam Cives illi petebant, ut Cæſar imperatoria jure Confeſſionem auricularem indiceret; ajebant enim .... Rempublicam ſuam, poſtquam Confeſſio ceſſaverat, vitiis contra juſtitiam, & alias virtutes ſcaturire, quæ illis antea fuerant incognita. Rurſum tamen eadem legatio movit*, &c.

Addit Catechiſmus Romanus, vel ipſam verecundiam, quæ Confeſſionem comitatur, multos à peccato deterrere; qui enim recogitat illud ipſum flagitium, quod ſub oculis alterius patrare non auderet, Sacerdoti fore manifeſtandum, ab illius illecebris faciliùs abſtinet. Quæ cùm ita ſint, nemo Confeſſionis difficultatem obtendat, cùm eam tot ac tanta commoda omninò elevent; quin lætentur & exultent omnes, ut monet ſanctus Auguſtinus de Confeſſione differens enarratione in Pſalm 66. quòd Deus nos adversùs infeſtantes noſtræ ſalutis hoſtes tam firmo præſidio munierit, & ſanandis vulneribus, quæ in quotidiana pugna declinari difficilè queunt, præſentiſſimum nobis remedium providerit.

## §. III.

### *De neceſſitate Confeſſionis.*

Q. *Confeſſio Sacramentalis eſtne à Chriſto inſtituta, ac præcepta?*

Negarunt 8. ſæculo nonnulli, quos Hæreſeos accuſat Alcuinus eorum coætaneus. 4. Wicleſus aſſeruit Confeſſionem eſſe tantùm inſtituti Eccleſiaſtici. Eandem ſententiam amplexus eſt XV. ſæculo Petrus de Oſma, & ideò à Sixto IV. damnatus. Idem quoque ſenſit XVI. ſæculo B. Renanus in Annotat. ad lib Tertulliani de pœnit. & Eraſmus ad cap. 19. Actuum Apoſtol.

Lutherani, licèt in Confeſſione Auguſtana agnoſcant pœnitentiam tanquam Sacramentum à Chriſto inſtitutum, & Lutherus ipſe in minori Catechiſmo velit, ut à pœnitente omnia quorum conſcius eſt, peccata lethalia privatim apud Evangelii

gelii Ministrum exponantur; vulgò tamen affirmant Confessionem non esse à Christo præceptam, nec debere esse omnium ac singulorum peccatorum.

Calvinus ulteriùs progressus, non solùm negat Confessionem instituti divini, sed insuper usum illius damnat ut noxium & pestiferum; sic enim habet libro 3. Institutionum, cap. 4. §. 7. *Miror qua fronte ausi sint contendere Confessionem, de qua loquuntur, juris esse divini: cujus equidem vetustissimum esse usum fatemur* (nota) *sed quem facilè evincere possumus, olim fuisse liberum.* Et paragrapho 19. *Nihil mirum*, inquit, *si auricularem illam Confessionem, rem adeo pestilentem, totque nominibus Ecclesiæ noxiam damnamus, ac sublatam è medio cupimus.*

Verùm æquiores ejus Discipuli hujusmodi Confessionem, ut utilem ad erudiendum, & consolandum pœnitentem laudant; sed uno ore negant à Christo institutam, & necessariam ad remissionem peccatorum, quæ, ut ajunt, sola fide obtinetur. Atque ut invidiam à se amoveant, quod nulla hactenus Hæreticorum secta ausa fuerit hancce novitatem inducere, sed nonnulli dumtaxat privati statim ab omnibus explosi, glorientur se parentes habere Waldenses, qui 12. sæculo schisma fecerunt, & ab iis successione continua per Hussitas descendere. Sed frustra; nam Waldenses constanter septem Ecclesiæ Sacramenta retinuere usque ad decimum sextum sæculum, quo defecerunt ad Calvinianos. In eo dumtaxat circa Confessionem errabant, quòd satius esse existimarent peccata confiteri probo laico, quàm malo Sacerdoti, ut fusè probat Bossuerius Meldensis Episcopus libro 2. Variationum, ubi

 etiam

etiam demonſtrat Huſſitas de Confeſſione rectè ſenſiſſe.

Contra Novatorum errores Patres Tridentini ſic decernunt ſeſſ. 14. can. 6. *Si quis negaverit Confeſſionem Sacramentalem vel inſtitutam, vel ad ſalutem neceſſariam eſſe jure divino: aut dixerit modum ſecretè confitendi ſoli Sacerdoti, quem Eccleſia Catholica ab initio ſemper obſervavit, alienum eſſe ab inſtitutione & mandato Chriſti, & inventum eſſe humanum; anathema ſit.* Et can. 7. *Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum neceſſarium non eſſe jure divino confiteri omnia & ſingula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti præmeditatione habeatur etiam occulta, & quæ ſunt contra duo ultima Decalogi præcepta; & circumſtantias, quæ peccati ſpeciem mutant, ſed eam Confeſſionem tantùm eſſe utilem ad erudiendum & conſolandum pœnitentem, & olim obſervatam fuiſſe tantùm ad ſatisfactionem canonicam imponendam; aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri ſtudent, nihil relinquere velle divinæ miſericordiæ ignoſcendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema ſit.* Quare ad propoſitam quæſtionem,

R. De fide eſt confeſſionem omnium & ſingulorum peccatorum lethalium eſſe à Chriſto Domino præceptam iis, qui poſt Baptiſmum prolapſi ſunt.

Probatur 1. ex Scriptura. Joan. 20. v. 22. & 23. ubi Chriſtus Sacramentum Pœnitentiæ inſtituens, Diſcipulos ſic alloquitur, *Accipite ſpiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis.* Quæ verba Patres Tridentini ſeſſ. 14. c. 5. ſic exponunt: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ jam explicata, univerſa Eccleſia ſemper intellexit inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem,*

*nem, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere; quia Dominus noster Jesus Christus è terris ascensurus in cœlos, Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit tanquam Præsides & Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; quò pro potestate clavium remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient.* Cùm autem ejusmodi sententia prudenter ferri nequeat, nisi constituti à Christo Judices auditis peccatorum varietatibus noverint quis solvendus sit, quisve ligandus, sic pergunt laudati Patres: *Constat enim Sacerdotes judicium hoc, incognita causa exercere non potuisse, neque æquitatem quidem illos in pœnis injungendis servare potuisse, si in genere dumtaxat, & non potiùs in specie, ac sigillatìm sua peccata declarassent.*

Probatur 2. ex universali & constanti Ecclesiæ Traditione, namque ex S. Augustino lib. 4. contra Donatistas cap. 24. quod in Conciliis non invenitur institutum, sed semper, & ubique, & ab omnibus retentum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur: atqui Confessio Sacramentalis, qualis nunc observatur in Ecclesia Catholica, non invenitur ab ullo Concilio instituta, sed semper, & ubique, & ab omnibus retenta est: Ergo.

Majorem admittunt Adversarii; sed minorem pernegant. Quare accuratiùs probanda est ex testimoniis cujusque sæculi.

## EX I. SÆCULO.

Hic præmonendi sunt Lectoros 1. præter Apostolorum scripta, pauca illius ævi monimenta nobis suppetere, & ex illis alia ab aliis in dubium

revocari, ut Epiſtolam S. Barnabæ; 2. Apoſtolos & eorum Diſcipulos, cùm præſertim incumberent convertendis infidelibus, iiſque jam Catechumenis factis ad Baptiſmum præparandis, præcipuam eorum curam fuiſſe, ut contra Paganos & Judæos aſſererent veritatem Religionis Chriſtianæ, & Baptiſmi virtutem, cujus occaſione nonnulla interſeruerunt de Confirmatione & Euchariſtia, quæ ſimul cum Baptiſmo conferebantur. Unde non mirum quòd pauca de ritu Pœnitentiæ, & aliorum Sacramentorum in eorum Scriptis legantur. 3. Traditionem primi ſæculi potiſſimùm repetendam ex ſæculis proximè ſequentibus, in quibus Patres ex profeſſo vel Hæreticorum errores ſpeciatim inſectati ſunt, vel lapſos docuerunt pœnitentiæ ritum ac diſciplinam. Quid enim Sanctus Irenæus v. g. & alii ejus coævi docere potuerunt, niſi quod à ſuis Magiſtris Apoſtolorum Diſcipulis didicerant? Ergo ſi quæ occurrat obſcuritas in teſtimoniis, quæ hic proferimus ex primo ſæculo, vera interpretatio ab iis accipienda eſt, qui ab Apoſtolorum Diſcipulis edocti ſunt. Quibus præmiſſis proferuntur ex primo ſæculo,

1. Liber Actuum Apoſtolorum cap. 19. v. 18. & 19. ubi ſic legitur: *Multique credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus ſuos, multi autem ex iis, qui fuerant curioſa ſectati, contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus.* Hic laudantur credentes & jam initiati, qui non ſolùm reos ſe confitentur, ſed declarant actus ſuos utique occultos, alioquin non expectanda eorum declaratio, ſed exigenda erat dumtaxat debita ſatisfactio.

2. S.

2. S. Jacobus c. 5. suæ Epistolæ, postquam v. 14. & 15. commendavit usum Sacramenti Extremæ Unctionis, statim meminit Confessionis Sacramentalis, quam lapsi præmittere debent uti dispositionem necessariam; *Confitemini ergo*, inquit, *alterutrum peccata vestra*, *& orate pro invicem*. Particula, *ergo*, est nexus hujusce propositionis cum præcedente, quasi dicat; cùm oratio Presbyterorum qui ungunt infirmum, sit tantæ virtutis, modò infirmus obicem non ponat, *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, hoc est, homines hominibus ad ministerium ordinatis, nempe Presbyteris, non verò Presbyteri infirmis, &, *orate pro invicem*, id est, non pigeat orare pro alleviatione, & æterna salute fratris infirmi.

3. S. Barnabas in sua Epistola, quam plures Theologi multis argumentis genuinam demonstrant, scribit num. 12. *Confitemini peccata vestra.* Et Sanctus Clemens Apostoli Discipulus in sua Epistola ad Corinthios 2. sic habet: *Dum vivimus; ex toto corde nostro convertamur ad Dominum .... postquam enim ex hoc mundo egressi fuerimus, nec confiteri peccata, nec pœnitentiam agere poterimus.*

Atqui post mortem Domino confiteri poterimus, Sacerdoti verò minimè: ergo S. Clemens, & alii primi sæculi Patres, necessariam peccatorum confessionem crediderunt.

## EX II. SÆCULO.

1. Sanctus Irenæus, qui Magistrum habuit Sanctum Polycarpum, beati Joannis Evangelistæ discipulum, lib. 1. cap. de Marco hæretico & præsti-

ſtigiatore, ac plurimis mulierculis ab eo corruptis, ſic refert: *Hæ ſæpiſſimè converſæ ad Eccleſiam Dei confeſſæ ſunt, & ſecundùm corpus exterminatas ab eo, & cupidine inflammatas valdè ſe illum dilexiſſe.* Hæc poſtrema verba denotant peccatum intus in corde latens. Et lib. 3. c. 4. de Cerdone modò latenter docente, modò exomologeſim faciente, mentionem habet. Fruſtra opponit Dallæus hujusmodi confeſſionem factam coram Eccleſia, nec proinde S. Martyrem loqui de Confeſſione auriculari; quòd enim confeſſio à Chriſto inſtituta fiat publicè vel ſecretò, non pertinet ad ſubſtantiam præcepti, ſed ad meram Eccleſiæ diſciplinam, ut ſuo lòco dicetur.

2. Montaniſtæ eodem ſæculo exorti, licèt contumaciter contenderent Eccleſiam non habere poteſtatem remittendorum peccatorum, niſi levium, cum Catholicis tamen in eo conſentiebant, quòd graviora æquè ac leviora peccata Confeſſioni eſſent obnoxia, ut lapſi debitæ ſatisfactionis modum à Sacerdotibus acciperent, veniam quidem pro gravioribus à ſolo Deo expectaturi: pro levioribus verò per clavium miniſterium accepturi. Ex quo evidenter ſequitur tunc temporis unam fuiſſe fidem, non ſolùm apud Catholicos, ſed etiam apud Hæreticos, confeſſionem omnium & ſingulorum peccatorum æque neceſſariam eſſe ad pœnitentiam.

3. Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 9. *Is actus*, inquit, *qui magis græco vocabulo exprimitur & frequentatur, exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur,*

*ſcitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Quòd autem Confeſſio Deo facta ſit eadem, quæ fit Sacerdotibus vices Dei gerentibus, aperit cap. ſequenti, ubi ſic habet: *Pleroſque tamen hoc opus ut publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo pudoris magis memores, quàm ſalutis, velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.* Nihil clarius pro neceſſaria peccatorum etiam occultorum confeſſione.

## EX III. SÆCULO.

1. Origenes hom. 2. in Pſal. 17. *Oportet*, inquit, *peccatum non celare intrinſecùs: fortaſſe enim ſicut ii, qui habent intus incluſam eſcam indigeſtam, aut humoris, aut phlegmatis ſtomacho graviter & moléſtè imminentia, ſi vomuerint, relevantur; ii ita qui peccaverunt, ſiquidem occultant & retinent intra ſe peccatum, intrinſecus urgentur, & propemodum ſuffocantur à phlegmate & humore peccati: ſi autem ſui accuſator fiat, dum accuſat ſemetipſum, & confitetur, ſimul evomit & delictum, atque omnem morbi digerit cauſam. Tantummodò circumſpice diligentiùs cui debeas peccatum confitèri, proba priùs Medicum, cui debeas cauſam languoris exponere . . . ita ut demum ſi intellexerit, crediderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari*, &c. Et hòm. 2. in Leviticum: *Si peccaverimus, debemus dicere*: peccatum meum notum tibi feci, & iniquitatem meam non abſcondi; *Si enim hoc fecerimus, & revelaverimus peccata noſtra non ſolum Deo, ſed etiam his, qui poſſunt mederi peccatis delebuntur peccata noſtra.*

2. S.

2. S. Cyprianus circa medium hoc ſæculum ſermone de lapſis, eos, qui nefandis ſacrificiis contaminati fuerant, ad ſolemnem pœnitentiam urget illorum exemplo, *Qui quamvis nullo ſacrificii aut libelli facinore conſtricti, quoniam tamen hoc cogitaverunt, hoc ipſum apud Sacerdotes Dei dolenter & ſuppliciter confitentes exomologeſim conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medicinam parvis licèt & modicis vulneribus exquirunt.* En uſum Confeſſionis peccatorum occultorum: ejus autem neceſſitatem S. Martyr probat verbis ſequentibus; *Scientes*, inquit, *ſcriptum eſſe*, Deus non deridetur. *Plus imò delinquit, qui ſecundùm hominem Deum cogitans evadere ſe pœnam credit, ſi non palàm crimen admiſit.*

3. Ætate S. Cypriani eruperunt Novatiani, qui Montaniſtarum inſtar peccata duplicis generis diſtinguebant, quorum alia per Eccleſiam remitti poſſent: alia non ita, nempe graviora, ut idololatria, homicidium & mœchia; ea tamen omnia Præpoſitis Eccleſiæ exponenda præcipiebant, ut pro cujusque delicti gravitate pœnas decernerent. Sed prætereundum non eſt quod ſcribunt Socrates lib. 5. cap. 19. & Sozomenus lib. 7. cap. 16. occaſione Novatianorum adversùs Eccleſiam inſurgentium, inſtitutum Presbyterum Pœnitentiarium, cui omnes peccata ſua etiam occulta confiteri tenerentur, ut ab eo acciperent ſatisfactionis modum, & diſcerent quænam publicè, quæ verò occultè eſſent expianda.

## EX IV. SÆCULO.

1. Sanctus Baſilius in regulis brevioribus interrogatione 228. *Neceſſariò*, inquit, *peccata aperiri debent*,

*debent, quibus credita est dispensatio mysteriorum Dei.*

2. Sanctus Gregorius Nyssenus frater Sancti Basilii Epistola canonica ad Leotium, non tantum publicos, sed etiam occultos fures Sacerdotum judicio subjicit, nec aliter curari eos posse significat. *Qui enim clam alienum usurpat*, inquit can. 6. *si per confessionem peccatum Sacerdoti aperuerit, vitii studio in contrarium mutato, ægritudinem animi mutabit.* Nec obstat quòd Sanctus Doctor ibidem testetur avaritiæ crimina esse à Patribus prætermissa; vult enim dumtaxat pro ejusmodi criminibus pœnas non fuisse à Canonibus præfixas & determinatas; sed, ut ait, *id esse Præsulibus relinquendum, qui id publico doctrinæ sermone suis in Ecclesiis definiant.* Et sermone adversùs eos, qui alios acerbiùs judicant, sic loquitur: *Afflictionis socium sume Sacerdotem ut patrem. Quamobrem tibi in eo major fiducia sit, qui te in Deo genuit, quàm in iis, à quibus corpore procreatus es; audacter ostende illi quæ sunt recondita, animi arcana tanquam occulta vulnera Medico detege.* Ne quis autem putet hoc esse consilium, non præceptum, sic pergit: *Incertus est terminus vitæ, discessum à vita diligentia prævertamus. Absurdum est enim cùm illi, qui corporis valetudinis rationem habent, seipsos expurgent ante Caniculæ exortum, ne quod humoris in illis est, vehementi ipsius ardori corrumpatur; eos qui animæ curam gerunt, incertam mortis diem non antevertere.*

3. S. Pacianus in Orat. paræn. ad pœnitentiam: *Rogo vos, fratres*, inquit, *etiam pro periculo meo per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam, prudentes ægri Medicos non verentur, ne in occultis quidem corporum partibus*

*bus feraturos . . . & peccator erubeſcet perpetuam vitam præteriti pudoris mercari? An ſic illi melius eſt perire?*

4. Paulinus Diaconus in vita Sancti Ambroſii ad Sanctum Auguſtinum num. 39. *Quotieſcunque*, inquit, *aliquis ex illis lapſus ſuos confeſſus erat, ita flebat, ut vel illum flere compelleret. Videbatur enim ſibi cum jacente jacere: cauſas autem criminum, quas illi confitebantur, nulli niſi Domino ſoli, apud quem interdicebat, loquebatur.* Quòd autem Paulinus crederet peccatori neceſſariam eſſe ejuſmodi Confeſſionem, aperit his verbis: *Ipſe ſui accuſator eſt, nec expectat accuſatorem, ſed prævenit; ut confitendo ſuum allevet ipſe delictum, nec habeat quod adverſarius criminetur, dans honorem Deo, cui nuda ſunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris, quàm mortem.*

5. Sozomenus lib. 7. Hiſtoriæ c. 16. ſic habet: *Cùm in nullo penitus peccare divinioris naturæ ſit, & humana perfectioris . . . . cùmque in petenda venia peccatum neceſſariò confiteri oporteat; grave & moleſtum ab initio jure & merito viſum eſt Sacerdotibus tanquam in theatro, circumſtante totius Eccleſiæ multitudine crimina ſua evulgare. Itaque ex Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate ſpectatiſſimus, & taciturnitate & prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii qui deliquerant, actus ſuos confitebantur: ille verò pro cujuſque delicto quid aut facere ſingulos, aut luere oportet pœnæ loco indicens, abſolvebat confitentes à ſe ipſis pœnas criminum exacturos. Verùm Novatianis quidem, qui nullam rationem habent pœnitentiæ, nihil hac re opus fuit, apud reliquas autem ſectas hic mos etiamnum perſeverat, & in Occidentalibus Eccleſiis, ac præcipuè in Eccleſia Romana ſtudioſè obſervatur.* Similia refert Socrates Sozomeni coævus lib. 5. cap. 19.

Cal-

Calvinus l. 3. Institutionum cap. 4. fatetur usum Confessionis esse quidem in Ecclesia perantiquum, sed ex laudatis Historicis colligit eam non esse juris divini; sic enim pergit Sozomenus: *In Constantinopolitana Ecclesia certus Presbyter constitutus erat, qui pœnitentibus præesset, donec matrona quædam nobilis ob peccata quæ confessa erat, jussa à Presbytero jejunare, ac Deum suppliciter exorare: dum hujus rei causa in Ecclesia moraretur, à Diacono se stupratam esse prodidit, quo prodito, plebs omnis vehementer succensuit. Nectarius verò* (Constantinopolitanus Episcopus) *eum qui stuprum admiserat, Diaconatus extulit; cùmque nonnulli consilium ei dedissent, ut unicuique prout sibi conscius esset, ac fiduciam sibi haberet ad sacrorum Mysteriorum communionem accedendi potestatem faceret, Presbyterum, qui agendæ pœnitentiæ præpositus erat, abolevit, atque ex eo tempore id firmum ac stabile permansit, vetustate eique adjuncta gravitate & severitate jam tum, ut opinor in laxam ac dissolutam vivendi rationem paulatim delapsa. Nam antea, ut quidem existimo, minora erant peccata, tum ob verecundiam eorum, qui sua ipsi delicta enuntiabant, tum ob severitatem Judicum, qui ad id erant constituti;* omnes enim ferè Episcopos Nectarii exemplum fuisse secutos scribit idem Historicus. Unde Calvinus citato loco adversus Theologos non confitenter modò, sed etiam contumeliosè insurgens, ait: *Hic hic aures asini isti arrigant.*

Sed Dallæus Magistro suo æquior in hac parte ab ipso discedit, negatque lib. 4. c. 24. & 32. Nectarium Confessionem auricularem sustulisse, quam ab Innocentio III. in Concilio Lateranensi octingentos post annos fingit inductam ac præscriptam. Quin multis probat nequidem pœni-

tentiam publicam tum fuiſſe abolitam, cum poſt Nectarium Conſtantinopoli & ubique obtinuerit.

Quid ergo Nectarius ſuſtulit? Presbyterum pœnitentiarium tertio dumtaxat ſæculo inſtitutum; ſic enim ſcribit Socrates: *Eudæmon Eccleſiæ Presbyter Epiſcopo Nectario ſuaſit; ut pœnitentiarium quidem Presbyterum expungeret.* Et Sdzomenus: *Nectarius*, inquit, *Conſtantinopolitanus Epiſcopus Presbyterum illum qui præpoſitus erat pœnitentibus, primus ex Eccleſia ſuſtulit.* Nectarius igitur diſciplinam Eccleſiæ in agenda pœnitentia ad eundem ordinem revocavit, quo ante Novatianorum ſchiſma adminiſtrabatur, permiſitque ut unuſquiſque ſicut prius pro arbitrio, & pro animi ſui conſcientia, ut loquitur Socrates; ad Sacramentorum communionem accederet, hoc eſt, ſeipſum probaret; & ſi çonſcium ſe alicujus criminis agnoſceret, quem mallet, Sacerdotem adiret, quemadmodum primis ſæculis uſque ad Novatiani ætatem factitatum fuerat, & nunc etiam obſervatur.

Merito autem conqueruntur Socrates & Sozomenus hocce Nectarii conſilio labefactatam fuiſſe Eccleſiæ diſciplinam; namque Pœnitentiarius ille non ea tantum peccata pœnitentiæ publicæ obnoxia, (pro iis quippe inſtitutus erat, quemadmodum nunc in Eccleſiis Cathedralibus Pœnitentiarius pro peccatis reſervatis) quæ ſibi ultro deferebantur à pœnitentibus excipiebat, ſed audiebat delationes, adverſus obſtinatos admovebat teſtes, urgebat deſides, invigilabatque, ne indigni ad ſacra Myſteria obreperent; ex peccatis quædam atrociora & publica ſecernebat, quæ palam ac publicè in ſolemni Eccleſiæ conventu ab ipſo pœnitente evulgari imperabat. Quis verò

verò non intelligat amoto illo Pœnitentiarii Tribunali, elanguiſſe diſciplinam, ac præſertim uſum pœnitentiæ publicæ, cùm deinceps ei fortè non fuerint ſubjecti, niſi qui aut eam ſponte expeterent, aut inſigne aliud crimen cum aliorum offenſione admiſiſſent.

6. S. Chryſoſtomus Nectarii in Sede Conſtantinopolitana ſucceſſor, cujus auctoritate potiſſimùm gloriantur Novatores, pluribus in locis confirmat Nectarium non abrogaſſe confeſſionem ſecretam ſimul cum Presbytero Pœnitentiario; ſic enim ſcribit lib. 2. de Sacerdotio cap. 3. *Nihil eorum relinquendum eſt, quod probè non excutiat, atque examinet Epiſcopus, quin omnia ſtudiosè perſcrutatum, tum demum oportet illum ſua remedia congruè accommodatèque afferre:* quod autem ejuſmodi examen coram Sacerdote neceſſarium ſit neceſſite medii & præcepti divini aperit lib. 2. *Inſania manifeſta eſt*, inquit, *deſpicere tantum principatum, ſine quo nec ſalutis, nec promiſſorum bonorum compotes eſſe poſſumus.* Homil. de Muliere Samaritana tom. 6. *Imitetur*, inquit, *hanc mulierem Samaritanam, & ob propria peccata non erubeſcamus, ſed Deum timeamus... qui enim homini detegere peccata erubeſcit, Deo verò cernente facere non erubeſcit, neque confiteri vult, neque pœnitentiam agere; in die illa non uno aut duobus, ſed univerſo orbe ſpectante traducetur.* Et hom. 9. in epiſtola ad Hebræos ſic loquitur: *Cujuſmodi ergo eſt medicamentum pœnitentiæ, & quomodo conficitur? primò ex peccatorum ſuorum condemnatione & declaratione.* Declarationem autem illam debere fieri coram Sacerdote indicat, cum addit quod oporteat ſe in Sacerdotes ut convenit gerere. Et ne fortè generalem quandam confeſſionem tantùm poſtulare videatur,

deatur, diſtrictè, ac ſigillatim peccata eſſe exponenda præſcribit : *Sin autem dicit, ſum peccator*, inquit, *ea autem per ſpecies non cogitat ac ſupputat, & non dicit, hoc & illud peccatum admiſit, nunquam ceſſabit, ſemper quidem confitens, nullam autem curam gerens correptionis.* Denique hom. 30. in Geneſim, quam habuit in majori Hebdomada, *In magnam hanc Hebdomadam pervenimus Dei gratia*, inquit, *nunc maximè & jejunii curſus intendendus, & magis continuandæ ſunt preces, faciendaque diligens & pura peccatorum Confeſſio.* Nihil omnino deſideratur in hiſce Sancti Chryſoſtomi teſtimoniis pro Confeſſione Sacramentali : teſtatur enim peccatorum confeſſionem, 1. faciendam eſſe Deo, & Sacerdoti. 2. eam debere eſſe ſingulorum peccatorum. 3. eſſe ad ſalutem neceſſariam.

Objicit tamen Dallæus, 1. homiliam 21. ad populum Antiochenum, in qua Sanctus Chryſoſtomus ſic habet : *Nec cogit* (Deus) *in medium procedentes, quæ peccavimus enumerare, ſed ſibi ſoli rationem reddere jubet : & ſibi confiteri.* Ad quem locum ſic exclamat Dallæus : *Nihil diſertius adversùs neceſſariam iſtorum confeſſionem dici potuit.*

Diſtinguo, non cogit accedentes ad Baptiſmum, Concedo : accedentes ad Sacramentum pœnitentiæ, Nego. Quòd autem S. Doctor Catechumenos alloquatur, patet, tum ex ipſo tit. qui huic homiliæ ſic præfixus eſt *Catecheſis ad illuminandos :* tum ex contextu ſermonis : *priùs dixi, inquit, & nunc dico, & dicere non deſinam, ſi quis morum vitia non correxit . . . . . ut baptizetur.* Unde vides quàm mala fide locus ille doctrinæ Catholicæ opponatur.

Objicit 2: S. Chryſoſtomus hom. 5. de incom-

pre-

prehenſibili Dei natura, negat neceſſum eſſe peccata poſt Baptiſmum commiſſa, Sacerdoti confiteri; ſic enim habet: *Non enim in theatrum conſervorum tuorum duco, non hominibus peccata tua confiteri cogo, expende coram Deo conſcientiam tuam, ipſi oſtende vulnera, & pete à Deo medicamentum; oſtende ei qui non exprobret, ſed humaniſſimè curet; licèt enim taceas, cuncta optimè ille novit: dic, ut fructum capias: dic, ut depoſitis hic maculis tuis, abeas illuc mundus, & ſine ulla dedecore, & intolerabili promulgatione illa delictorum tuorum libereris.* Et hom. 4. de Lazaro: *Cur igitur te quæſo, pudeſcis, & erubeſcis dicere peccata tua; non enim homini dicis; ut te probro âfficiat. Num enim conſervo confiteris, ut in publicum proferat? .... non inquam, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes: mihi ſoli dic peccatum privatum, ut ſanem ulcus, teque dolore liberem.* Ergo neceſſum non eſt confiteri peccata Sacerdoti.

Diſtinguo conſequens, Sacerdoti confiteri publicè, Concedo: privatim, Nego conſeq. patet enim, tum ex dictis, tum ex dicendis, ejuſmodi Confeſſionem ſecretam, dici à Patribus fieri Deo, & non homini. Suadent autem Sanctum Chryſoſtomum ea mente fuiſſe locutum, 1. ejus teſtimonia in confirmationem doctrinæ Catholicæ à nobis laudata: alioquin ſibi ipſi contradiceret; 2. ipſe contextus verborum, quæ hic nobis opponuntur: *Non theatrum conſervorum tuorum duco: non hominibus peccata tua confiteri cogo; non enim homini dicis, ut te probro afficiat, ut in publicum proferat; non inquam, cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes.*

Inſtat Dallæus. Atqui Sanctus Chryſoſtomus negat pluribus in locis, neceſſum eſſe privatim

confiteri Sacerdotibus, ferm. 58. Tom. 5. *Neque necessarium est*, inquit, *testibus præsentibus confiteri, apud conscientiæ rationem fiat inquisitio delictorum, sine testibus fit judicium, Deus qui peccatum non exprobrat, sed confessione delet.* Hom. 9. de Pœnitentia, *Deo soli dic peccatum tuum, & dimittitur.* In Pfalm. 50. *Peccata tua ipse commemora, ut deleas. At pudet te peccata tua confiteri? dic ea quotidie in oratione. Num enim dico ut ea conservo exponas, qui te probris impetat? Dic Deo, qui iis medetur.* Et infra. *Dic cordi tuo, atque animæ tuæ, exegimus hodiernam diem, o anima, quid boni fecimus, aut quid mali admisimus, ac gehennæ recordare, ut metu affectus bonum augeas, malum autem de medio tollas. Si in lecto sis, atque tibi peccata tua in memoriam venerint, collacryma, atque hac ratione in lecto delere potes. Deum tuum roga atque obsecra, sicque corpus somno trade posteaquam prius confessus peccata fueris.* Hom. 68. tom. 5. *Dic Deo peccavi. Quis hic labor est, quis circuitus, quæ fatigatio, quæ angustia verbum hoc proferre: peccavi? .... nihil aliud abs te, nisi solum istud exigo.* Similia habet hom. 31. in epist. ad Heb. & alibi passim.

Distinguo subsumptum, negat necessum esse privatim Sacerdotibus confiteri ad peccata delenda, Concedo: ad præcepta Dei implenda, Nego subsumptum. Enimverò, an quia Pastor docet in Ecclesia Deum ita esse benignum, ut veniam statim concedat iis omnibus qui peccata sua corde perfectè contrito agnoverit; continuò eos absolvit ab omnibus præceptis, puta colendi parentes, eleemosynam pauperibus erogandi, peccata confitendi, &c.? Totus igitur est S. Chrysostomus ad extollendam Dei benignitatem, & pœnitentiæ efficaciam; nec attingit locis citatis

quæ

quæ pœnitens obtenta venia præſtare debeat, ac præſertim quomodo pœnitentiæ publicæ leges, quæ ſuo tempore vigebat, teſte Dallæo, ſervare debeat. Adde Sanctum Doctorem hortari ad examen conſcientiæ nullo die prætermittendum, velleque ut auditores nunquam in lectulo quieſcant, niſi præmiſſa humili confeſſione, quæ delicta abſtergat, cum propoſito tamen confitendi, ſi quis fortè in aliquod grave lapſus fuerit, & alia Dei & Eccleſiæ præcepta ſervandi.

Urget Dallæus, S. Chryſoſtomus homil. 8. de pœnitentia tom. 1. expendens illud Apoſtoli, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat*, ſcribit probationem non oportere fieri coram Sacerdote; quemadmodum docet Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 7. ſic enim loquitur Sanctus Doctor: *Non revelavit ulcus, non in commune theatrum accuſationem produxit, non delictorum teſtes ſtatuit, intus in conſcientia aſtante nemine præter eum, qui cuncta videt, inſtitue judicium, & peccatorum examen atque inquiſitionem.* Et hom. 28. in primam ad Corinth. *Propterea*, inquit, *dicit Apoſtolus, probet ſeipſum unuſquiſque, & tunc accedat: neque juſſit alterum alteri probare, ſed ſibi ſeipſum faciens judicium, ad quod populo non pateat aditus, & probationem quæ careat teſtibus.* Ita Sanctus Chryſoſtomus. Concilium verò Tridentinum cit. cap. 7. ſic definit: *Communicare volenti revocandum eſt in memoriam ejus* (Apoſtoli) *præceptum, probet ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem neceſſariam eſſe, ut nullus ſibi conſcius mortalis peccati, quantumvis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali Confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.*

Ergo Sanctus Chryſoſtomus adverſatur Con-

cilio Tridentino, negatque necessitate Confessionis auricularis.

R. 1. Ex isto argumento non sequi Sanctum Chrysostomum absolutè negasse necessitatem Confessionis Sacramentalis, sed ad summum existimasse Confessionem non esse necessariò præmittendam Eucharistiæ perceptioni: cùm enim alia sit quæstio; utrùm extet divinum præceptum confitendi peccata Sacerdoti? alia quandonam urgeat illud præceptum? potest quis admisso divino Confessionis præcepto, negare ad illud teneri Fideles quibusdam in circumstantiis. Hæc autem posterior quæstio non pertinet ad controversiam, in qua versamur, sed alibi expendenda est, nimirum ubi de dispositionibus præviis ad Eucharistiam.

R. 2. Negando conseq. nempe Sanctum Chrysostomum dissentire à Concilio Tridentino, neque enim aliud vult, quàm quod scribit Sozomenus loco supra citato, nempe post exauctoratum à Nectario Presbyterum Pœnitentiarium factam cuique potestatem, *Prout sibi conscius esset, ac fiduciam sui haberet, ad sacrorum Mysteriorum communionem accedendi.* Ex quo non sequitur, ut supra demonstravimus, abrogatum usum Confessionis, nisi publicæ. Atque ut ampliùs pateat Sancti Chrysostomi cum Patribus Tridentinis consensus

Advertes in probatione, quam Apostolus exigit à communicaturis, duo esse distinguenda, Primum est conscientiæ examen & judicium, quod Fidelis de seipso ferre debet. Alterum est contritio & pœnitentia, ubi quis se peccati conscium agnoscit. Peccatum autem illud vel est veniale, vel lethale. Primum, & secundum quoad peccata

peccata venialia & quotidiana, ita coram Deo peraguntur, ut alius teſtis non requiratur. Sed ſi quis in perſcrutanda ſua conſcientia, ſe gravioris delicti reum deprehenderit, ſatisfactionis ſuæ modum à Sacerdotibus accipiat neceſſe eſt. Rem totam claré & dilucidè explicat S. Auguſtinus ſerm. 351. aliàs 50. ex libro 50. hom. num. 7. *Tertia actio eſt pœnitentiæ*, inquit, *quæ pro illis peccatis ſubeunda eſt, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apoſtolus ait*, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt. *In hac ergo pœnitentia majorem quiſque in ſe ſeveritatem debet exercere, ut à ſeipſo judicatus, non judicetur à Domino, ſicut idem Apoſtolus ait ;* ſi enim nos judicaremus, à Domino non judicaremur. *Aſcendat itaque homo adverſum ſe tribunal mentis ſuæ, conſtituat ſe ante faciem ſuam, ne hoc ei poſtea fiat; nam minatur hoc Deus peccatori, dicens:* arguam te, & ſtatuam te ante faciem tuam. *Atque ita conſtituto in corde judicio, adſit accuſatrix cogitatio, teſtis conſcientia, carnifex timor. Inde quidam ſanguis animi confitentis per lacrymas profluat.* Probatio illa ac judicium, & animi contritio nullum habent teſtem præter Deum. Sed de pœnitente, qui gravioris delicti conſcientiam gerit, pergit ſanctus Doctor, *Poſtremùm ab ipſa mente talis ſententia proferatur, ut ſe indignum homo judicet participatione Corporis & Sanguinis Domini, ut, qui ſeparari à regno cœlorum timet per ultimam ſententiam Summi Judicis, per Eccleſiaſticam diſciplinam à Sacramento cœleſtis Panis interim ſeparetur.* Et num. 9. *Cùm ipſe in ſe protulerit ſeveriſſimæ medicinæ, ſed tamen medicinæ ſententiam, veniat ad Antiſtites, per quos illi in Eccleſia claves miniſtrantur, & tanquam bonus jam incipiens eſſe filius, maternorum membrorum ordine cuſtodito, à*

*Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, ut in offerendo sacrificio cordis contribulati, devotus & supplex id tamen agat, quod non solùm ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solùm in gravi ejus malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset, non resistat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem.* Porrò probationis, quam Sanctus Augustinus hìc integrè exponit, Patres Tridentini postremam dumtaxat partem attingunt. Sanctus vero Chrysostomus priorem; & ita omnes Patres facilè conciliantur.

## EX V. SÆCULO.

1. Sanctus Hieronymus in cap. 7. Ecclesiast. *Si quem serpens diabolus occultè momorderit, & nullo conscio tum peccati veneno infecerit: si tacuerit qui percussus est, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus suum fratri & magistro voluerit confiteri, magister qui linguam habet ad curandum, facilè ei prodesse non poterit. Si enim erubescat ægrotus vulnus Medico confiteri, quod ignorat medicina non curat.* Et in caput 16. Matthæi, *Alligat*, inquit, *vel solvit Episcopus & Presbyter non eos, qui insontes sunt vel noxii, sed pro officio suo cùm peccatorum audierit varietates, scit quis ligandus sit, vel solvendus.*

1. Sanctus Augustinus serm. 35. aliàs hom. 27. ex libro 50. *Elevatus est Lazarus*, inquit, *processit de tumulo [illegible] ligatus erat, sicut sunt homines in confessior[illegible]gentes pœnitentiam; jam processerunt à morte;*

*morte; nam non confiterentur, nisi procederent. Ipsum confiteri, ab occulto & tenebroso procedere est. Sed quid Dominus Ecclesiæ suæ?* Quæ solveritis in terra, soluta erunt in cœlo. Similia habet concione secunda in Psalm. 101. nec minùs clara sunt quæ supra ex sermone 351. ejusdem Sancti Doctoris protulimus. Cùm autem hoc sæculo senes obierint Sanctus Hieronymus & Sanctus Augustinus ille anno 420. iste 430. testes sunt disciplinæ, quæ in Ecclesia servabatur quarto & quinto sæculo.

3. Innocentius I. epistola ad Decentium, scripta anno 416. *De pondere æstimando delictorum*, inquit, *Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, at tunc jubere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.*

4. Sanctus Leo epist. 82. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, inquit, *hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri confessione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.* Et epistola 80. capite 3. reprehendit quorundam Sacerdotum præsumptionem, qua pœnitentes peccata sua publicè confiteri imperabant; *Cùm*, inquit, *reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicari confessione secreta.*

5. Julianus Pomerus libro 2. de Vita contemplativa. *Illi*, inquit, *quorum peccata notitiam humanam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri aut emendare noluerint, Deum, quem habent testem, habituri sunt & ultorem. Et quid eis proderit humanum vitare judicium, cum si in malo suo permanserint, ituri sunt in æternum, Deo retribuente,*

*supplicium?* Nec cavilletur Dallæus propter particulam disjunctivam, *aut emendare*; quasi emendatio sine confessione sufficiat: tum quia sequeretur etiam confessionem sine emendatione sufficere: tum quia particula, *aut*, conjunctivè, hic sumitur propter eos, qui peccata sua accuratè confitentur, sed non emendant.

6. Ex Græcis jam laudavimus Socratem & Sozomenum, quibus adjungendus est Theodoretus, qui lib. 4. hæreticarum fabularum cap. 10. Audianos arguit, quòd vera scelera celarent, & parva quædam risu digna dicerent, quod supponit morem cònfitendi peccata.

## EX VI. SÆCULO.

1. S. Joannes Climacus Scalæ quartò gradu inter plura, quæ de Confessione disserit, hæc habet, *sine qua nullus remissione peccatorum potietur*; docetque peccata simpliciter esse Medico spiritali aperienda, uti animæ vulnera, idque tanquam ipsi Deo, Sacerdotisque pedes lacrymis rigandos, quemadmodum Christi pedes suis lacrymis rigavit mulier peccatrix.

2. Fulgentius, sive sit ille Ruspensis Episcopus, insignis Augustini Discipulus, sive Astigitanus in Hispania Præsul, Sancti Isidori frater, formulam Confessionis generalis edidit, quam refert Menardus ad Sacramentarium Sancti Gregorii: in ea autem formula pœnitens ait: *Confiteor tibi, Pater, Domine cœli & terræ*; & tamen Confessio fieri dicitur coram Sacerdote, pergitque pœnitens, *Multa*, inquit, *mala cogitavi .... ego corpus Domini indignus accepi*, &c.

3. Joan-

3. Joannes Jejunator Patriarcha Conſtantinopolitanus, pœnitentialem librum ſcripſit ad uſum Eccleſiæ Orientalis. Qui peccata ſua confeſſurus eſt, ſic orditur : *Confiteor tibi, Pater, Domine, cœli & terræ factor, omnia occulta cordis mei.* Tum Sacerdos eum interrogat ſuper ſingulis, quæ admittere potuit, peccatorum generibus. Hunc autem libellum refert Morinus in Appendice operis de Pœnitentia.

## EX VII. SÆCULO.

1. Sanctus Gregorius hom. 26. in c. 20. Joan. expendens illa Chriſti verba, *Lazare, veni foras*, ſic loquitur, *mortuus venit foras, cùm peccator nequitias ſuas ſponte confitetur. Lazaro ergo dicitur ;* veni foras, *ac ſi apertè cuilibet mortuo in culpa diceretur, cur reatum tuum intra conſcientiam abſcondis? foras jam per Confeſſionem egredere, qui apud te interiùs per negationem lates*, (non lateret autem, niſi peccata ejus eſſent occulta.) *Veniat itaque foras mortuus, id eſt, culpam confiteatur peccator ; venientem verò foras ſolvant Diſcipuli, ut Paſtores Eccleſiæ ei pœnam debeant amovere, quam meruit qui non erubuit confiteri quod fecit.* Et hom. 40. *Quid eſt*, inquit, *peccatorum confeſſio, niſi quædam vulnerum ruptio ; quia peccati virus ſalubriter aperitur, in confeſſione, quod peſtiferè latebat in mente? Confitendo peccata quid aliud agimus, niſi malum, quod in nobis latebat, aperimus? Doctores ſancti, dum in Confeſſione peccati noſtri nos inſtruunt, quaſi vulnus mentis per linguam tangunt ; & quia nos loquendo à peccatis eripiunt, quaſi tangendo vulnera, ad ſalutem reducunt.*

2. S. Eligius (quem S. Audoenus ipſi coævus, ſcribit in ejus vita omnia peccata ab adoleſcentia ſua coram Sacerdote fuiſſe confeſſum) homi-

lia

lia 4. ſic loquitur : *Cum tanta eſt plaga peccati, atque impetus morbi ; ut medicamenta Corporis & Sanguinis Domini differenda ſint, auctoritate Antiſtitis debet ſe quiſque ab altari removere ad agendam pœnitentiam, & eadem auctoritate reconciliari; lectum enim modò eſt;* Qui manducat & bibit indignè, judicium ſibi manducat & bibit ; *hoc eſt enim indignè illud accipere, qui accipit eo tempore, quo debet pœnitentiam agere.* Tum enumeratis peccatis, quæ à regno Dei excludunt, ſic pergit : *Qui ergo ex vobis talibus, & his ſimilibus involuti ſceleribus fuerint, & per confeſſionem ac pœnitentiam nequaquam condignam ſatisfactionem egerint, non ſe à nobis reconciliari poſſe exiſtiment.* Et hom. 11. *Confeſſio,* inquit, *pœnitentiam monſtrat, pœnitentia ſatisfactionem oſtentat, ſatisfactio veniam ſibi divina pietate conciliat; nec enim poterit indulgentia tribui, niſi ira Dei poſſit confeſſione placari.*

3. Synodus Quiniſexta ſeu Trullana, in qua ſederunt 200. Epiſcopi & ampliùs, inter quos numerantur omnes Patriarchæ Orientalis Eccleſiæ, an. 692. ſic decernit can. 102. *Oportet ..... eos, qui ſolvendi & ligandi poteſtatem à Deo accepere, peccati qualitatem conſiderare, & ejus qui peccavit ad converſionem promptum ſtudium & ſic morbo convenientem afferre medicinam .... non enim ſimplex eſt morbus peccati, ſed varius & multiformis.* En teſtimonium totius Eccleſiæ Orientalis pro neceſſitate confeſſionis ſingulorum peccatorum ; quo enim pacto Sacerdos conveniens remedium variis peccatorum morbis afferret, niſi ea cognoverit ; quis autem ea cognoſcat, niſi confeſſione?

Fateor equidem illud Concilium non eſſe univerſale, cùm ab Eccleſia Latina non fuerit receptum,

ptum, imò nonnullos ejus canones ab ea fuiſſe reprobatos, utpote qui contineant errores jam pridem extinctos. Nihilominus plura ſtatuit diſciplinæ Eccleſiaſticæ admodùm utilia, & à Veteribus tradita; quæ ſi non ab ipſa Synodo, ſaltem ab eorum auctoribus auctoritatem habent, ut communiter advertunt Theologi. Ideo autem vocatur 1. Quiniſexta, quaſi ſit quoddam ſupplementum Concilii quinti & ſexti, in quibus cum nulli eſſent conditi Canones, Epiſcopi illi plures edere præſumpſerunt, tanquam acceſſiones ad duo Concilia generalia. 2. Trullana; quia habita eſt in aula Palatii Conſtantinopolitani, quæ dicebatur Trullum.

## EX VIII. SÆCULO.

1. Egbertus Archiepiſcopus Eboracenſis in Anglia, in ſuo Libro pœnitentiali apud Morinum, in appendice 1. hortatur pœnitentem ad aperienda crimina, quorum ſe conſcium agnoſcit. *Quando volueris*, inquit, *confeſſionem facere tuorum peccatorum, viriliter age, & noli erubeſcere, quia ſine confeſſione non eſt indulgentia.* 2. Confeſſionis formulam exhibet his verbis: *Confiteor coram Deo omnipotente ..... & coram te Sacerdote, quia nimis peccavi in cogitationibus nefandiſſimis: confiteor odia cordis mei.... Corpus & Sanguinem Domini polluto corde & corpore ſine confeſſione & pœnitentia ſcienter indignè accepi.*

2. Venerabilis Beda in caput 5. Epiſtolæ Jacobi ſic ſcribit: *Neque enim ſine confeſſione emendationis peccata queunt dimitti; unde rectè ſubjungitur*, confitemini ergo alterutrum peccata veſtra. *In hac autem ſententia illa debet eſſe diſcretio, ut quotidiana leviaque*

*viaque peccata alterutrum coæqualibus confiteamur.* *Porrò gravioris lepræ immunditiam juxta legem Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter & quanto tempore jusserit, purificari curemus.*

Objicit Dallæus Bedam loqui dumtaxat de gravioribus quibusdam peccatis, quæ subdita erant pœnitentiæ publicæ; lib. enim in Luc. c. 17. expreſsè docet confitendam esse hæreticam pravitatem, superstitionem Gentilem, Judaicam perfidiam, & schisma fraternum *cætera verò vitia*, inquit, *tanquam valetudinis & quasi membrorum animæ, atque sensuum, per seipsum interius in conscientia Dominus sanat & corrigit.*

Respondeo Bedam eo loci loqui de peccatis extra Ecclesiam commissis, quæ palàm & publicè ejurare debet Hæreticus, Schismaticus, & qui superstitiones Paganorum vel Judæorum secutus est, si in gremium Ecclesiæ voluerit admitti: hoc autem non habere locum in cæteris peccatis, quæ secreta confessione expiari possunt. Sic Bedam olim ex professo interpretatus est Godefridus Vindocinensis, de quo posteà.

Confirmaturque hæc interpretatio ex lib. 5. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 14. in quo refert quemdam militem Christianum & Catholicum, ob dilatam ac neglectam confessionem, etiam dum gravi & periculoso morbo laboraret, ad infernos cruciatus raptum fuisse.

3. Alcuinus olim Caroli Magni Magister gravissimis verbis quendam insectatur, qui confessionis necessitatem enervare conabatur: *Dicitur*, inquit, *neminem ex Laicis suam velle confessionem Sacerdotibus dare, quos à Deo Christo cum sanctis Apostolis ligandi solvendique potestatem accepisse credimus.*

Quid

*Quid ſolvit Sacerdotalis poteſtas, ſi vincula non conſiderat ligati? Cur ipſe Chriſtus Leproſum, quem mundavit, ad Sacerdotes miſit? Cur Lazarum reſuſcitatum alios ſolvere juſſit? Spernet Apoſtolicum præceptum dicentis, confitemini alterutrum peccata veſtra, reus Judici, ægrotus Medico? Nunquid Deo abſcondi poſſunt ſcelera noſtra? Ab homine poſſumus abſcondere quæ agimus, at non Deo. Nonne in ſacro Baptiſmate Sacerdotibus Chriſti noſtræ fidei confeſſionem dare debemus? Cur etiam in ſecundo pœnitentiæ Baptiſmate per confeſſionem humilitatis noſtræ ab omnibus poſt Baptiſma peractis, eadem divina operante gratia, Sacerdotali ſimiliter auxilio non debemus abſolvi peccatis? Hæc cogitate, fratres, ſequimini veſtigia ſanctorum Patrum, & nolite in Catholicæ fidei religionem novas inducere ſectas.*

4. Godegrandus Epiſcopus Metenſis in ſua Regula præſcribit cap. 28. ordinem pœnitentiæ publicæ. Tum capite 30. de Pœnitentia privatim agenda, ſic ſtatuit: *Hæc eſt ratio pœnitentiæ & confeſſionis noſtræ, quæ coram Deo & Sacerdotibus ejus à nobis pariter agendæ ſunt, id eſt, in unoquoque anno tribus vicibus populus fidelis ſuam confeſſionem ſuo Sacerdoti faciat, & qui plus fecerit, melius facit. Monachi unoquoque Sabbato confeſſionem faciant cum bona voluntate Epiſcopo, aut Priori ſuo.*

5. Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis, labente ſæculo octavo, ſic habet cap. 31. Capitularis: *Quando quis ad confeſſionem venit, diligenter debet inquiri quomodo, aut qua occaſione peccatum perpetraverit, quod peregiſſe ſe confitetur, & juxta modum facti debet pœnitentia indicari. Debet ei perſuadere, ut & de perverſis cogitationibus faciat confeſſionem. Debet etiam injungi, ut de octo principalibus vitiis faciat ſuam confeſſionem, & nominatim debet ei Sacerdos unum-*

*quodque vitium dicere, & ſuam de eo confeſſionem accipere.*

## EX IX. & X. SÆCULO.

1. E Græcis Nicephorus Cartophylax in Epiſtola ad Theodoſium, cujus fragmentum extat in tomo primo Bibliothecæ Patrum, ſic ſcribit: *Olim omnes oportebat ad ipſos Pontifices accedere, ſuaque illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem, vel repudium ferre. Ignoro autem qui factum ſit, ut hæc minùs obſerventur, quamvis exiſtiment Pontifices negotii tædio defatigati id operis ad Monachos tranſmiſiſſe ad eos ſcilicet, qui verè probati ſunt, aliiſque valeant eſſe utiles.* Et infrà. *Porrò ſi quis* (ex Monachis) *expertus ſit & frugi, & cum hoc Sacerdotio fungatur, ad illum imprimis accedendum.*

Cùm autem nono ſæculo Eccleſia Orientalis, agente Photio, cœperit disjungi à Latina, procul dubio doctrinam, quam deinceps illibatam ſervavit, atque etiam nunc ſervat, non à Latinis, ſed ab antiquioribus Patribus accepiſſet credendum eſt. Atqui Eccleſia Orientalis ab initio Schiſmatis uſque ad noſtram ætatem uſum Confeſſionis Sacramentalis retinuit, ut conſtat. 1. Ex ejus libris pœnitentialibus. 2. Ex Cabaſila, qui licèt Schiſmaticus, in expoſitione tamen Liturgiæ cap. 19. agnoſcit neceſſitatem Confeſſionis Sacramentalis. Scripſit autem auctor ille decimo quarto mediante ſæculo. 3. Ex Jeremia Patriarcha Conſtantinopolitano, ad quem Lutherani Confeſſionem Auguſtanam tranſmiſerant; eam enim ſua cenſura perſtrinxit, quòd docerent neceſ-

neceſſum non eſſe omnia peccata per ſingulas ſpecies in Confeſſione enumerare. 4. Ex Conc Conſtantinopolitano, quod Parthenius Patriarcha convocavit anno 1642. ad reſcindenda quæ prædeceſſor ejus Cyrillus homo nequiſſimus, & à Calvinianis corruptus, contra fidem evulgaverat, ac imprimis contra *Confeſſionem & Pœnitentiam.* Refertur illud Concilium tomo ult. Conciliorum, quæ edidit Labbæus Societatis Jeſu. 5. Ex Concilio Bethlehemitico, celebrato anno 1672. in quo aſſeritur eadem Grœcorum fides. 6. Denique ex eo quòd Latinos inter & Græcos nulla unquam extiterit controverſia circa Confeſſionem Sacramentalem, neque in Concilio Lugdunenſi II. neque in Florentino, in quibus utraque Eccleſia congregata eſt. Legitur ſolummodo in actis Concilii Florentini, Latinos poſt celebratam Synodum, à Græcis quæſiviſſe cur eorum Sacerdotes peccata ſua non priùs ſacramentaliter confiterentur, quàm ad ſacra myſteria celebranda accederent? Ergo ſicut ad nonum ſæculum, ita à nono ſæculo uſque ad noſtram ætatem, conſtans fuit traditio in Eccleſia Orientali, Confeſſionem Sacramentalem eſſe neceſſariam ad veniam peccatorum impetrandam. Veniamus jam ad Latinos, qui floruerunt nono & decimo ſæculo.

2. Itaque Concilium Cabillonenſe II. can. 32. ſic ſtatuit anno 813. *Sed & hoc emendatione indigere perſpicimus, quòd quidam, cùm confitentur peccata ſua Sacerdotibus, non plenè id faciunt. Quia ergo conſtat hominem ex duabus eſſe ſubſtantiis, anima videlicet & corpore, & interdùm animi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, ſolerti indagatione debent inquiri ipſa peccata, ut ex utriſque plena ſit con-*

*fessio; scilicet, ut ea confiteantur, quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitatione delinquitur. Instruendus est itaque peccatorum suorum confessor, ut de octo principalibus vitiis, sine quibus in vita hac difficile vivitur, confessionem faciat; quia aut cogitatione, aut, quod gravius est, opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidia, superbia, vel ceteræ hujusmodi animi pestes, tantò periculosiùs lædunt, quantò subtiliùs serpunt.*

Quamvis Concilium doctrinam Catholicam clariùs exponere non potuerit, Dallæus tamen ex can. 33. probare conatur confessionem in mente Patrum Cabillonensium, esse dumtaxat consilii, adeò ut liberum sit peccata sua confiteri; vel Deo soli, vel Sacerdoti; sic enim loquuntur cit. canones: *Quidam Deo solummodo confiteri debere dicunt peccata* (ad veniam obtinendam) *quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent: quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam Ecclesiam, ita dumtaxat, ut & Deo, qui remissor est peccatorum, confiteamur peccata nostra, & secundùm constitutionem Apostoli,* confiteamur alterutrum peccata nostra. *Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata: ea vero quæ Sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata. Deus namque salutis & sanitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque ministrorum operatione.*

R. 1. Si canon iste, obscurus quidem, in sensu Dallæi accipiendus sit, Concilium hìc destruit, quod firmiter ædificaverat canone 32. nimirum peccata omnia, etiam cogitatione admissa, Sacerdotibus esse exponenda, emendandosque qui contra factitant; quæ sanè verba non consilium, sed peccatum sonant. 2. Igitur Concilium, canone 32. stabilita necessitate Confessionis Sacramentalis

lis, attingit hìc quæstionem, quæ tunc temporis movebatur, quæque multùm postea inter Scholasticos agitata est, ut constat ex pag. 74. & 75. num, scilicet, sola contritione peccata deleantur, cum onere tamen ea clavibus Ecclesiæ subjiciendi: *Confessio itaque ......... quæ Sacerdoti fit*, inquiunt Patres, *docet qualiter ipsa purgentur peccata. Et secundùm constitutionem Apostoli*, confiteamur alterutrum peccata nostra. Licèt autem Patres non proscribant hancce opinionem, oppositam tamen amplectuntur sequentibus verbis: *Deus*, inquiunt, *salutis & sanitatis auctor & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque ministrorum operatione.* Primum præstat in perfectè contritis, secundum in attritis.

3. Regino Prumiensis Abbas in Germania, qui floruit nono & decimo sæculo, de Confessione Sacramentali, sic scribit libro 2. de Ecclesiastica disciplina capite 268. *Omnis homo quicunque se recògnoscit immaculatam Christi Tunicam, quam in Baptismo accepit, peccati macula polluisse, ad primum Sacerdotem venire festinet, & cum purificatione mentis omnes transgressiones, omniaque peccata quibus Dei offensam se incurrisse meminit, humiliter confiteatur, & quidquid ei à Sacerdote fuerit injunctum, ac se ab ipso omnipotentis Dei ore esset prolatum, ita diligenter intendat, & cautissimè observet.* Hìc Regino non privatam suam sententiam, sed communem Ecclesiæ disciplinam exponit.

4. Pro restituenda disciplina in Anglia, plures editi sunt canones sub Rege Eduardo, &, ut verisimile est, agente sancto Dunstano Cantuariensi Episcopo, extanque tomo nono Conciliorum ad annum 976. Titulo autem de Confessione canone 1. sic habet: *Quando aliquis voluerit confessionem*

*facere omnium ſcelerum ſuorum, viriliter agat, & non erubeſcat confiteri omnia ſua ſcelera; quia inde venit indulgentia; & quia ſine confeſſione nulla eſt venia.* Et canone 5. Pœnitens ſic confeſſionem inſtituere præcipitur: *Confiteor Deo omnipotenti, & Confeſſario meo ſpirituali Medico omnia peccata mea, quæ unquam perpetravi, ſive in facto, ſive in cogitatione.*

## EX XI. & XII. SÆCULO.

1. Burchardus lib. 19. de Pœnitentia, inter plures quos collegit canones pro neceſſitate Confeſſionis, laudat canones Reginonis, & Concilii II. Cabillonenſis, ſupra à nobis citatos. Idem præſtat Ivo Carnotenſis, Decreti integra part. 15. & ſerm. in capite jejunii ſic loquitur: *Effundite coram illo corda veſtra, id eſt omnem immunditam cordis veſtri per confeſſionem evomite: quia tali confeſſione cuncta levantur.*

2. Petrus Damiani ſerm. 2. de S. Andrea, de Confeſſione ex profeſſo diſſerens, ait: *Via eſt ſine qua nemo venit ad Patrem .... cùm igitur ex vitiorum abyſſo diſponis emergere, ad illum ſit refugium tuum, cui anima tua commiſſa eſt, nec te moveat ſi illiteratus ſit, memento quia non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Tum diſtinctis multis pœnitentiæ gradibus, ſic pergit: *Quartus itaque gradus eſt pœnitentia oris, hæc purè facienda eſt: quia non eſt pars peccatorum dicenda, & altera retinenda.*

3. Godefridus Abbas Vindocinenſis, auctor XI. & XII. ſæculi lib. 5. epiſtol. 16. fortiter inſurgit adversùs quendam Guillelmum, quo olim Præceptore uſus fuerat, ex eo quòd aſſeruiſſet juxta Bedam, quatuor tantùm crimina in confeſſione

eſſe

esse exponenda: *Omnes*, inquit, *qui in fide non ficta vivere cernimur, ut fidei nostræ veritas non destruatur. .... laborare debemus. Igitur de proposita nobis quæstione magna ex parte, imò secundùm tuam intelligentiam obviare fidei Catholicæ videtur. Proposuisti quòd quatuor tantùm peccata confessione indigebant, cætera autem à Domino sanabuntur sine confessione, quod te invenisse asseris in expositione Bedæ .... sed hoc ita intelligendum minimè censemus, & juxta fidem Christianam sic intelligere nec possumus, nec debemus. Determinanda enim est ista sententia sapienter, ut illa quatuor peccata* (de quibus Beda) *non jam soli Sacerdoti, sicut in cæteris agitur, sed universæ Ecclesiæ confiteamur; cætera verò vitia per semetipsum Dominus sanat & corrigit, videlicet, quæ sibi privata in confessione revelantur ut sanentur. Sibi dico; quia illi, qui in ejus loco esse dignoscitur. Certum est, nihil hoc certius, omnia peccata vel crimina confessione indigere & pœnitentia.*

4. Sanctus Bernardus serm. ad milites Templi cap. 12. *Quid*, inquit, *Bethphage dicam, ubi & confessionis Sacramentum, & Sacerdotalis ministerii mysterium continetur?* Et infra, *Et quidem verbum in corde peccatoris operatur salutiferam contritionem; verbum verò in ore noxiam tollit confusionem, ne impediat necessariam confessionem.* Tum de Sacerdotibus subjicit: *Non absolvant etiam compunctum, nisi viderint & confessum.*

5. Magister sentent. lib. 4. dist. 17. *Sicut*, inquit, *præcepta est nobis interior pœnitentia: ita & oris confessio, & exterior satisfactio, si adsit facultas. Unde nec verè pœnitens est, qui confessionis votum non habet.*

Ecclesiæ Traditionem pro Confessione Sacramentali tandem deduximus usque ad Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. celebratum

XIII. ſæculo, anno ſcilicet 1215. ut quivis miretur frontem, qua Novatores auſi ſunt aſſerere confeſſionem auricularem in illo Concilio primùm fuiſſe imperatam. Imò advertunt Patres Tridentini ſeſſ. 14. cap. 5. Concilium Lateranenſe non tam Confeſſionem præcepiſſe, quàm illius faciendæ tempus determinaſſe (ne deſides Catholici peccata ſua confiteri ulteriùs differant) famoſo enim Canone, *omnis utriusque ſexus*, ſic habet Concilium: *Omnis utriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua ſolus peccata confiteatur fideliter, ſaltem ſemel in anno, proprio Sacerdoti . . . . alioquin, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura.* In quæ verba ſic diſſerunt Patres Tridentini loco mox laudato. *Neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, ut Chriſti fideles confiterentur, quod jure divino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præceptum confeſſionis, ſaltem ſemel in anno ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur.*

Objicit Dallæus Gratianum, qui ſecunda Decreti parte, cauſa 33. quæſt. 3. diſt. 1. de pœnitentia, expendit an ſola confeſſione cordis crimen deleri poſſit. Cùm autem hac de re duæ tunc eſſent opiniones, plures Veterum auctoritates pro affirmante congerit, ſimiliter & pro negante: ac tandem ad calcem capitis 89. in hæc verba concludit; *Quibus auctoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque ſententia ſatisfactionis & confeſſionis innitatur, in medium breviter expoſuimus. Cui autem harum potiùs adhærendum ſit, Lectoris judicio reſervatur. Utraque enim fautores habet ſapientes & religioſos viros. Unde Theodorus Cantuarienſis Archiepiſcopus* (ſeptimo ſæculo) *ait in Pœnitentiali ſuo, quidam Deo ſolummodò confi-*

*confiteri debere peccata dicunt, ut Græci; quidam verò Sacerdotibus confitenda esse percensent, ut tota ferè sancta Ecclesia; Quod utrumque non sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam; ita dumtaxat, ut Deo, qui remissor est peccatorum, peccata nostra confiteamur. Sed tamen Apostoli institutio nobis sequenda est, ut confiteamur alterutrum peccata nostra.* Quæ posteriora verba, & alia quæ prætermitto, Gratianus deprompsit ex canone 33. Concilii Cabillonensis, & assuit Pœnitentiali Theodori. Ergo, inquit Dallæus, ante Concilium Lateranense IV. nullum extabat Confessionis præceptum.

Nego consequen. Ad antecedens verò alii aliter respondent.

Sanctus Thomas in quartum, sanctus Bonaventura, & sanctus Antoninus respondent, mirum non esse Scriptores illorum temporum in oppositas abiisse sententias circa confessionis præceptum, cùm nondum haberent expressam Ecclesiæ definitionem.

Alii dicunt Gratianum nullius esse auctoritatis; namque 1. sine delectu multa compilavit spuria ac supposititia. 2. Mentem SS. Patrum, & aliorum Scriptorum, quorum testimonia profert, minimè est assecutum, cùm eosdem aliquando laudet pro opinione affirmante & negante, sanctum Ambrosium v. gr. in sua Collectione profert pro necessitate & contra necessitatem confessionis. 3. Turpiter hallucinatur, dum scribit plures sapientes & religiosos viros sua ætate negare necessitatem Confessionis Sacramentalis; cùm omnes illius ævi Auctores, quorum scripta ad nos pervenere, ut Godefridus, Petrus Damiani, S. Bernardus, Petrus Cluniacensis, Hugo & Richar-

 dus

dus Victorini, Magister Sententiarum, &c. necessitatem Confessionis Sacramentalis constanter asseruerint.

Alii, quibus astipulamur, censent Gratianum exponendum quomodo supra exposuimus canonem 33. Concilii Cabillonensis, nempe Gratianum attingere dumtaxat quæstionem, an peccata deleri possint contritione, & sola cordis confessione, priusquam Sacerdotes ministerium suum exhibeant. Suadetur hæc responsio, ex eo quòd ejusmodi quæstio tunc temporis inter sapientes multùm agitaretur. Quin ipse Magister Sententiarum lib. 4. dist. 17. Gratiano æqualis eam in utramque partem versat, & non secus ac Gratianus Veterum testimonia colligit, tam pro affirmante sententia, quàm pro negante, ac tandem pro necessitate Confessionis Sacramentalis sic concludit: *Ex aliisque pluribus indubitanter ostenditur oportere Deo primùm, deinde Sacerdoti offerri confessionem, nec aliter posse perveniri ad ingressum Paradisi.* Tum explicat loca S. Chrysostomi & S. Ambrosii difficiliora, in quibus videntur negare necessitatem Confessionis Sacramentalis: *Non est ita intelligendum*, inquit, *ut liceat alicui, si tempus habeat, Sacerdoti non confiteri, sed quia sufficit ubi crimen occultum est, soli Deo per Sacerdotem dicere .... ita enim illud Ambrosii*, lacrymæ lavant delictum, quod voce pudor est confiteri, *ad publicam pœnitentiam referendum est.*

Quod verò spectat Librum Pœnitentialem Theodori Cantuariensis, Gratianus illum profert ita interpolatum & adulteratum, ut ex eo nihil colligi possit. Burchardus & Ivo Carnotensis Capitulare Theodori ante Gratianum sic exscrip-

ferunt,

ferunt, *quidam Deo solummodò confiteri debere dicunt peccata: quidam verò Sacerdotibus confitenda percensent.*

Beda etiam ejusdem Capitularis meminit, nullamque mentionem facit de Græcis, sicut nec Burchardus, aut Ivo Carnotensis. Enimverò Theodorus homo Græcus, à Vitalliano Summo Pontifice in Angliam missus septimo sæculo, non potuit ignorare disciplinam Ecclesiæ Orientalis, quam Synodus Trulliana ex omnibus Patriarchis Orientis, & 200. Episcopis conflata, eodem sæculo asseruit. A Sciolo itaque insertæ sunt in Capitulari illæ voces, *ut Græci. Tota ferè Ecclesia.* Qui autem dicebant Confessionem soli Deo esse faciendam, erant privati homines & exiguæ auctoritatis, contra quos scripserunt Alcuinus, Godefridus Vindocinensis, & Patres Cabillonenses can. 32. supra laudato.

Objicit 2. Dallæus, si confessio auricularis esset præcepti divini, in usu sanè fuisset primis Ecclesiæ sæculis, maximè apud viros sanctitate conspicuos: atqui nulla historia commendat Veteres, puta Ignatium, Justinum, Irenæum, Cyprianum; &c. quòd peccata sua Sacerdoti sedulò ac frequenter exponerent, quemadmodum legitur in vita sanctorum, qui posterioribus sæculis claruere, quorum alii qualibet hebdomada, alii singulis diebus, ut sanctus Carolus Borromæus, Sacramentum pœnitentiæ frequentasse referuntur: Ergo.

Concessa majore, respondeo ad minorem, 1. Ex argumento negativo nihil concludi potest; quis enim Catholicos in Anglia, Dania, & aliis regionibus, ubi Sacerdotibus, qui ibi sunt admodùm

dùm rari, liberum non est palàm & publicè obire munia Sacerdotalia, nunc sacramentaliter non confiteri concluderet, ex eo quòd ea de re nihil audiamus.

Atqui pejor erat Christianorum status sub Imperatoribus ethnicis; tunc enim Sacerdotes, qui pauci admodùm erant, latitare cogebantur, propter persecutionem, quæ in eos præsertim sæviebat. 2. Christiani illis temporibus Baptisma diu differebant, plures etiam usque ad mortem. Sanct. Ambrosius in Episcopum electus est, cùm esset adhuc Catechumenus. Sanctus Gregorius Nazianz. & Sanct. Augustinus baptizati sunt circa trigesimum ætatis annum. 3. Qui citiùs baptizabantur, haustum è sacro fonte gratiam acriori cura servabant; & si qui ex illis ab ea publicè excidissent pœnitentia publica, de qua est frequens mentio in Ecclesiastica Historia, purgabantur. 4. Confessio Sacramentalis primis temporibus potiùs habebatur necessitatis officium, quàm mera pietatis exercitatio. Quotidianam quidem pœnitentiam agebant viri sancti pro quotidianis peccatis, sed ut plurimùm sine Sacramentali Confessione, quæ tunc temporibus non ita erat frequens pro peccatis venialibus. 5. Non desunt in scriptis Veterum plura monimenta, quibus supra probavimus confessionem auricularem à primis sæculis fuisse in usu; Sanct. Ambrosius, teste Paulino in ejus vita, vacabat excipiendis secretò confessionibus, nec dubitandum est, quin alii Episcopi eodem munere defuncti sint pari diligentia.

§. IV.

## §. IV.

### *De Confessionis proprietatibus, sive conditionibus in genere.*

Q. 1. *Quæ sunt Confessionis conditiones?*

R. Sexdecim vulgò numerantnr à Pastoribus sedulò explicandæ, continenturque sequentibus versibus.

*Sit simplex, humilis confessio; pura, fidelis,*
*Necnon nuda, frequens, discreta, libens, verecunda,*
*Integra, secreta, & lacrymabilis, accelerata,*
*Fortis, & accusans, & sit parere parata.*

1. *Sit simplex*, id est, verbis non fucata, nec ad historicam narrationem, magis quàm ad peccatorum coram Judice accusationem accommodata.

2. *Humilis*, ex intimo propriæ indignitatis sensu, deposito omni fastu sæculari, oculis in terram demissis, flexis genibus, sicut reum decet, qui veniam deprecatur.

3. *Pura*, quæ nihil extraneum habeat admixtum, nullumque finem sibi proponat præter honestum, & pœnitenti consentaneum.

4. *Fidelis*, idest, vera & sincera, peccata nec augeat, nec minuat.

5. *Nuda*, non intricata, nec circuitu verborum implexa.

6. *Frequens*, ne scilicet ex infrequenti usu Sacramenti pœnitentiæ contrahatur habitus peccandi, cor induretur, ac finalis sequatur impœnitentia.

7. *Discreta*, idest, prudens & cauta, ne pœnitens

nitens aliorum peccata pandat ſine neceſſitate nec propria temerè, & abſque ſerio examine enuntiet.

8. *Libens*, ideſt, non extorta à Confeſſario, qualis in judicio ſæculari ſolet à reis extorqueri. Unde qui certa crimina non declarant, niſi induſtria Confeſſarii convicti, & quodammodo coacti, non cenſentur diſpoſiti ad Sacramentalem abſolutionem, cùm fictè acceſſerint, & animo reticendi quæ ex præcepto divino aperire tenebantur.

9. *Verecunda*, ideſt, cum quodam pudore conjuncta, nec impudenter & verbis obſcœnis turpia & obſcœna exprimat.

10. *Integra*, ideſt, quæ peccata ſpecie diverſa & numero diſtincta cum ſuis circumſtantiis aperiat.

11. *Secreta*, ideſt, in aurem Sacerdotis demiſſa voce facienda.

12. *Lacrimabilis*, ideſt, cum intimo animi dolore; confeſſio enim ex dictis debet eſſe contritionis effectus, & ſignum ejus ſenſibile.

12. *Accelarata*, ideſt, de die in diem non dilata, ut ab iis differri ſolet, qui ad Octavam Paſchatis Confeſſionem annuam remittunt.

14. *Fortis*, ideſt, non timidè, ſed generosè peccata detegat.

15. *Accuſans*, ideſt, quæ peccata non imminuat, nec excuſet, ſed ea qualia ſunt candidè aperiat.

16. *Parere parata*, ideſt, non contentioſa qualis eorum eſſe ſolet, qui Sacerdoti contradicunt, & adversùs illum diſputant; cùm ad hoc judicium reconciliativum reus accedere debeat ſupplex, & animo paratus ut faciat quidquid prudens

dens Sacerdos, tanquam Judex vice Dei præceperit.

Q. 2. *Cujus peccati reum se constituit, qui in Confessione mentitur?*

R. Lethaliter peccat, quando ejus mendacium est obex effectui Sacramenti, ipsumque Sacramentum reddit irritum; quia gravis est illa irreverentia contra Religionem. Mendacium autem in Confessione tum irritat Sacramentum. 1. Cùm est in materia Confessionis necessaria, ut si pœnitens falsò neget, aut affirmet se conscium esse peccati mortalis, aut alicujus circumstantiæ ex præcepto clavibus Ecclesiæ subjiciendæ. 2. Cum falsò & contra mentem confitetur se reum alicujus peccati venialis, nec ullum aliud declarat, quia nullum peccatum clavibus Ecclesiæ subjicit; & nulla sequitur absolutio defectu materiæ.

Dixi, *nec ullum aliud declarat;* Qui enim falsò & contra mentem negat, aut affirmat se reum esse peccati venialis, & alia simul vera confitetur, non videtur peccare, nisi venialiter; quia mendacium illud est in materia levi, & ad Sacramentum minimè necessaria.

Dices contra postremam hanc responsionis nostræ partem; mendacium illud est longè gravius, quàm in aliis circumstantiis; habet enim rationem sacrilegii, utpotè contra reverentiam Sacramento debitam: ergo lethale censeri debet.

Concesso anteced. Nego consequent. Quamvis enim mendacium in re levi sit gravius ex circumstantia Confessionis Sacramentalis, habeatque rationem sacrilegii, non sequitur quòd ex ejusmodi circumstantia contrahat malitiam lethalem: sunt enim peccata venialia alia aliis graviora.

ra. Sacrilegium quidem eſt ex natura ſua mortale; ſed ex levitate materiæ poteſt eſſe veniale, ut alibi diximus : atqui levis videtur contra Sacramentum iſthæc irreverentia : ergo non eſt niſi leve ſacrilegium.

Timendum tamen eſt, ne pœnitens, qui ſic mentitur, vera contritione ſine attritione careat; difficilè enim intelligitur eum gerere cor contritum & humiliatum, divinam juſtitiam placare, & ad veniam impetrandam eſſe diſpoſitum, qui actu Deum offendit, voluntati ejus contradicit, & novum peccati reatum incurrit.

Atque hæc de Confeſſionis conditionibus ſummatim dicta ſufficiant, duobus dumtaxat exceptis, integritate ſcil. & ſecreto, quæ pleniorem à nobis poſtulant expoſitionem. Quare ſit

## §. V.

## *De integritate Confeſſionis.*

Q. 1. *Quotuplex eſt Confeſſionis integritas?*

R. Duplicem vulgò diſtinguunt Theologi, unam materialem, alteram formalem.

Materialis eſt, adæquata omnium planè peccatorum Confeſſio : formalis verò eſt accuſatio eorum dumtaxat peccatorum quæ poſt diligens conſcientiæ examen in memoriam redeunt, & Eccleſiæ clavibus ſubjicere tenetur pœnitens, etiam in circumſtantiis, in quibus repetitur.

Q. 2. *Utraque integritas eſtne neceſſaria?*

Materialis non requiritur, 1. quia penes hominem non eſt omnium peccatorum recordari, multa enim aut fugiunt ex animo, aut incautis, & ſatis non attendentibus obrepunt, quæ in integritate

tegritate formali inclusa intelliguntur, ut docent Tridentini Patres session. 14. cap. 5. modò tamen ad ea contritio sese extendat; nisi enim voluntas ab omnibus peccatis lethalibus, sive cognitis, sive incognitis planè sit aversa, confessio caret, fructu suo, & est prorsus invalida. 2. Quia certi sunt casus, in quibus pœnitens omnia peccata mortalia, quorum conscius est sigillatim confiteri non tenetur. Frequentiores autem illi casus sunt, si pœnitens periculoso morbo laborans, integrè confiteri nequeat absque evidenti corporalis salutis periculo: si urgens malum ex quorundam peccatorum confessione immineat, nec ad alium Sacerdotem accedere sit liberum, ut notat sanctus Thomas in supplem. qu. 3. art. 4 ad 5. si peregrinus in regionibus diversetur, ubi à Sacerdotibus intelligi non potest. Adde surdos & mutos, milites jamjam conflicturos, naufragantes, &c. hi omnes præcepto confessionis satisfaciunt, quamvis omnia peccata, quæ in memoriam recurrunt, sigillatim non exponant; Deus enim impossibilia non jubet: ergo integritas materialis non requiritur, sed formalis sufficit: ac proinde juxta Tridentinos Patres cit. cap. 5. *Impium est confessionem, quæ hac ratione præcipitur, impossibilem dicere, aut carnificinam illam conscientiarum appellare.*

Q. 3. *Quid ad formalem Confessionis integritatem requiritur?*

R. De fide requiri, ut omnia peccata mortalia, quorum memoria cum debita, & diligenti præmeditatione habetur, sigillatim quantùm moraliter fieri potest, secundum speciem & numerum exponantur. Ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 7. in quo sic habet: *Si*

*quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ, ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia & singula peccata mortalia . . . . anathema sit.* Definitionis veritas probata manet ex dictis de necessitate Confessionis. §. 3. Ergo præcepto Confessionis non satisfaciunt, qui cum enuntiare possint quoties præcisè idem peccatum lethale iterarint, ita mentem exponere solent, *bis aut ter septies, aut decies illud commisi*, quasi dubitent de numero, cùm de eo certi sint, aut esse possint; hic enim loquendi modus adhibendus est dumtaxat, cùm post diligens examen definiri non potest numerus peccatorum. Unde verò reperienda sit numerica peccatorum distinctio, diximus Tract. de Actibus humanis hic consulendo p. 172. 173. Cùm autem ad officium Sacerdotis pertineat juvare pœnitentes, maximè eos qui peccarunt ex habitu, ut integrè peccatorum numerum exponant, aptam methodum edidimus in praxi nostra Pœnitentiaria, Tract. 2. de Confessione.

Q. 4. *Peccatorum circumstantiæ suntne ex præcepto divino aperiendæ?*

Nota duplicis generis esse circumstantias; aliæ enim novam addunt peccati speciem, aliæ non addunt sed peccatum intra eandem speciem insigniter aggravant, aut minuunt.

Circumstantia novam addit peccati speciem, cùm pugnat contra distinctam virtutem; sic injusta percussio Clerici propter circumstantiam personæ Deo dicatæ, & furtum in loco sacro ratione loci sunt peccata, non solùm contra justitiam, sed etiam contra Religionem. Circumstantia verò tum aggravat, aut minuit solùm peccati speciem, cùm magis vel minùs pugnat adversùs ean-

eandem virtutem, ut injusta percussio Clerici gravior, aut levior; furtum in loco sacro majoris, aut minoris quantitatis, non differunt inter se, nisi secundùm magis & minùs, intra eandem speciem; quia injusta percussio, sive gravior, sive levior easdem lædit virtutes, similiter & furtum, sive majus, sive minus. Sed hæc fusiùs explicata habentur Tractatu de Actibus humanis cap. 5. de circumstantiis. His præsuppositis,

Ad quæstionem

R. 1. Circumstantiæ, quæ peccati speciem mutant, ex præcepto divino sunt aperiendæ; sic enim Concilium Tridentinum adversùs Novatores definiit cit. can. 7.

Probatur 1. iis momentis, quæ citato Paragrapho adduximus, tum ex Scriptura, tum ex traditione ad necessitatem Confessionis contra Novatores afferendam; ex laudatis quippe Conciliorum & Patrum testimoniis, peccata sunt sigillatim aperienda, exponendæ causæ, personæ, locus, tempus, &c. quæ ad circumstantias pertinent.

Probatur 2. ratione, quàm Tridentini Patres ejusdem sessionis cap. 5. suppeditant his verbis: *Colligitur præterea etiam eas circumstantias in Confessione explicandas esse, quæ speciem peccati mutant; quòd sine illis peccata ipsa neque à pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè censere possint; & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Unde alienum à ratione est, docere circumstantias has ab hominibus otiosis excogitatas fuisse.*

R. Etsi Concilium Tridentinum non attigerit quæstionem in Scholis agitatam circa circumstantias,

tias, quæ ſpeciem non mutant, ſed inſigniter aggravant aut minuunt, cum unum ſibi propoſuerint, ſcil. Novatorum refellere errores, ut ſæpè diximus: Theologi tamen communiter docent, paucis exceptis, ut Vaſqueſio, & aliis, quos appellat, ejuſmodi circumſtantias ex neceſſitate præcepti divini eſſe aperiendas.

Probatur 1. ex Traditione.

Joannes Jejunator in Pœnitentiali laudato, Paragrapho 3. ad ſextum ſæculum: *Oportet*, inquit, *eum, qui Confeſſionem ſuſcipit, videre & adoleſcentiam, & vires, ſenectutis imbecilitatem, & loci differentiam & modi, per quam malum factum eſt.*

Concilum Wormatienſe can. 25. nono ſæculo: *Debet Sacerdos in pœna danda ſingulorum cauſas ſingulatim conſiderare, originem quoque, modumque culparum, temporum etiam & locorum, perſonarum quoque & ætatum qualitates conſiderare & inſpicere.*

Concilium Londinenſe anno 1200. can. 4. *Ut Sacerdotes in pœnitentiis imponendis diligenter attendant circumſtantias, qualitatem perſonæ, qualitatem delicti, tempus, locum, cauſam, moram in peccato factam.* Atqui mora in eodem peccato ſpeciem evidenter non mutat.

Catechiſmus Romanus par. 2. de Confeſſione n. 63. *Furtum etiam in peccatis numerandum eſt: verùm ſi quis aureum nummum furetur, levius omninò peccat, quàm is qui centum vel ducentos, vel ingentem aliquam auri vim, præſertim verò qui ſacram pecuniam abſtulit.* Ubi Catechiſmus vult exprimendum quanta fuerit pecuniæ ſumma furto ablata, quamvis major, vel minor peccati ſpeciem non mutet.

Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. duas Modernorum propoſitiones dam-

damnarunt; alteram, qua asserebant præcepto Confessionis eum satisfacere, qui enuntiat simpliciter se furto abstulisse eam pecuniæ quantitatem, quæ ad peccatum lethale sufficit: alteram qua contendebant pœnitentem non teneri respondere quærenti Confessario, an ex consuetudine peccaverit, cùm consuetudo speciem peccati non mutet.

Possent proferri Libri Rituales, qui expressè præscribunt circumstantias insigniter aggravantes esse inquirendas.

Probatur 2. eadem ratione, qua ex Concilio Tridentino evicimus declarandas esse circumstantias, quæ speciem mutant. Namque circumstantiæ insigniter aggravantes addunt specialem malitiam, eamque gravem, quin aliquando etiam graviorem & majori pœna dignam, quàm si speciem mutarent: ergo qui eas reticeret, nec peccata sua integrè confiteretur, nec Confessarius tanquam Judex æquum judicium ferre posset, nec convenientem satisfactionem imponere.

Antecedens probatur nonnullis exemplis. 1. Pecuniæ quantitas non mutat furti speciem, sicut circumstantia loci sacri: attamen longè gravius est furari centum nummos in loco profano, quàm unicum nummum in templo. Ergo si fur unius nummi tenetur exprimere circumstantiam loci sacri, à fortiori fur centum nummorum debet enuntiare quantitatem furti. 2. Incestus in primo gradu est ejusdem speciei cum incestu in secundo: atqui primus præsertim in linea recta, monstrum est in moribus, quod ipsi etiam Ethnici exhorrent, teste Apostolo 1. Corinth. 5. *Omninò*, inquit, *auditur inter vos fornicatio, & talis forni-*

*fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat.* Hic inceſtus morte plectitur legibus civilibus, non ſecundus. Ejus abſolutionem ſpeciatim Epiſcopi ſibi reſervant. 3. Juxta veterem Eccleſiæ diſciplinam gravior imponebatur pœnitentia idololatriæ voluntariæ, quàm ſi cruciatuum vi fuiſſet extorta. Simile diſcrimen in pœnitentiis injungendis obſervandum præſcribit Concilium Ancyranum cap. 16. circa eos, qui ſpontè in fornicationem lapſi ſunt, & eos, qui ex infirmitate & quodammodo decepti in illam conſenſerunt: Cùm ergo Sacerdos hujuſmodi circumſtantias ponderare debeat, ut conſentanea pœnitentiæ opera decernat, eædem ipſi innoteſcant neceſſe eſt.

Dixi circumſtantias, quæ inſigniter aggravant; quia certum eſt leviores non eſſe ex neceſſitate præcepti aperiendas, utpotè quæ nonniſi levem & venialem malitiam contineant.

Dices 1. circumſtantiæ, quæ inſigniter minuunt peccati gravitatem, non ſunt neceſſariò exponendæ: ergo nec illæ, quæ ſimiliter augent.

Nego antecedens; Alioquin Sacerdos uti Judex, & Medicus nec congruam ſatisfactionem imponeret, nec idoneum ſanandis vulneribus adhiberet remedium.

Dices 2. Non licet jure naturali detegere occultum proximi crimen: atqui circumſtantiæ aliquando aperiri nequeunt, quin ſimul detegatur alterius crimen: mulier v.g. confiteatur concubuiſſe ſe cum fratre, qui eſt ei unicus, vel cum Confeſſario, Sacerdos, qui utrumque novit, fratrem ſcilicet, & Confeſſarium, quos hactenùs viros

viros frugi habuerat, eos ſtatim infandi criminis reos intelliget: Ergo.

R. 1. Mulierem in illa hypotheſi teneri accedere, ſi poſſit, ad alium Sacerdotem, cui tam ipſa, quàm ſocius criminis ſint ignoti. Quòd ſi id nequeat, nec ſit locus differendæ Confeſſionis,

R. 2. Diſtinguendo major. Non licèt detegere occultum alterius crimen ſine cauſa: Conc. Cum cauſa: Nego maj. Namque reus juſtè torquetur, ut detegat criminis ſocios, Fideles cenſuris Eccleſiæ coguntur revelare occultos furti, vel homicidii auctores; tenetur civis deferre quem novit perniciem moliri adversùs Rempublicam; domeſticus monere herum, ſi quis ex familia bona ejus diripiat; denique quoties noſtra intereſt, puta cum neceſſarium captandum eſt conſilium, licèt crimen alterius prudenti viro manifeſtare. Ergo à fortiori fas eſt in negotio ſalutis æternæ plenè & integrè conſcientiam noſtram exponere Sacerdoti, quem Chriſtus noſtrum conſtituit Conſiliarium, Judicem, & Medicum, quamvis inde fama proximi aliquatenus lædatur, ſicut & noſtra; neque enim tenemur diligere proximum pluſquam nos ipſos, & famæ ejus magis conſulere, quàm noſtræ.

Dices 3. Sanctus Thomas in quartum diſt. 16. quæſt. 3. artic. 2. docet circumſtantias, quæ ſpeciem non mutant, non eſſe declarandas ex præcepto: Ergo.

Nego conſequent. S. enim Doctor iſta ſcripſit cum eſſet junior, ſententiamque ſuam revocaſſet, communemque fuiſſet amplexus, ſi ſenior factus ultimam manum ſuæ Summæ appoſuiſſet.

Q. 5. *Qui recordatur peccati mortalis, quod ex oblivione non exposuit in præcedenti Confessione, teneturne illud confiteri?*

Negarunt quidem recentiores; sed eorum opinio proscripta est ab Alexandro VII. anno 1665. & à Clero Gallicano anno 1700. Quare

Respondeo teneri; Quia peccata mortalia ex dictis sunt necessaria Confessionis materia: ergo cùm illud peccatum clavibus Ecclesiæ non fuerit subjectum, absque dubio subjici debet. Nec refert, quòd per absolutionem deletum fuerit saltem indirectè; quia, ex Tridentino sess. 13. can. 11. quantumcunque contritus quis sibi videatur, ac proinde veniam consecutus, nihilominus sacramentaliter confiteri tenetur.

Q. 6. *Peccata dubia suntne in Confessione aperienda?*

R. Ita est, si dubium sit cum fundamento. Tripliciter autem quis potest esse dubius. 1. An actum lege prohibitum vel præceptum elicuerit, vel omiserit. 2. Cùm ipsi constat de actu, sed dubitat an liberè & cum sufficienti deliberatione consenserit. 3. Cùm incertus est, num in Confessione deposuerit crimen, quod certo scit se admisisse: atqui in triplici illo dubio tenetur quis peccatum aperire, tum quia in dubio via tuta & secura, qualis Confessio, est eligenda: tum quia baptizandus est, qui cum fundamento dubitat an fuerit baptizatus.

Dixi, *si dubium sit cum fundamento;* Qui enim dubitat absque ratione probabili, dubium suum deponere debet. Unde qui scrupulis anguntur, vulgò prohibendi sunt, ne peccata dubia exponant.

§. VI.

## §. VI.

### *Utrùm Confeſſio Sacramentalis fieri poſſit per internuntios?*

R. Prohibuit Clemens VIII. Decreto ſuo anni 1602. quod ſic ſe habet; *Auditis votis plurium Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis ac Reverendiſſimis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus maturè ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet licere per litteras, ſeu internuntium Confeſſario abſenti, peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minùs uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit ac prohibuit; præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis privatiſque lectionibus, concionibus, & congreſſibus, doceatur, neve unquam tanquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.*

Cùm autem Suarez tom. 4. in 3. part. Sancti Thomæ ſect. 4. docuiſſet Decretum Clementis VIII. collectivè, non verò diviſivè eſſe accipiendum; ita ut Summus Pontifex non prohibeat præcisè Confeſſionem fieri per literas aut internuntium in ordine ad abſolutionem accipiendam, cùm Sacerdos præſens adfuerit; ſed utramque ſimul, nempe confeſſionem & abſolutionem, per literas, aut internuntium exhibitam Paulus V. anno 1605. juſſit hancce Suaris expoſitionem ex ſcriptis ejus expungi.

Q. 2. *Ante prohibitionem Clementis VIII. fuitne licitum aliquando abſenti Confeſſario confiteri per literas, & ab illo abſolvi?*

R. Diſſentiunt Theologi.

Alii affirmant, probantque variis exemplis Sacramentum Pœnitentiæ ita fuiſſe collatum. 1. Apoſtolus 2. Cor. cap. 2. abſens Corinthium inceſtum abſolvit. 2. Euſebius libro 6. hiſtoriæ cap. 36. refert Presbyterum quemdam vi morbi in lecto detentum, per puerum miſiſſe Euchariſtiam ad Serapionem pœnitentem, quod ſupponit per illum internuntium fuiſſe abſolutum. 3. Patres Concilii Duziacenſis anno 872. abſolverunt Robertum Cenomanenſem Epiſcopum, ut ipſe periculosè decumbens ab illis per literas expoſtulaverat. 4. Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis nono ſæculo Hildeboldum Sueſſionenſem Epiſcopum ægrotantem per literas abſolvit. 5. Potamius Braccarenſis Archiepiſcopus, per litteras abſolutionem obtinuit à Patribus Concilii Toletani X. 6. Sanct. Thomas Cantuarienſis eandem gratiam ab Alexandro III. ſcripto conſecutus eſt.

Confirmatur hæc ſententia exemplo matrimonii, quod licitè ac validè celebratur per internuntium.

Alii Theologi contra contendunt Sacramentum Pœnitentiæ nunquam niſi à præſente Sacerdote fuiſſa collatum, probantque ex Veterum teſtimoniis. 1. Auctor de vera & falſa Pœnitentia apud ſanctum Auguſtinum, cujus verba referuntur cap. *Quem pœnitet*, de Pœnitentia diſtinct. 1. *præcepit Chriſtus*, inquit, *mundandis Leproſis, ut oſtenderent ora ſua Sacerdotibus, docens præſentia ſua confitendum peccata. Non alium teneatis modum; qui per vos peccaſtis: per vos erubeſcatis.* 2. Synodus Nemau-

maufenſis anno 1284. *Non debent confiteri per nuntium, vel per ſcripturam, ſed viva voce, ore proprio, & præſentialiter, ut qui per ſe peccavit, per ſeipſum confiteatur, & erubeſcat.* 3. Sanctus Thomas quodlibeto 1. articulo 10. ex profeſſo probat non licere confiteri ſcripto, aut alio ſigno, quàm voce, niſi in caſu neceſſitatis : tum quia oris confeſſio majori pudore pœnitentem ſuffundit : tum quia in Sacramentis adhibenda eſt materia in uſu communior, ut aqua naturalis in Baptiſmo, panis triticeus in Euchariſtia ; atqui voces ſunt ſigna quibus homines intimos cordis ſenſus vulgò manifeſtant . Ergo.

Ad exempla pro oppoſita opinione laudata, reſpondent Patroni hujuſce poſterioris ſententiæ; in iis non agi de abſolutione Sacramentali ; ſed vel de abſolutione à cenſuris, qua pœnitentes reſtituebantur communioni Eccleſiæ : vel de relaxatione pœnarum canonicarum, & conceſſione Indulgentiarum, quas Summi Pontifices largiri ſolent infirmis in mortis periculo conſtitutis: vel de abſolutione cæremoniali, qualem Epiſcopi feria quinta in majori Hebdomada, & Parochi die Sancto Paſchæ publicè impertiunt Chriſti auctoritate, cujus verba in hujuſmodi cæremonia expreſsè commemorant, *quæcumque ſolveritis ſuper terram*, &c. Multa autem in allatis exemplis hancce expoſitionem ſuadent. Namque 1. Sanctus Paulus abſens inceſto Corinthio, ſed Pœnitenti, donavit quod obſecrat donari à præſentibus ejus contribulibus : *Obſecro vos*, inquit cit. capite 2. *ut confirmetis in illum charitatem .... cui autem aliquid donaſtis, & ego ; nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti.* Atqui

Atqui ab omnibus non est collata absolutio sacramentalis. Quid igitur Apostolus hic concessit, & a Corinthiis concedendum rogat: pœnarum relaxationem, & cum Fidelibus communionem, qua incestus fuerat interdictus.

2. Eusebius narrat quidem Eucharistiam ad Serapionem pœnitentem, & in extremis positum, delatam fuisse per Presbyteri puerum ut per eam Communioni Ecclesiasticæ restitueretur, & sic in pace ad Dominum proficisceretur; sed mera fictio est, puerum illum absolutionem sacramentalem detulisse, cum Eusebius ne verbum quidem faciat de confessione & absolutione.

3. Hincmarus, ex Sirmundo in notis ad tertium tomum Conciliorum Galliæ, hortatur Hildeboldum, ut Sacerdoti specialiter peccata sua confiteatur.

4. Alexander III. Sanctum Thomam Cantuariensem admonet, ut si quid commisit, de quo propria conscientia debeat remordere, illud Sacerdoti, qui discretus sit & providus, confiteatur: ergo nec Hildeboldus ab Hincmaro, nec S. Thomas ab Alexandro III. fuerunt sacramentaliter absoluti; confessio enim absolutionem sacramentalem necessario præcedit.

5. Potamius, qui scripto Confessionem suam ad Concilium miserat, crimen postea præsens in eodem Concilio confessus est, & statum depositus, ac perpetuæ pœnitentiæ addictus, altero in ejus Sedem suffecto.

Q. 2. *Post decretum Clementis VIII. Confessio per literas aut internuntium, foretne non solum illicita*

*licita, sed etiam prorsus nulla, & Sacramentum irritum?*

R. Dissentiunt Theologi. In hac autem controversia illud nobis videtur verius,

1. Absolutionem per literas aut internuntium ante Decretum Clementis non potuisse valere, multò minùs posse post idem Decretum, nec Summus Pontifex in hac parte novam sanxit legem: sed Apostolicam Traditionem vindicasse: Quia Sacramenta novæ legis rebus & verbis constant ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis: verba autem illa in sensu metaphorico interpretari non licet sine auctoritate Ecclesiæ, quæ nunquam declaravit formam Sacramenti pœnitentiæ scripto esse validam.

Frustrà Patroni prioris sententiæ opponunt matrimonium, quod per literas, aut internuntium valet; in his enim, quæ ex libera Christi voluntate pendent, non admittitur argumentatio à pari. Quanquam, si admittatur ista discurrendi ratio, quinque Sacramenta opponimus, nempe Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Ordinationem, & Extremam Unctionem, quæ nonnisi proprio Ministri ore confici queunt. Ut ergo excipiatur Sacramentum Pœnitentiæ, proferri debet indubitata Ecclesiæ auctoritas, quemadmodum ipse Eugenius expressis verbis Sacramentum matrimonii à communi regula excepit.

2. Rata & valida est absolutio ore Ministri collata præsenti pœnitenti, qui per litteras aut internuntium confessus est, cùm aliter non potuerit, ut muti, quorum aliquando peccata scripto excepimus; & moribundi, quorum præcedens

dens Confeſſio, ſeu confitendi deſiderium Sacerdoti non innoteſcit, niſi per teſtes ſive internuntios, & ita Clementem VIII. declaraſſe teſtatur Armacanus.

## §. VII.

### *De ſecreto Confeſſionis.*

Q. 1. *Modus confitendi ſecretò eſtne à Chriſto inſtitutus ac præceptus?*

R. Chriſtus, ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 5. ita inſtituit Confeſſionem ſecretam, ut non vetuerit, quominus juſtis de cauſis aliquando publicè fieri poſſit: *Quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem*, inquit S. Synodus, *etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen hoc divino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, ut delicta, præſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda.* Quibus verbis tria docent Tridentini Patres:

1. Chriſtum non mandaſſe ut omnia peccata publicè aperiantur. 2. Probandum eſſe ſi quis aliquando in ſui humiliationem, & aliorum ædificationem peccata ſua publicè declaret & ejuret. 3. Non ſine gravioris incommodi periculo eam fore legem, qua præciperetur, ut omnia peccata, etiam ſecreta, publicè aperirentur.

Q. 3. *Unde probantur tres illæ Concilii propoſitiones?*

R. Ex conſtanti Eccleſiæ Traditione & diſciplina, cujus locupletes teſtes ſunt Socrates, Sozomenus; Sanctus Chryſoſtomus; S. Leo, & alii,

alii, quos appellavimus pro necessitate Confessionis.

Socrates lib. 5. historiæ cap. 19. *Ecclesiarum Episcopi*, inquit, *canoni adjunxerunt, ut in singulis Ecclesiis Presbyter quidam pœnitentiæ præesset: quò, qui post Baptismum lapsi fuissent coram Presbytero ad eam rem designato, peccata sua confiterentur.* Et infra: *Mulier quædam nobilis ad Presbyterum Pœnitentiarium accedit, peccata, quæ post Baptismum commiserat, particulatim confitetur.*

Sozomenus l. 7. c. 16. *Cùm prorsus*, inquit, *non peccare naturæ sit humana divinioris; pœnitentibus autem, quamvis frequenter deliquissent veniam darè Deus jusserit, ad impetrandam denique veniam confiteri necessarium sit; odiosum, ut credibile est, Sacerdotibus ab initio visum fuit tanquam in theatro audiente Ecclesiæ multitudine delicta pronuntiare.*

S. Chrysostomus hom. 6. de incomprehensibili Dei natura, sic habet: *Non te in theatrum cònservorum tuorum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo.*

S. Leo epist. 80. c. 3. ad Episcopos Campaniæ: *Illam*, inquit, *contra Apostolicam regulam præsumptionem, quam nuper agnovi à quibusdam illicita usurpatione committi, modis omnibus constituo submoveri; ne videlicet de singulorum peccatorum genere libello scripta professio publicetur, cùm reatus conscientiarum sufficiat solis Sacerdotibus indicare Confessione secreta. Quamvis enim plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubescere, non veretur; tamen quia non omnium ejusmodi sunt peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poscunt, publicare non vereantur, removeatur tam improbabilis consuetudo.* Ex his verbis constat alicubi præceptam fuisse publicam peccatorum

etiam

etiam occultorum confessionem; sed S. Leo morem illum reprobat uti contrarium Traditioni Apostolicæ, & Ecclesiæ universalis disciplinæ.

Dices: lex publicæ pœnitentiæ pro omnibus peccatis, tam publicis, quàm occultis ubique in Ecclesia per plura sæcula obtinuit: atqui pœnitentes publicè confitebantur ea peccata, pro quibus pœnitentiæ stadium decurrebant: ergo secundùm priscam universalis Ecclesiæ disciplinam omnia peccata etiam occulta publicè exponebantur.

Minor probatur variis Antiquorum testimoniis. S. Irenæus suprà laudatus narrat mulieres à Marco præstigiatore corruptas, crimen suum palàm confessas. Atqui ejusmodi crimen præ cæteris secretò & absque testibus committitur. Origenes hom. 3. in Levit. sic scribit: *Si quid in occulto egerimus, si quid in sermone solo, vel etiam intra cogitationum secreta admisimus, cuncta necesse est publicari, cuncta proferri.* Enimverò cur pœnitentia publica, quam multi, ex Tertulliano, refugiebant ut publicationem sui, dicebatur exomologesis seu accusatio, nisi quia publica peccatorum confessio ab ea erat indivulsa?

Transeat major, quam confutabimus ubi de Satisfactione, Nego minorem; contrarium enim constat ex Socrate, Sozomeno, S Chrysostomo, & S. Leone mox laudatis.

Ad confirmationis autem singula capita respondeo:

Ad primum. Mulieres illæ, de quibus S. Irenæus, vel spontè, sive ex consilio Sacerdotis crimen suum palàm confessæ sunt, vel, quod verisimilius est, ex circumstantiis convictæ sunt; vix enim dubium esse potest, quin per inquisitionem

in

in Marci præſtigias & opera magica detectæ ſint ejus ſpurcitiæ, & infanda crimina. Unde non mirum eſt quòd mulieres illæ, quæ ipſi adhæſerant, facinus ſuum in publico conventu confeſſæ ſint; certum quippe eſt eos, qui palàm ſive per hæreſim, ſive per ſchiſma ab Eccleſia defecerant, & alios inſignes ac publicos peccatores Communioni Eccleſiæ non fuiſſe reſtitutos, quin priùs publicè errores ſuos ac flagitia ejuraſſent.

Ad ſecundùm ex Origene petitum, reſpondeo diſtinguendo, ſi quid ſermone, vel etiam intra cogitationum ſecreta commiſimus, neceſſe eſt cuncta publicari, cuncta proferri prudenti & diſcreto Sacerdoti, Concedo: in publico conventu, Nego, & quidem ad mentem Origenis; nam in Pſalm. 35, poſtquam admonuit cautè ſeligendum eſſe Sacerdotem, apud quem deponamus peccata noſtra, hæc addit: *Si quid ille dixerit . . . . ſi quid conſilii dederit ut facias & ſequaris: ſi intellexerit & præviderit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari: multa hoc deliberatione & ſatis periti Medici illius conſilio procurandum eſt.* Ergo juxta Originem ex peccatis ad aurem Sacerdotis expoſitis, alia claudi debent ſecreti ſigillo: alia ſecundùm antiquum morem erant publicè referanda. Idem innuere videtur Sanctus Auguſtinus ſerm. 351. aliàs hom. 50. ubi de peccatore, qui ad Antiſtites Eccleſiæ venire debet, & ab ipſis ſatisfactionis modum accipere, ſic loquitur: *Id agat, quòd non ſolùm illi proſit ad recipiendam ſalutem, ſed etiam cæteris ad exemplum: ut ſi peccatum ejus non ſolùm in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque etiam hoc expedire utilitati*

*Ecclesiæ videatur Antistiti, in notitiam multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuset.*

Ad tertium. Cùm publici pœnitentes solemniter profiterentur se graviter deliquisse, & idcircò non solùm durioribus pœnitentiæ operibus se subjicerent, sed etiam sacco induti ad Fidelium pedes se prosternerent, &, ut loquitur Tertullianus, àdgenicularentur, non mirum quod multi illud stadium decurrere erubescerent, præsertim si conscii essent eorum peccatorum, quæ Sacerdos palàm declare imperabat. Exomologesis ergo, seu confessio indivulsa erat pœnitentia publica, 1. quia pœnitentes Sacerdoti privatim omnia péccata sua aperiebant. 2. quia graviora ex iis palàm confiteri cogebantur, si essent publica, vel testibus probari possent. 3. quia reos se coram omnibus generatim pronuntiabant.

Q. 3. *Quo jure necessarium est Confessionis sigillum?*

R. Triplici; naturali, divino & Ecclesiastico. Sacerdos igitur, qui revelat secretum Confessionis,

1. Peccat contra legem naturalem, qua tenemur clausum servare, quod sub secreto nobis committitur.

2. Peccat contra legem divinam, qua præcipitur Sacramentalis Confessio; quia si Sacerdoti licitum esset aliquando revelare quod sacramentaliter excepit, de medio tolleretur usus Confessionis; quis enim vellet arcana conscientiæ suæ detegere cum famæ, aliquando etiam vitæ periculo?

3. Denique peccat contra legem Ecclesiasticam in Concilio Lateranensi IV. latam can. *Omnis utrius-*

*utriusque sexus*, his verbis: *Caveat omninò Sacerdos, ne verbo, aut signo, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem .... qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam, in arctum monasterium detrudendum.*

Q. 4. *Quàm arcta est obligatio sigilli Confessionis?*

R. Ex laudato Concilio Lateranensi, tanta est hujus secreti religio, ut nullo prorsus casu violari debeat.

Q. 5. *Unde repetitur tam arcta obligatio?*

R. Repetitur præsertim ex præcepto divino, seu ex institutione Sacramenti; namque ex Sancto Thoma 2. 2. quæst. 10. artic. 1. ad secundum, fides secreti (si spectetur solum jus naturale) non obligat in grave præjudicium boni communis: at secretum Confessionis nunquam violare licet, etiamsi gravia ex silentio imminerent Reipublicæ incommoda, aut ipse Sacerdos gravissima quæque tormenta, & mortem aliter declinare non posset. *Dicendum*, inquit Angelicus Doctor, *quòd de illis, quæ homini sunt commissa in secreto per Confessionem, nullo modo debet testimonium ferre; quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei Minister, & majus est vinculum Sacramenti quolibet hominis præcepto. Circa ea verò, quæ aliter homini sub secreto committuntur, distinguendum est. Quandoque enim sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur; puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem; vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid aliud est hujusmodi, quod quis propalare tenetur vel testificando, vel denuntiando,*

*& contra hoc debitum obligari non poteſt per ſecreti commiſſum.*

Q. 6. *Quid reſpondere debet Sacerdos à Judice interrogatus de crimine, quod ſola Confeſſione didicit?*

R. Sacerdos absque periculo mendacii, aut æquivocationis, & perjurii ſimpliciter reſpondebit ſe id neſcire, quia reſponſio eſt ad mentem interrogantis, juxta omnium Catholicorum judicum, qui prudenter præſumunt Judicem fidelem non interrogare de iis peccatis, quæ ſola Confeſſione Sacramentali innotuerunt. Imò ſi Sacerdos ſit Paſtor, & eo titulo Parochianorum ſuorum Conſiliarius, voceturque ad ferendum teſtimonium adversùs unum ex illis, opponet Judici ſuum officium Paſtorale, quo gaudere debet privilegio Advocatorum; qui immunes ſunt à teſtimonio ferendo adversùs eos, qui illorum utuntur conſiliis, alioquin non ſtaret humana ſocietas, ſi privati in negotiis difficilioribus conſilium à peritis tutò capere nequirent. In caſibus tamen extraordinariis, in quibus conſtaret Paſtorem non ex iis, quæ fidei ſuæ commiſſa ſunt, ſed ex viſu fortuito teſtari, non eximeretur à teſtimonio ferendo contra Parochianum ſi neceſſum foret ad comprimendum malum.

*Quid ſi pœnitens Sacerdotem provocet ad Superiorem ob denegatam abſolutionem, ipſique licentiam concedat exponendi cauſas repulſæ?*

R. Non licet Superiori diſcutere ejuſmodi controverſiam; forum enim internum Dei eſt, non hominum. Ad ſummum poterit delegare alium prudentem Sacerdotem, qui excipiat hujuſce pœnitentis confeſſionem: nec Confeſſarius uti poteſt ejusmodi licentia ad reſpondendum concef-

concessa; pugnat enim contra reverentiam Sacramenti, quod nunquam ad forum externum & contentiosum transferre licet.

Q. 7. *Quale est peccatum sigilli infractio?*

R. Semper est mortale in genere sacrilegii, quia minima infractio gravem infert Sacramento injuriam, utpote quæ Fideles ab eo revocet, & confessionem odiosam reddat.

Q. 8. *Quotuplici modo violari potest secretum Confessionis?*

R. Duplici, scilicet directè, & indirectè.

Violatur directè, cùm verbis conceptis panduntur quæ in Confessione sunt exposita, etiam si illa ipso facto sint publica, Sacerdos v.gr. directè violaret sigillum, si diceret publicum Clerici percussorem crimen esse confessum, vel non confessum: indirectè verò cùm ex dictis, vel factis Confessarii colligitur quod ipsi in confessione fuit declaratum.

Ergo Sacerdos reus est violati sigilli. 1. Si dicat se non eum absolvisse cujus confessionem excepit. Quando igitur scripto testatur apud Pastorem se confessionem Parochiani, quem ad se miserat, audivisse, de absolutione sive data, sive dilata, semper sileat. 2. Si unum præ aliis, quos audivit, laudans dicat illum nonnisi levia admodum peccata declarasse; inde enim facilè colligitur alios gravioris culpæ esse conscios. Caveant igitur qui præficiuntur eorum audiendis confessionibus, qui ad mortem damnantur, ne quovis modo significent Ministris Justitiæ hunc, vel illum esse innocentem; quia de aliis silendo indirectè significarent eos se probasse reos. 3. Si propter nonnullas difficultates in Confessione

occurrentes ità consilium petat, ut ex circumstantiis incautè expositis, pœnitens in illius notitiam venire possit, quem consulit. Exemplum affero: Sacerdos consulens sic exponat: *heri ad me accessit*, vel, *ad ægrotum vocatus sum*. *& ejusmodi crimen confessus est.* In hac hypothesi contingere potest: & revera contigisse scio, ut qui consulitur, deprehendat quis tali die peccata sua apud consulentem deposuerit. In consiliis ergo captandis omittendæ sunt circumstantiæ temporis & loci prorsus inutiles, & si quæ sint necessariò exponendæ cum secreti periculo: non licet Sacerdoti consulere sine libero pœnitentis consensu. Denique ad vitanda omnia infractionis pericula, Sacerdotes in confabulationibus nunquam de Confessionibus, quas exceperunt, loquantur præsertim coram Laicis, qui inde vulgò patiuntur scandalum.

Q. 9. *Duo Sacerdotes, qui unius & ejusdem pœnitentis Confessionem identidem excipiunt, possuntne consilii captandi causa inter se colloqui de peccatis, quorum pœnitens ille se conscium sæpè sæpiùs confitetur absque emendatione?*

R Non possunt sine infractione sigilli, nisi pœnitens in id liberè consenserit.

Q. 10. *Licetne Sacerdoti sermonem habere cum ipsomet pœnitente de iis, quæ in Confessione aperuit?*

R. Quamvis non violet secreti sigillum; extra confessionem tamen non licet, nisi priùs ab ipsa obtenta venia: *Si Sacerdos*, inquit S. Carolus parte 2. cap. 20. Instruct. *necessitate coactus cum ipsomet pœnitente de peccatis loqui debeat, id nonnisi præfata venia faciat.* Quia isthæc agendi ratio pœnitentibus

tibus molesta est, & odium in confessionem concitat.

Limitat tamen Suarez disp. 33. sect. 5. *Nisi Confessor commisit defectum in Confessione, ex quo obligatur ad pœnitentem monendum, quia tunc jam verè non loquitur extra confessionem, sed supplet & perficit eam, quæ inchoata & imperfecta manserat, & pœnitens tunc est irrationabiliter invitus.*

Dixi, *extra confessionem;* nam in Confessione Sacerdos debet, quando necessitas postulat, objicere pœnitenti, quòd satis sibi non caveat, cùm idem peccatum sæpiùs sit confessus: nam ex dictis peccandi consuetudo pertinet ad integritatem confessionis, exigit à Sacerdote specialia monita, ac fortiora remedia, & alio modo curanda est lepra perseverans, alio modo lepra volatilis, ut dicitur Levitici c. 13.

Q. 11. *Quænam sigilli secreto clauduntur?*

R. Ea omnia, quæ per confessionem deteguntur, scilicet peccata sive gravia, sive levia, socii criminis, tentationes, rustici mores, & alii naturales defectus, ac denique quidquid revelatum pœnitenti molestiam facesseret, & Confessionem odiosam redderet.

Q. 12. *Potestne Sacerdos de consensu pœnitentis reserare Confessionis sigillum?*

Respondet auctor Supplementi ad tertiam partem Summæ S. Thomæ, posse, modò consensus non sit extortus, & secundùm quid involuntarius; quia qui potest aliquid facere per se, potest & per alium. Atqui pœnitens potest peccatum suum alteri revelare: ergo potest per Sacerdotem. Monet tamen cavendum scandalum, *ne fractor sigilli prædicti reputetur.* Et in responsione

ad tertium docet, Sacerdoti, si accusetur, incumbere probandum, quòd de licentia pœnitentis revelaverit. Est & aliud periculum Sacerdoti timendum, ne scilicet fictus pœnitens ex appetitu vindictæ, aut alio pravo affectu falsò accuset innocentem, ut qui per se fidem facere nequit, per Confessarium criminationem probabilem reddat. Quamobrem Confessarius monendi onus in se non suscipiat, nisi grave malum aliter vitari nequeat, & prudenti consilio quæ sequi possint incommoda præcaveat.

Dixi, *modò consensus non sit extortus*: quia minis, v. g. denegandæ absolutionis extorqueri non debet, nec sic obtento uti licet.

Dicens: pœnitens tenetur detegere socios criminis, quando sunt Rei publicè noxii: civem, qui adversus civitatem, aut Principem cum hoste init consilia: Pastorem, qui clanculum disseminat errores, vel subditorum mores corrumpit, & alias Reipublicæ pestes. Refert Eusebius Hist. lib. 7. c. 6. Heraclam Alexandrinum Episcopum non admisisse eos, qui ab hæresi veniebant, *quoad omnia, quæ ab adversariis audivissent, palàm apud omnes essent elocuti.*

S. Augustinus serm. 392 aliàs hom. 49. inter 50. *Ego moneo*, inquit, *ego præcipio, ego jubeo, Episcopus jubet, Christus in me jubet, nolite viros vestros permittere fornicari, interpellare contra illos Ecclesiam.* Et epist. 236. aliàs 74. ad Deuterium, non vult Subdiaconum ex hæresi Manichæorum ad pœnitentiam admitti, nisi prius manifestaverit quos novit in eadem impietate versari. Ergo in iis & similibus casibus Sacerdos consensum à pœnitente

te extorquere poteſt, ut eos revelet, à quibus proximus vel Reſpublica cavere debet.

Nego conſequentiam; ex eo enim quòd pœnitens teneatur avertere, cùm poſſit, grave malum Reipublicæ vel proximo impendens, non ſequitur Sacerdoti licere minis denegandæ abſolutionis extorquere à pœnitente, ut ſontes quos novit, ipſi declaret, multò minùs, ut licentiam concedat illos manifeſtandi iis quorum intereſt: hæc enim agendi ratio pugnat contra reverentiam Sacramenti, & ſolvit omninò Confeſſionis ſigillum.

Hoc igitur unum ex antecedente concludere licet, nempe ſine abſolutione dimittendum pœnitentem, qui in allatis circumſtantiis non vult ſive per ſe, ſive per alium avertere malum proximo vel Reipublicæ imminens. Quò in caſu non tam opponitur onus pœnitenti, quò Confeſſio in odium veniat, quàm declaratur obligatio implendæ legis naturalis & divinæ, cui niſi parere velit, abſolvendus non eſt quemadmodum injuſtus rei alienæ detentor, qui reſtituere detrectat.

Q. 13. *Poteſtne Sacerdos prodere quod aliunde novit, quàm ex Confeſſione Sacramentali?*

Reſpondet idem auctor Supplementi q. 11. art. 4. poſſe, quando teſtimonii ferendi imminet neceſſitas; alioquin *poſſet impediri juſtitia Eccleſiæ, ſi aliquis ut evaderet ſententiam excommunicationis, quæ in ipſum ferenda eſſet propter aliquod peccatum, de quo convictus eſt, confitetur ei, qui ſententiam ferre debuiſſet.*

Nec dicas ejuſmodi revelationem injicere ſuſpicionem violati ſigilli. Namque ex eodem au-

ctore, 1. amovebitur illa ſuſpicio, ſi dicat Sacerdos, *ego vidi*, vel, Titus & Cajus duo probati teſtes ſe vidiſſe retulerunt. 2. quia veritas non eſt propter ſcandalum deſerenda: *Et ideo*, inquit, *quando imminet periculum juſtitiæ & veritatis, non debet dimitti revelatio ejus, quod audivit quis in confeſſione, ſi aliter ſciat, propter ſcandalum, veruntamen ſcandalum, quantum in ſe eſt, evitare tenetur*, nempe cùm loquendi nulla exiſtit neceſſitas: ut expreſsè docet in eo corpore articuli.

Q. 14. *Licetne uti notitia in Confeſſione comparata?*

R. 1. Clemens VIII. anno 1594. prohibuit omnibus Regularibus, ne hacce notitia uterentur ad gubernationem exteriorem; ſic enim in ſuo Decreto ſtatuit, *tam Superiores pro tempore exiſtentes, quàm Confeſſarii, qui poſtea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentiſſimè ne ea notitia, quam de aliorum peccatis habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur.*

R. 2. Non licet uti ea notitia cum gravamine pœnitentis, aut qualibet læſione ſigilli Confeſſionis. Reſponſio probata manet ex dictis ad tertiam & quintam quæſtionem, ſed elucidatur quibuſdam exemplis.

Non licet Sacerdoti 1 fugere, aut à Sacrificio abſtinere; quia ex Confeſſione didicit ſibi parari inſidias, aut venenum in vino Sacrificii fuiſſe immiſſum, ſi reus præconcepti criminis inde colligat pœnitentem nefandum conſilium detexiſſe, ac propterea iram in illum convertat. 2. denegare Sacramenta, puta Euchariſtiæ, Matrimonii, pœnitenti coram vel uno teſte poſtulandi, etiamſi ſine abſolutione illum dimiſerit, noveritque, ſe ex ſola Confeſſione Sacramentali, ligatum im-

impedimento dirimente. 3. Sacris interdicere Sacerdotem subditum, vel rejicere canonicè electum seu præsentatum propter crimina sola confessione detecta. 4. vitare excommunicatum qui confessus est se Clericum interfecisse.

R. 3. ex communi Theologorum sententia, licet uti notitia per Confessionem acquisita, si duo concurrant, nempe illibatum maneat secreti sigillum, & nullum inde pœnitens gravamen patiatur. Potest v.g. Confessarius frequentius orare pro pœnitente, quem ex Confessione novit versari in gravi salutis periculo, cautior esse in re familiari, quam à confitente didicit malè administrari; diligentiùs invigilare gregi suo, si sit Pastor; in concionibus generatim invehi in vitia, quæ occultè grassantur; fugere locum, ubi insidias sibi parari, & abstinere à Sacro faciendo, in quo enecandum se veneno à pœnitente præmonitus est, quando habet ad manum occasiones, & prætextus, quibus omnem infracti sigilli suspicionem amoveat, & pœnitentem in tuto collocet. Et ratio est, quia in hac hypothesi nec Sacramento, nec pœnitenti ulla fit injuria.

Dissemulandum tamen non est circa tertiam hancce responsionem occurrere nonnullos casus difficiles, qui dividunt Theologos.

1. Pœnitens, qui sine absolutione dimissus est ob pravam animi affectionem, nihilominus Eucharistiam petit à Confessario sine ullo teste, denegabitne Confessarius? quamvis enim sigillum Confessionis non infringat, nec ullum nocumentum pœnitenti inferat, quodammodo tamen ipsi exprobrat, & odiosam Confessionem reddit.

2. Episcopus statuerat apud se conferre Beneficium

ficium Sacerdoti optimæ famæ; sed ex ejus Confessione didicit esse flagitiosissimum, ambigitur an possit aut debeat mutare consilium?

3. Cùm non deessent Episcopo rationes removendi à sacro Officio Sacerdotem subditum, apud se decreverat illum dumtaxat commonere; sed audita ejus confessione, cognovit illum perditissimis esse moribus, & occasione sui officii alios corrumpere, ac propterea quamprimùm removendum; difficultas est, an Episcopus debeat à prima sententia recedere, cùm possit absque suspicionis periculo?

Affirmavit S. Thomas quodlib. 5. q. 7. art. 13. *Si ergo*, inquit, *amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in Confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspicionem habendam de ipso, nullo modo Prælatus deberet ab administratione amovere..... Si verò per admonitionem ab administratione peccatum nullatenus manifestaretur, deberet hoc facere cum debita cautela.* Eadem habentur in Supplem. qu. 11. art. 1. àd tertium. S. Bonaventura in 4. dist. 21. qu. 1. art. 2. eandem amplectitur sententiam: *Dicendum*, inquit, *quòd Presbyter debet dissuadere ei qui confessus est, & similiter Decanus Clerico; & si ille petat, debet differre: & nisi ille cogatur per Superiorem, (vel per scandalum populi) non debet nec matrimonium tale benedicere.* Similia docent Alexander de Hales parte 4. quæst. 74. artic. 1. ad 9. Gabriel in 4. dist. 21. quæst. unica. Paludanus in quartum, qu. 21. art. 3. Adrianus in 4. de Sacra Confessione, & alii quos appellat Suarez disp. 33. sect. 7. ubi scribit hanc sententiam esse communem. Et quamvis in oppositam magis inclinet, utpote securiorem; sectionem tamen in hæc verba conclu-

dit

dit, *quòd verò teneatur quis non uti illa ſcientia, affirmare non audeo propter dictorum auctorum ſententiam, quæ intelligenda eſt ubi prohibitio humana non intervenerit.* Enimverò cum timendum ſit, ne Sacerdos, non ita ſe cautè gerat, quin pœnitentes alicui ſuſpicioni exponat; Epiſcopi ad removendum omne periculum, Sacerdotibus ſubditis idem abſolutè prohibere poſſunt, quod Clemens VIII. Superioribus Regularibus, ne ſcilicet notitia per Confeſſionem comparata utantur ad exteriorem gubernationem. Sanbovius tamen Tomo 3. caſu 18. exiſtimat ſigillum Confeſſionis ita eſſe in tuto in allatis tribus exemplis, ut Confeſſarius non ſolum poſſit, ſed etiam ſub gravi peccato teneatur uti illa notitia: quin Natalis Alexander in ſua Theologia de ſigillo Confeſſionis regula 56. prohibitionem Clementis VIII. non extendit ad illos ſingulares caſus; quia ex Sancto Antonino, quem laudat, *negotium geritur inter ipſum* (Confeſſarium) *& Deum; unde poteſt ex iis, quæ ſcit ut Deus, judicare in propoſito.*

## §. VIII.

### *De Præcepto Eccleſiaſtico Confeſſionis.*

Hucuſque egimus de præcepto divino Confeſſionis Sacramentalis, & de iis, quæ illud ſpectant: nunc pauca dicenda ſunt de præcepto Eccleſiaſtico.

Neminem latet extare ejuſmodi præceptum, cùm omnes adhuc pueri inter prima Religionis Chriſtianæ rudimenta à parentibus didicerimus hanc eſſe Eccleſiæ legem; *Tous tes pechez confeſſeras à tout le moins une fois l'an.* Lata autem eſt illa lex in

in Concilio generali Lateranensi IV. an. 1215. canone *omnis utriusque sexus*, & confirmata à Synodo Tridentina seff. 14. c. 5. & can. 8. Verba Concilii Lateranensis sunt: *Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere .... alioquin & vivens ab Ecclesiæ ingressu arceatur; & moriens Christiana careat sepultura.* Plura in hac Canone continentur, sequentibus quæstionibus enucleanda. Itaque

Q. 1. *Quinam huic Ecclesiæ præcepto subjiciuntur?*

R. Omnes Fideles, sive masculi, sive fœminæ postquam ad annos discretionis pervenerint, hoc est, bonum à malo secernere cœperint, huic præcepto subjiciuntur. Prudens verò illa ætas accedit aliis citius, puta sexto vel septimo anno aliis tardius, scilicet octavo anno. Quapropter S. Carolus in Instruct. Confeff. monet Sacerdotes, ut pueros, & puellas etiam sex tantum annorum doceant hujus Sacramenti virtutem & usum; *observent tamen*, inquit, *Sacramentalem eis absolutionem non largiri, in quibus materia non solet reperiri, nec talis rationis usus, unde eos ad hoc Sacramentum suscipiendum capaces judicent.* Modus autem eos probandi semper mihi visus est idoneus, si, ubi deliquisse se agnoscunt, salutaria illis pro modulò dentur monita differanturque ad breve tempus explorandi causa, num ratione, an sensu dumtaxat ducantur; si enim quæ sibi dicta sunt secum revolverint & observarint saltem ex parte, dubium non est, quin honestum ab iniquo secernant, capacesque sint præcepti, & transgressionis ac proinde præcepto Confessionis astricti quamvis ad

per-

percipiendam Euchariſtiam nondum idonei, cùm juxta præſentem Eccleſiæ diſciplinam major ad eam requiratur conſideratio.

Q. 2. *Quando obligat illud præceptum?*

R. Quolibet anno ſemel. Qua autem anni parte uſus, non lex ipſa determinavit, ſcilicet tempus Quadrageſimæ: *quem morem*, inquiunt Patres Tridentini ſeſſ. 14. c. 5. *hæc ſancta Synodus maximè probat, & amplectitur tanquam pium &... retinendum.* Sed in Eccleſia Gallicana Libri Rituales aſſignant tempus Paſchale à Dominica Palmarum, ad Dominicam in Albis incluſivè, & Clerus Gallicanus ann. 1625. 1635. & 1646. declaravit omnes teneri tunc temporis confiteri proprio Sacerdoti, aut alteri de ejus conſenſu.

Q. 3. *Qui conſcii non ſunt niſi peccati venialis, tenenturne illa lege?*

Certum eſt non teneri lege divina, cùm ex inſtitutione Chriſti peccata venialia non ſint neceſſariò clavibus Eccleſiæ ſubjicienda. Videtur quoque extra controverſiam, Eccleſiam poſſe præcipere, ut omnes tempore Paſchali confiteantur, etiam ii, qui conſcientiam non gerunt, niſi peccati venialis: nam Clementina, *in agro Domini,* Monachi jubentur confiteri quolibet menſe, & Godegrandus Epiſcopus Metenſis octavo ſæculo ſtatuit in ſua Regula, ut *Monachi in unoquoque Sabbato confeſſionem ſuam faciant cum bona voluntate Epiſcopo, aut Priori ſuo.* Quis autem crediderit leges illas ſupponere viros religioſos ſingulis menſibus, aut hebdomadibus conſcientiam ſuam peccatis lethalibus commaculare?

Quæſtio igitur eſſe poteſt dumtaxat, an Concilium Lateranenſe legi annuæ Confeſſionis actu

&

& de facto subjecerit eos, qui nonnisi peccati venialis sunt conscii?

R. Dissentiunt Theologi.

Negant non pauci; quia ex Tridentina Synodo sæpius cit. cap. 5. sess. 14. Concilium Lateranense novam legem non sanxit, sed solum statuit ut divinum præceptum Confessionis, saltem semel in anno, ab omnibus & singulis impleretur. Atqui præceptum divinum non obligat ad confitenda peccata venialia. Ergo.

Affirmant verò S. Bonaventura in 4. dist. 17. pag. 2. art. 1. q. 2. & S. Thomas eadem dist. q. 3. art. 1. quæstiunc. 3. ad tertium, ubi sic habet: *ex vi Sacramenti non tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex institutione Ecclesiæ, quando non habet alia, quæ confiteatur.* Cui sententiæ plures è recentioribus astipulantur. Et ratio est, quia si lex Ecclesiastica nonnisi reos peccati mortalis ligaret, fideles cogi non possent ad Confessionem Sacramentalem, non solùm tempore Paschali, sed etiam in toto vitæ decursu; quivis enim, exceptis qui in judicio convicti sunt, opponere posset nullius criminis se esse conscium, ac proinde frustra minæ interdicti, & excommunicationis contra eos, qui tempore Paschali præcepto Ecclesiæ non obtemperaverint. Ergo ut præceptum divinum Confessionis religiosè servetur, & illius contemptores Communione Ecclesiastica privari possint, necessum fuit, ut Ecclesia omnes & singulos etiam solius venialis culpæ conscios lege sua constringeret; & ita corruit fundamentum negantis sententiæ.

Q. 4. *Satisfitne præcepto annuæ Confessionis per sacrilegam Confessionem?*

R. Mi-

R. Minimè : tum quia contraria opinio proſcripta eſt ab Alexandro VII. anno 1665. & à Clero Gallicano anno 1700. tum quia Confeſſio ſacrilega eſt nulla ; debitor autem non ſatisfacit per nummum adulterinum ; tum denique quia lex Eccleſiaſtica eſt determinatio divini præcepti implendi certo tempore : atqui præceptum divinum non impletur per Confeſſionem ſacrilegam, Chriſtus enim præcepit Confeſſionem ſacramentalem ut medium neceſſarium ad ſalutem : porrò Confeſſio ſacrilega eſt ſalutis obſtaculum, nedum medium.

Ergo reus eſt duplicis peccati, qui fictè confitetur tempore Paſchali, quo diximus urgere præceptum annuæ Confeſſionis : 1. reus eſt ſacrilegii propter irreverentiam erga Sacramentum : 2. inobedientiæ propter Eccleſiæ præceptum, quod non implevit. Unde qui ſe accuſat acceſſiſſe ad tribunal pœnitentiæ ſine neceſſariis diſpoſitionibus, tenetur exponere circumſtantiam violati præcepti Eccleſiaſtici.

Q. 5. *Qui toto anni curſu non eſt confeſſus, teneturne quamprimum ſatisfacere Eccleſiæ præcepto?*

R. Tenetur ; quia Eccleſia iſtam ſanxit legem, ne ultra annum protraheretur divini mandati executio : atqui debitor, qui non ſolvit debitum tempore præſcripto, liber non eſt à debito, ſed tenetur quantociùs ſolvere : ergo qui præceptum Confeſſionis annuæ non implevit tempore ab Eccleſia determinato, tamdiu peccat, quamdiu cauſa procraſtinat.

Dices : qui die Dominica ſacro ex culpa non interfuit, non tenetur Sacrum audire die ſequenti : ergo à pari.

Nego consequentiam & paritatem. Ratio disparitatis est, quòd præsentia Missæ Sacrificio sicut & vocatio ab operibus servilibus non præcipiantur, nisi ob diem sacram, sintque religiosi ritus, & veluti circumstantiæ ipsi indivulsè effixæ. Contra vero, præceptum Confessionis annuæ propter se primariò imponitur, licèt tempus illius implendi designetur festum Paschæ. Unde qui præceptum illud omisit tempore præfixo, illud postmodum implere tenetur, quemadmodum qui non jejunavit die Veneris ex mandato Confessarii; postea jejunare tenetur, quia jejunium primariò fuit impositum in expiationem peccati, secundariò tantùm in diei reverentiam.

Q. 6. *Pœna interdicti, de qua Canon, estne latæ sententiæ, aut ferendæ?*

R. Est ferendæ dumtaxat, ut patet ex verbis Canonis. Quare Parochus non potest arcere ab ingressu Ecclesiæ, nec privare Ecclesiastica sepultura Parochianum, qui in Paschate non est confessus, nisi priùs intervenerit sententia Superioris.

Q. 7. *Quis est proprius Sacerdos in mente Concilii Lateranensis?*

R. Celebris est ista quæstio, cujus occasione diu multumque agitata est Ecclesia gravibus Theologorum variè opinantium discordiis & dissidiis.

Prima sententia fuit eorum, qui volebant proprium Sacerdotem ita strictè & rigorosè intelligi Parochum, ut excludantur Episcopi, & ipse Summus Pontifex, nec posse fieri; ne divinitus quidem, ut stante illo Concilii Decreto, validè quis confiteatur suo Episcopo, aut Summo Pontifici; quia

quia (inquiebant illi) manifesta esset contradictio non posse quempiam alteri confiteri, quàm proprio Pastori, seu alteri Sacerdoti de ejus consensu, & simul posse confiteri seu Episcopo, aut Summo Pontifici, vel aliis Sacerdotibus de eorum consensu.

Refellitur hæc sententia. 1. Sæpius damnata est, ac 1. quidem in Guillelmo de Sancto amore, & nonnullis Theologis Parisiensibus ab Alexandro IV. anno 1255. 2. in Joanne de Poliaco etiam Theologo Parisiensi, à Joanne XXII. anno 1321. 3. à Clero Gallicano anno 1655. occasione cujusdam Libri anonymi, in quo suscitabatur error Guillelmi de Sancto amore, & Joannis de Poliaco.

Refellitur 2. ex absurdo; quia si Parochianus haberet casus reservatos Episcopo vel Summo Pontifici, non posset absolvi à Parocho propter casus reservatos, nec etiam ab Episcopo aut Summo Pontifice, nisi priùs uterque potestatem accepisset à Paracho absolvendi à casibus communibus, quo longè est absurdissimum.

Refellitur 3. quia Canon ille conditus est à Summo Pontifice, & Episcopis simul congregatis. Atqui nec Summus Pontifex, nec Episcopi voluerunt, quin nec potuerunt sibi adimere jus à Deo indivulsè annexum suæ dignitati.

Secunda Sententia extremè opposita est quorumdam Regularium, qui contendunt per proprium Sacerdotem, intelligendum eum omnem, qui habet jurisdictionem ordinariam, qualem habent Summus Pontifex, Episcopi, & Parochi, qui eam delegare possunt quibus voluerint, opponique à Concilio Sacerdotem proprio Sacerdoti

 alieno,

alieno, qui nec ordinariam; nec delegatam habet jurisdictionem. Ex qua interpretatione sequitur Regulares posse excipere Fidelium Confessiones, etiam tempore Paschali, invitis Parochis & Episcopis, modò habeant consensum Summi Pontificis; namque ex Concilio Lateranensi omnes Fideles tenentur, saltem semel in anno, confiteri proprio Sacerdoti, vel alteri de ejus consensu: atqui Summus Pontifex est proprius Sacerdos omnium Fidelium, cùm jurisdictionem habeat ordinariam in tota Ecclesia; & Regulares ab ipso licentiam acceperunt excipiendi Confessiones omnium Fidelium quovis tempore; id enim ipsis concesserunt Alexander IV. anno 1256. Clemens IV. anno 1265. Bonifacius VIII. anno 1295. Benedictus XI. anno 1304. Eugenius IV. anno 1446. Leo X. anno 1516. & plures alii ante Concilium Tridentinum: post Concilium verò Tridentinum Clemens VIII. anno 1592. Innocentius X. in Brevi ad Archiepiscopum Burdigalensem anno 1645. in quo sic scribit: *Non potest Archiepiscopus Burdigalensis prohibere Regularibus habentibus Regularia Apostolica, ne à Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis inclusivè administrare valeant personis sæcularibus Sacramentum Confessionis.* Clemens X. in sua Constitutione, *Superna*, anno 1670. in qua sic decernit, *eos, qui dictis Religiosis simpliciter approbatis Paschali tempore confessi fuerint*, *Constitutioni*, *quæ incipit.* Omnis utriusque sexus, *quoad Confessionem duntaxat*, *satisfecisse censendos.* Quodnam autem judicium ferendum sit de hac sententia, & cujus ponderis sint momenta, quibus nititur, patebit ex dicendis, in confirmationem tertiæ sententiæ.

Tertia

Tertia igitur ſententia, cui ſubſcribimus, ſed de qua judicium Sanctæ Sedis auctoritati deferimus, media incedit inter duas recenſitas, aſſeritque per proprium Sacerdotem ita deſignari Parochum, ut non excludantur Summus Pontifex & Epiſcopi, quemadmodum Rex, dum conſtituit Judices in Provinciis & Urbibus, apud quos incolæ jura ſua proſequi tenentur, non adimit ſibi poteſtatem adſciſcendi ad ſuum ſupremum tribunal controverſias ibidem naſcentes, quoties expedire judicaverit.

Probatur 1. quia proprius Sacerdos eodem ſenſu cit. Canone uſurpatur, quo Canone 32. ejuſdem Concilii Lateranenſis: atqui Canone 32. proprius Sacerdos eſt ipſe Parochus, ſic enim habet: *Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem, de proventibus Eccleſiæ, quæ curam proprii Sacerdotis debet habere, penſionem alii quaſi pro Beneficio conferre præſumat.* Hic proprius Sacerdos non poteſt intelligi, niſi Parochus; in eo quippe Decreto Patres occurrunt abuſui quorundam Parochorum, qui lucri deſiderio alienos Parochianos ad ſe pertrahebant, iiſque communionem Paſchalem impertiebant, & eo titulo jus decimas ab illis percipiendi ſibi arrogabant. Iſtum abuſum jam pridem compreſſerat Theodulphus Aurelianenſis Epiſcopus in ſuo Capitulari 15. *Nullus Presbyter fidelibus de alterius Presbyteri Parochia perſuadeat, ut ad ſuam Eccleſiam concurrant, relicta propria Eccleſia, & ſuas decimas ſibi dent.*

Probatur 2. ex Summis Pontificibus, qui nomine proprii Sacerdotis Parochum intellexerunt, ut Innocentius Quartus anno 1250. Martinus IV. anno 1281 Conſtitutione, quæ incipit, *Ad uberes:*

*res : Volumus*. inquit, *ut qui Fratribus confitebuntur, ſuis Presbyteris Parochialibus confiteri ſaltem ſemel in anno, prout Generale Concilium ſtatuit, teneantur.* Benedictus XI. anno 1340. in Extravagante, *inter cunctas ;* Sixtus IV. anno 1478. Conſtitutione, *vices illius*, *de jure tenetur Parochianus ſaltem in Paſchate proprio confiteri Sacerdoti.* Innocentius VIII. anno 1490. in Epiſt. ad Officialem Tornacenſem mandat, ne Mendicantes de cetero Parochianos à confitendo ſua peccata Rectoribus Parochialibus abſtrahere, & eoſdem ad id non teneri prædicare præſumant.

Probatur 3. ex Conciliis Provincialibus à Synódo Lateranenſi uſque ad hanc diem celebratis, quæ nomine proprii Sacerdotis Parochum intellexerunt, ut Toloſanum anno 1228. c. 13. Arelatenſe anno 1260. cap. 10. Senonenſe anno 1269. c. 4. Colonienſe anno 1282. cap. 8. Rothomagenſe anno 1299. cap. 6. Cameracenſe anno 1551. Mediolanenſe I. ſub S. Carolo anno 1565. Remenſe anno 1583. Burdigalenſe anno 1629. & plura alia.

Dices : tertia hæc ſententia eſt planè eadem cum ſecunda, nec videtur ab ea differre, niſi in modo loquendi. Ergo non eſt cur pro ea pugnetur adverſus ſecundam.

Probatur antecedens. In utraque ſententia Fideles ſatisfaciunt præcepto Confeſſionis annuæ, ſi peccata ſua confiteantur ſive Summo Pontifici, ſive Epiſcopo, ſive Parocho, ſive alteri Sacerdoti de eorum conſenſu. Ergo perinde eſt, ſi in Canone : *Omnis utriuſque ſexus*, proprius Sacerdos ſit Summus Pontifex, vel Epiſcopus, vel Parochus, cùm in utraque ſententia Fideles præceptum Con-

Confessionis annuæ impleant, si ex consensu Summi Pontificis, vel Episcopi, confiteantur alteri Sacerdoti, quàm Parocho, ac proinde nulla debet esse controversia inter Parochos secundæ & tertiæ sententiæ.

Nego antec. Quia si proprius Sacerdos non est ipse Parochus, ut contendit secunda sententia, Regulares ex generali delegatione sive Pontificis, sive Episcopi, possunt, sive consensu Parochi, excipere annuas Parochianorum Confessiones; secus, si in laudato canone Parochus designetur, quia juxta hanc posteriorem interpretationem Fidelibus præcipitur non simpliciter ut semel in anno confiteantur, sed speciatim, ut confiteantur proprio Parocho, vel alteri Sacerdoti de ejus consensu. Ergo cùm ista Confessio sit Parocho reservata, Regulares eam excipere non possunt ex generali facultate à Summo Pontifice, vel ab Episcopo sibi concessa audiendi Confessiones Fidelium; quia ex Regula 81. Juris in sexto, *in generali Concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus.* Episcopus v.g. qui Sacerdoti facultatem generatim concedit sacramentaliter absolvendi per totam suam Diœcesim, non censetur tribuere facultatem absolvendi quascumque personas etiam Moniales, nec à quibuscunque casibus etiam ipsi reservatis, nec in quavis Confessione etiam Parochis reservata; gratia enim non præsumitur facta contra legem specialem, nisi superior expresè declaret velle se in hac parte legi derogare.

Instabis: Ex concessis Regulares ex speciali gratia Episcopi possunt excipere Confessiones annuas Parochianorum non consentientibus, reni-

tentibus etiam Parochis: Ergo cùm nonnulli Episcopi specialem illam gratiam faciant omnibus Regularibus, quos approbant ad Confessiones excipiendas, non est cur ipsi reclament, si quando Summus Pontifex iisdem Regularibus similem gratiam concedat, cùm ampliorem habet potestatem quàm Episcopi.

Respondeo 1. Retorquendo argumentum. Summus Pontifex ampliorem habet potestatem quàm Episcopi: Ergo æquè, imo magis ipsi competit, quàm Episcopis approbare Regulares, & alios quosvis Sacerdotes ad Confessiones excipiendas, quod ne ipsi Regulares asserere auderent contra tam multiplices Summorum Pontificum declarationes.

Respondeo itàque 2. Negando consequent. Quia non agitur hìc de potestate Summi Pontificis, quam agnoscimus jure divino superiorem & ampliorem esse in ipso, quàm in Episcopis, sed de competente usu ejusdem potestatis; illam enim, quantacunque sit, non accepit Summus Pontifex, nisi in ædificationem: ad ejusmodi autem usum requiritur examen personarum, variarum circumstantiarum, & rerum singularium notitia, quam Summus Pontifex habere non potest uni loco affixus, & generalibus totius Ecclesiæ negotiis distentus. Sicut igitur non tam ex potestatis, quàm notitiæ defectu sua Rescripta in causis matrimonialibus & beneficiariis, ac cæteras ejusmodi gratias ad judicium Episcopi, aut ejus Officialis remittit; ita nec Concilium Tridentinum Episcopos supra Summum Pontificem erexit; dum decrevit nullum Sacerdotem sine cura animarum idoneum esse ad excipiendas Confessiones sæcularium,

larium, etiamſi Privilegiis Sedis Apoſtolicæ gaudeat, niſi in examine Epiſcopi fuerit approbatus; Sed hocce Decreto ſignificavit dumtaxat penes ſolus Epiſcopos eſſe expendere dotes ſingulorum Sacerdotum, quando, & ubi eorum miniſteria plebi ſibi commiſſæ poſſunt eſſe utilia.

Non eſt igitur cur querantur Parochi, quòd Epiſcopi, qui in Comitiis generalibus anni 1655. honorificum iſtud teſtimonium Summis Pontificibus reddunt: *Depuis le Concile de Trente il n'y a point d'occaſion où le Pape ne renvoye tous les Reguliers aux Eveques, pour recevoir d'eux le pouvoir de confeſſer; & ils ne l'ont point, s'ils n'obtiennent effectivement leur approbation;* Ipſi tamen eandem agendi rationem erga Parochos non ſemper obſervent; ſed quandoque Regulares delegent ad excipiendas annuas Confeſſiones Parochianorum, etiam non requiſito conſenſu Parochorum. Sicut enim alius eſt ordo Epiſcopi ad Summum Pontificem, & Parochi ad Epiſcopum; ita debet eſſe alia agendi ratio. Chriſtus in Eccleſia poſuit Epiſcopos, qui, ſervato ordine ad Summum Pontificem, Diœceſes ſuas propria auctoritate adminiſtrarent, curas ſuas in omnes & ſingulos Fideles ſibi ſubditos conferrent, & proficua quæque eorum ſaluti providerent. Ad opus autem tam arduum ac varium cooperatores illis dedit Parochos. Cooperatores de induſtria dico, ne Parochi videantur tanquam medii Parochianos inter & Epiſcopos, quemadmodum Epiſcopi inter plebem ſibi ſubditam, & Summum Pontificem. Epiſcopi quippe jure ordinario & immediato æquè Parochianis præſunt ac Parochis, poſſuntque Parochiani omiſſo Parocho, ad Epiſcopum immediatè recurrere;

rere; non verò ad Summum Pontificem, omiſſo Epiſcopo, niſi in caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Illud agnoverunt Parochi Pariſienſes in ſua publica declaratione oblata Clero Gallicano anno 1656. Illud ſemper docuit Sacra Facultas Pariſienſis, confirmavitque in Cenſura lata anno 1664. in Librum Jacobi de Vernant, in qua agnoſcit poteſtatem juriſdictionis Curatorum eſſe immediatè à Chriſto, quantum ad primariam inſtitutionem, *ſalva ſemper immediata Epiſcoporum in Prælatos minores ſeu Curatos, & plebem ſubditam auctoritate.*

Quæ cùm ita ſint, non mirum ſi Summus Pontifex Sacerdotes etiam Regulares ad examen Epiſcoporum ſemper remittat, an ſpectatis omnibus circumſtantiis deputandi ſint ad Confeſſiones excipiendas; Epiſcopi vero eos, inconſultis Parochis deputent, ubi, vel neceſſe eſt, puta, cum Parochus injuſtè Parochiano denegat facultatem confitendi extra Parochiam, vel ſaltem expedit propter rationes ipſis notas.

Q. 8. *Faciuntne ſatis præcepto Confeſſionis annuæ, qui ſine licentia Parochi extra Parochiam confitentur Sacerdotibus generatim tantùm approbatis?*

R. Si adſit conſenſus tacitus Epiſcopi, ut in Diœceſibus; ubi non urgetur executio Canonis *Omnis utriuſque ſexus*, ſatisfaciunt: ſecus, ſi eam Epiſcopus urgeat, ut in Diœceſi Remenſi, Sueſſionenſi, Catalaunenſi, & Virdunenſi, in quibus ejuſmodi Confeſſio declaratur irrita & iteranda.

Q. 9. *Parochi debentne faciles ſe exhibere Parochianis petentibus licentiam confitendi extra Parochiam?*

R. Debent: Tum quia id præſcribunt Concilia ut Burdigalenſe anno 1624. S. Carolus in unde-

undecima Synodo Diœcesana: tum quia experientia docet Curatos in spirituale Parochianorum detrimentum, & æternæ damnationis periculum austeriores hìc se præbere; gravia enim inde sequuntur peccata, & plura sacrilegia, quæ si perspecta haberent Curati, non ita sibi indulgerent, quòd Parochianos eò adduxerint, ut omnes peccata sua apud ipsos deponant. Optandum quidem est, ut ubi laudabilis viget disciplina, & Pastor sincero salutis Parochianorum studio ardet, singuli arcana suæ conscientiæ ipsi exponant; sed timendum magis ne noxius pudor ora occludat, & sacrilegia usu Sacramentorum usque ad mortem multiplicet. Quapropter operæ pretium fuerit Parochum identidem extraneos Sacerdotes ascifscere, maximè si solus in Parochia Confessiones excipiat, hortari ac urgere Parochianos, ut illis se sistant; si enim Ecclesia solatium illud ac levamen Monialibus ter singulis annis providit, quantò minùs denegandum est rudioribus & rusticis? *Peccaret Sacerdos*, inquit S. Thomas in 4. sent. & in supplem. quæst. 8. art. 4. *si non esset facilis ad præbendam licentiam alteri confitendo; quia multi sunt adeò infirmi, quòd potius sine Confessione morerentur, quàm tali Sacerdoti confiterentur. Unde illi qui sunt nimis solliciti; ut conscientias subditorum per Confessionem sciant, multis laqueum damnationis injiciunt, & per consequens sibi ipsis.*

Q. 10. *Licetne Parochis copiam facere petentibus Parochianis adeundi quos voluerint ex Sacerdotibus ab Episcopo approbatis?*

R. Licet, si bene sint morati: secùs si malè, videanturque petere in fraudem disciplinæ; rationem enim

enim Deo redditurus eſt Paſtor de ovibus, quas curæ ipſius commiſit; & ſi una ex iis perierit, ejus ſanguinem de manibus ipſius requiret.

Dices: In tuto eſt illius conſcientia, qui prudenter agit: atqui prudenter agit paſtor, qui oves ſibi creditas iis committit, quos Prælatus peritos & idoneos probavit, & judicavit: Ergo.

Vim potiſſimùm in hoc argumento faciunt, hinc Parochi, qui vultum potentiorum verentur, & propriæ quieti magis conſulunt, quàm ſubditorum ſaluti: inde ficti pœnitentes qui minùs animæ ſuæ vulnera curare, quàm occultare ac fovere ſunt ſolliciti, ſed quàm ſit infirmum ac futile ſtatim patebit. Itaque

Reſpondeo 1. Diſtinguendo minor. Si aliunde non conſtet obreptitiè obtentam eſſe approbationem, Conc. Si conſtet, Nego minor. Quia Prælatus ipſe ſuam ſententiam reſcindit, ubi ſibi obreptum comperit: aut enim imperitos judicavit peritos falſo aliorum teſtimonio deceptus: aut cùm eſſent periti, imo peritiſſimi, ad nutum ejus in examine reſponderunt, cùm in praxi laxiores & perniciosas ſequantur opiniones, aut ſanæ ſunt doctrinæ, ſed mollioris indolis, & ad omnem auram mobilis. Ejuſmodi autem vitia non in examine, ſed ſola experientia, & uſu deprehendi queunt. Denique Parochus in propria cauſa non ſtaret judicio ſui Prælati per obreptionem contra ſe lato: quis ergo in cauſa Chriſti, in qua agitur de æterna ſalute ovium, quas proprio ſanguine redemit, non timet illud opponere contra notam veritatem?

Reſp. 2. Eſto extranei Confeſſarii ſint omnes peritiſſimi, ſanæ doctrinæ, & acerrimi legis tum divi-

divinæ, tum Ecclesiasticæ vindices, adhuc timendum est ex parte ficti pœnitentis, nisi mittatur ad probatos Confessarios, qui ex publica fama illum noverint; is quippe, cùm religio illi non sit usuras exercere, contractus injustos inire, officio suo etiam in gravioribus deesse, certò certiùs Confessario prudentissimo obrepet ignotus.

# CAPUT X.

## De Satisfactione.

Ista pœnitentiæ pars tertia videri posset non admodum necessaria, cùm ex dictis sit tantùm pars integrans, sine qua Sacramentum exire potest. Sed immeritò; quamvis enim satisfactio in actu non sit essentialis pœnitentiæ, sicut nec homini actuale judicium, nec arbori fructus; ad illam tamen pœnitentia necessariò ex natura sua tendit, non secus ac radix ad fructum, ad quem inserta est, & natura humana ad ratiocinandum; adeò ut quemadmodum homo non est, qui rationalis non fuerit; ita nec verè pœnitens dicendus sit, qui in votis non habet plenam exhibere satisfactionem, quam exigit divina justitia. Hoc præstructo fundamento

Circa satisfactionem quatuor elucidanda occurrunt. Primum, ejus nomen & definitio: Secundum, utilitas: Tertium, necessitas: Quartum, conditiones, nempe an satisfactio debeat esse supernaturaliter bona: an ab homine justo & viatore: quæ quantitas ipsi competat: an possit relaxari per indulgentias: an secreta aut publica esse debeat?

§. I.

## §. I.

## *De nomine & definitione Satisfactionis.*

Q. 1. *Unde Satisfactionis nomen?*

R. A verbo, *facio*, & voce, *satis:* ita ut satisfacere Deo, idem sit ac tantum præstare, quantum ad ulciscendam injuriam ipsi per peccatum illatam satis esse possit, quia, ut habet Catechismus Romanus numer. 85. de Satisfactione, *quod satis est, ei nihil videtur deesse.* Hinc satisfacere Deo, apud S. Anselmum, est Deo debitum honorem impendere; & apud alios est injuriam per peccatum illatam compensare.

Q. 2. *Poteſtne quis Deo facere satis pro injuria ipsi illata, & læsum honorem ipsi restituere?*

R. Cùm plena & cumulata satisfactio pro offensa infinita debeat esse infiniti valoris, solus Christus verus Deus & homo illam exhibere potuit: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*, inquit S. Joannes 1. epistol. cap. 2. Sed qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante, omnia possumus; ipsum quippe dedit Deus caput Ecclesiæ, *quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus*, Ephes. 1. v. 23. ut ipso & per ipsum nos tanquam ejus membra debitam Deo satisfactionem pendamus; omnisque gloriatio nostra sit in Christo, inquiunt Patres Tridentini sess. 14. c. 8. *in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri & per illum acceptantur à Patre.* Ex quibus satis intelligitur nostris satisfactionibus vim meriti & satisfactionis Christi non modò non obscurari, aut ex aliqua parte minui, ut garriunt Nova-

Novatores; ſed contra ampliùs demonſtrari ac commendari, quemadmodum in ordine naturali ex efficacia, qnam Deus indidit cauſis ſecundis, colligitur infinita ejus virtus & potentia.

Q. 3. *Quare ſatisfactio præ omnibus Sacramenti partibus ſimpliciter & abſolutè vocatur pœnitentia?*

R. 1. Quia pœnitentia dicitur à pœna, quæ maxime in ſatisfactione elucet; ſatisfit enim Deo piis afflictationibus & laborioſis operibus: *Hoc pretio*, inquit Tertull. lib. de pœnit. c. 6. *Dominus veniam addicere inſtituit; hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem.* 2. Quia piæ illæ exercitationes ſunt fructus pœnitentiæ, propter quos Deus virtutem ipſam in cordibus inſerit: cùm igitur arbor ex fructibus non ſolùm dignoſcatur, ſed etiam denominetur, æſtimeturque, verbi gratia, arbor oleagina ex oleis quas producit, ſemen vineaticum ex vino ad quod ſeritur, conſequens eſt ut fructus ipſe magis ſibi vindicet nomen quod radici communicat.

Q. 4. *Quomodo definitur Satisfactio?*

R. Definiri poteſt, pœnæ acceptatio, & voluntaria perpeſſio à Confeſſario injuncta, tum ad redintegrandam amicitiam cum Deo per peccatum violatam, tum ad compenſandam injuriam ipſi illatam.

Dicitur 1. *Pœna*, hoc eſt, operis moleſti; ſatisfactio enim fit in vindictam, ac proinde debet habere aliquid incommodi. In hoc autem ſtatu naturæ corruptæ, in quo corpus aggravat animam, omnia virtutis officia, etiam Religionis ut oratio, non perficiuntur ſine aliqua defatigatione & moleſtia, ideoque poſſunt eſſe ſatisfactionis materia. Laus Dei in cœlo habet rationem præmii: in

in terris verò laboris & meriti, ſi ſit diuturna, nam momentanea oratio vix ullam parit moleſtiam. Sacerdos igitur (ne unam oratiunculam, verbi gr. Pſalmi verſiculum præſcribat in ſatisfactionem) meminerit ſatisfactionem eſſe pœnam, quo nomine differt à reſtitutione, quæ non eſt pœna, cùm in rebus verſetur, non verò in actionibus ſicut ſatisfactio.

Dicitur 2. *Acceptatio & voluntaria perpeſſio;* invita enim & coacta non foret Deo accepta, nec virtutis opus.

Dicitur 3. *A Confeſſario injuncta;* ut diſtinguatur Satisfactio ſacramentalis ab iis, quas ſpontè eligimus, vel Deus morbis, & aliis adverſis caſibus nobis imponit in peccatorum noſtrorum vindictam; ut enim ſatisfactio ſit pars Sacramenti, auctoritate clavium injungatur neceſſe eſt.

Dicitur 4. *Ad redintegrandam cum Deo amicitiam;* Qui enim in Deum peccat, amicitiam ſimul & juſtitiam violat, ac proinde utramque reparare debet. Et quamvis una & eadem actione amicitiæ ſimul & juſtitiæ ſatisfieri poſſit, ſæpè tamen contingit, ut una actio ſolam juſtitiam reſtauret, ut videre eſt in reo, qui à Judice plectitur; hic quippe juxta Juſtitiæ legem, tantum ſatisfactionis alteri pendit ſupplicio ſuo, quantum injuriæ ipſi intulerat, ſed ſolutam amicitiam non redintegrat. Atqui nullus pro illata Deo injuria ſatisfacere poteſt, niſi priùs ſit ſollicitus in gratiam ejus redire, & violatam amicitiam reſtituere. Ergo ſatisfactio tendere debet ad reformandam læſam Dei amicitiam.

Dices: Satisfactio ſupponit culpam contritione, vel abſolutione deletam, ac conſequenter reſtitu-

ſtitutam amicitiam ; non enim deletur culpa ſine charitate, quæ eſt vera cum Deo amicitia: Ergo ſatisfactione non redintegratur Dei amicitia.

Diſtinguo anteced. Satisfactio culpam deletam ſupponit aliquando, Conc. Semper, ſubdiſtinguo; ſatisfactio ex condigno, & ex opere operantis, Conc. Satisfactio ex congruo, & ex opere operato, Nego anteced. Verum quidem eſt opus ex ſe de condigno meritorium & ſatisfactorium præſupponere gratiam ſanctificantem ſeu charitatem, per quam fit remiſſio peccatorum, & reſtituitur cum Deo amicitia; ſed ut tam excellens beneficium obtineatur, læſa per peccatum divina Majeſtas priùs lachrymis & laborioſis operibus placanda eſt: *Conſtat Deum*, inquit S. Auguſtinus libro de dono perſeverantiæ cap. 16. *alia danda etiam non orantibus, ſicut initium fidei, alia non niſi orantibus præparaſſe.* Atqui de fide eſt Deum peccatoribus non reconciliari, niſi fuerint rite diſpoſiti. Illos quidem conſopitos, ac veluti mortuos, nedum orantes gratia ſua prævenit, excitatque; ſed ut dignis pœnitentiæ fructibus cum ipſo reconciliari mereantur: *Volo reus veniam ſperet*, inquit S. Ambroſius libro de pœnit. c. 16. *petat lacrymis, petat totius Eccleſiæ precibus.* Et Tertullian. lib. de pœnitentia cap. 6. *Quàm porrò ineptum, quàm pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere, hoc eſt, pretium non exhibere & ad mercem manum emittere? . . . . . Peccator ante veniam deflere ſe debet, quia tempus pœnitendi, idem quod periculi & timoris. Neque ego renuo divinum beneficium, id eſt, abolitionem delictorum, inituris aquam* (Baptiſmi) *omni modo ſalvum eſſe; ſed ut eò pervenire contingat, elaborandum eſt.* Et cap. 9. de Sacramento

Pœnitentiæ, *satisfactio confessione disponitur*, *confessione pœnitentia nascitur*, *pœnitentia Deus mitigatur*. Porro laboriosa illa pœnitentiæ opera sunt meritoria & satisfactoria, non quidem de condigno, & ex opere operantis, cùm præcedant gratiam sanctificantem; sed de congruo, & ex opere operato, hoc est, virtute clavium; quatenus enim injuncta sunt à Sacerdote, evadunt partes Sacramenti, & signa efficacia reconciliationis cum Deo, & remissionis pœnæ peccatis debitæ, *in quantum non peperceris tibi*, inquit Tertullianus cit. cap. 9. *in tantum tibi Deus parcet.* Et Sacerdos confitenti, eò leviorem imponet satisfactionem post absolutionem peragendam, quò graviores ille à se ipso pœnas jam repetierit.

Instabis: Atqui satisfactio secundùm præsentem Ecclesiæ disciplinam, non peragitur nisi restituta per absolutionem cum Deo amicitia: Ergo satisfactio non est ad redintegrandam amicitiam.

Nego consequent. Namque 1. salva hodierna Ecclesiæ disciplina, quam improbare nefas, absolvi nec debent, nec possunt qui non fecerunt satis ad reformandam cum Deo amicitiam, nec omnem penitus obicem è corde eraserint, atqui ex S. Thoma, gratia secundùm consuetum agendi modum naturam imitatur, ab imperfectis ad perfectiora progreditur, nec uno temporis puncto corda integrè immutare solet, sed multis precibus, vigiliis, & laboriosis exercitationibus ad justificationem disponit. Consule, quæ in hanc rem diximus Tractatu de Gratia pag. 441. & Tertullianum lib. de pœnitentia cap. 6. Ergo Confessarius, cùm pœnitentem mala consuetudine fœtentem, necdum manum moribus emendandis admovisse,

sed

ſed faucibus ſcelus adhuc exhalantibus, ut loquitur S. Cyprianus ſer. de lapſis, cum vana attritionis ſpecie, quam in animo finxit, ad tribunal accedere animadvertet, eum ad tempus dimittat oportet, precibus injunctis, & piis operibus, quibus Dei amicitiam promereatur. 2. Satisfactio, quæ à Sacerdote vices Dei gerente, poſt abſolutionem implenda decernitur, ſpectanda eſt, ut genuinus pœnitentiæ fructus, ad quem contritio, ſive perfecta, ſive imperfecta ex natura ſua tendit: atqui contritio ex natura ſua tendit ad faciendum Deo ſatis pro violata amicitia & juſtitia: Ergo pœnitens ſatisfacere debet ob violatam Dei amicitiam & juſtitiam.

Ergo venia aliter impetratur à Deo, aliter ab hominibus. Læſi homines hoc unum à reo repetunt, ut ſcilicet violatam juſtitiam reſtauret, tantùmqe ſe coram eis dejiciat, quantùm ſe adversùs eos contumaciter erexerat; nec laborant quo animo id præſtat, modò æqualitatem quam juſtitia præſcribit, reponat. Contra verò Deus veniam non indulget, niſi iis, qui prævia præſtiterint ad amicitiam cum eo conjungendam, Patrem ſe meminit, amorem à filiis exigit, nec peccatori ignoſcit qui ſine pietatis ſenſu, ſed ſolo exhæredationis timore coactus veniam petit. Denique de fide eſt peccata non dimitti, niſi per charitatis infuſionem, hoc eſt, Deum veniam petenti non concedere, quin illum ſimul conſtituat ſibi amicum, ejuſdem ſecus ſpiritus ac voluntatis, proindeque priùs diſpoſitum ad inchoandam novam vitam, & animo præparatum ad exequendum primum ac maximum mandatum, quo Deus toto corde diligitur. Iſtud Catholicum dogma minùs

quàm par ſit auribus Fidelium inculcatur; peccatores enim plerique non alia ratione veniam petunt à Deo, quàm ab homine, nullatenus ſoliciti de reformanda cum eo amicitia, modò iratum illum non ſuſtineant. Hinc veniæ conditiones, nempe ſatisfactionem à Confeſſario injunctam accipiunt ex neceſſitate, & ſecundùm quid inviti, utpotè ſibi ingratas, eaſque cum tædio, ac perfunctoriè exequuntur. At verè pœnitentes non veniam modò à Deo quærunt, ſed ejus præcipuè amicitiam, ad quam anhelantibus omnis pœnitentiæ labor ſuavis efficitur, maximè obtento abſolutionis beneficio, cùm jam perfectè contriti ducantur ſpiritu adoptionis filiorum; *nam in eo quod amatur, aut non laboratur, aut & labor amatur*, inquit Sanctus Auguſtinus lib. de bono viduit. cap. 21.

Dicitur 5. *Ad compenſandam injuriam ipſi illatam;* quia pœnitentia non ſolùm mores mutat in melius; ſed inſuper in peccatorem ipſa pronuntians, inquit Tertullianus, pro Dei indignatione fungitur, & læſæ ejus Majeſtati rependit, ſinon quantùm pro illata injuria peccator meretur, ſaltem ſecundùm pœnarum modum, quem divina clementia pro ſingulis peccatis præſcripſit; illam enim decebat, inquiunt Patres Tridentini ſeſſ. 15. cap. 8. ut qui accepto per Baptiſmum Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare & Spiritum ſanctum contriſtare non formidarunt, eos non ſine debita caſtigatione in gratiam reciperet. Unde S. Auguſtinus ſerm. 351. aliàs hom. 50. ait: *Non ſufficit mores in melius commutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de iis, quæ facta ſunt, ſatisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem.* Et in Pſalm. 118. ſerm. 8. *in ipſa Eccleſia, ubi maximè miſereri decet, teneri*

*quam*

*quam maxime debet forma justitiæ, ne quis à communionis consortio abstentus, brevi lacrymula atque ad tempus parata, vel etiam uberioribus fletibus communionem, quam pluribus debet postulare temporibus, facilitate Sacerdotis extorqueat.*

Quæ generatim hìc exponit S. Augustinus, ea singulatim prosequuntur sancti Ambrosius & Gregorius: Ille lib. 2. de pœnitentia cap. 10. in quo sic habet: *An quisquam illam pœnitentiam putat, ubi acquirendæ ambitio dignitatis, ubi vini effusio, ubi ipsius copulæ conjugalis usus? Renuntiandum sæculo est, somno ipsi minus indulgendum, quàm natura postulat, interpellandus est gemitibus, interrumpendus suspiriis, sequestrandus orationibus, vivendum ita, ut vitali huic moriamur usui, seipsum homo abneget, & totus immutetur.* Et S. Gregorius hom. 20. in Evangel. *Sciendum est,* inquit, *quia quisquis illicita nulla commisit, huic jure conceditur, ut licitis utatur; sicque pietatis opera faciat, ut tamen si noluerit, ea quæ mundi sunt, non relinquat. At si quis in fornicationis culpam, vel fortasse, quod est gravius, in adulterium lapsus est, tantò à se licita debet abscindere, quantò se meminit & illicita perpetrasse.* Et ratio est, quam affert S. Thomas in quartum, sive supplement. quæst. 15. art. 1: quia justum est, ut qui plus sibi tribuit auferendo alteri, eidem aliquid reddat subtrahendo sibi: *Quamvis autem Deo,* inquit, *quantùm est ex ejus parte, nihil subtrahi possit; tamen peccator, quantùm in ipso est, aliquid ei subtraxit peccando. Unde oportet ad hoc, quod recompensatio fiat quòd aliquid subtrahatur a peccante per satisfactionem, quod in honorem Dei cedat. Opus autem bonum, ex hoc quòd est hujusmodi, non subtrahit aliquid ab operante, sed magis perficit ipsum. Unde subtractio non potest fieri per opus bonum, nisi pœnale sit: & ideo ad hoc,*

*quòd aliquod opus sit satisfactorium, oportet quòd sit bonum, & in honorem Dei sit, & pœnale; ut per hoc aliquid peccatori subtrahatur.* Quamobrem Tertullianus lib. de pœnit. cap. 11. eos facetè ridet, qui cùm nihil è vitæ commodis sibi subtrahant, nihilominus dicere non verentur se agere pœnitentiam: *Num ergo*, inquit, *in coccino & tyrio pro delictis supplicare nos condecet? ..... exquirito balnea lætiora .... adjicito ad sumptum: conquirito altilium enormem saginam .... cùmque quis interrogarit, cur animæ largiaris, deliqui dicito, in Deum, & periclitor in æternum perire.* Quibus cavillis nemo non videt mundanos perstringi, qui exomologesim delictorum suorum ita faciunt, ut de victu, ornatu, & aliis licitis vitæ commodis nihil quidquam detrahant, cum tamen vera pœnitentia tanquam arbor bona non ex confessione, sed ex fructibus æstimanda sit, inquit S. Gregorius, vel qui sit auctor lib. 6. in 1. Regum: *Confessionis verba quid sunt aliud nisi folia? Non ergo nobis folia propter seipsa, sed propter fructum expetenda sunt: quia idcircò omnis confessio peccatorum expetitur, ut fructus pœnitentiæ subsequatur. Unde & Dominus arborem foliis decoram, fructu sterilem maledixit; quia Confessionis ornatum non recipit sine fructu afflictionis.* Opponet fortè splendidiorem illam vivendi rationem pertinere ad decorem sui status & dignitatis; sed imitetur piam Reginam, quæ Deum sic compellabat: *Tu scis necessitatem meam, quòd abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meum in diebus offensionis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ .... & nunquam læta sit ancilla tua ...., nisi in te Domine Deus Abraham*, Esther 14.

§. II.

## §. II.

### *Quot modis satisfit Deo?*

Respondent Patres Tridentini sess. 14. c. 9. *Tantam esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam (quod maximum amoris argumentum est) temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus.* Ergo tribus modis Deo satisfacimus.

1. Laboriosis operibus à Sacerdote injunctis: *Dum mens*, inquit S. Gregorius, vel alius auctor lib. 3. in 1. Reg. *flendo compungitur, necesse est ut etiam caro, quæ delectationibus subjacuit, affligatur .... quæ tamen afflictio pœnitentiæ ad delenda peccata tum demum idonea est, cùm Sacerdotis fuerit judicio imperata, cùm ab eo, confitentium actibus discussit, pro modo criminis onus eis decernitur afflictionis.*

2. Piis operibus sponte susceptis. Ita S. Augustinus in Psal. 50. ubi expendens isthæc Davidis verba, *& à delicto meo munda me*, sic loquitur: *Quo merito? Medicus est, affer mercedem: Deus est, affer sacrificium. Quid dabis ut munderis? vide enim quem invoces: justum invocas; odit peccata si justus est, vindicat peccata si justus est: non poteris auferre à Domino Deo justitiam ejus, implora misericordiam, sed attende justitiam: misericordia est, ut ignoscat peccanti: justitia est ut puniat peccatum. Quid ergo quæris misericordiam? peccatum impunitum remanebit? responderit David, responderint lapsi, responderint cum Davide, ut misericordiam mereantur sicut David, ut dicant: non, Domine non erit impunitum peccatum meum: novi justitiam ejus, cujus quæro misericordiam: non impunitum*

 *erit;*

*erit; sed ideò nolo ut tu me punias, quia ego peccatum meum puniam; ideo peto ut ignoscas, quia ego agnosco.*

3. Satisfacimus Deo per voluntariam acceptationem, & perpessionem ærumnarum, quibus cœlestis Pater nos erudit & castigat, quandiu hanc mortalem vitam vivimus; scriptum enim est Amos 3. v. 6. *Si erit malum* (pœnæ) *in civitate quod Dominus non fecerit*, nempe alia positivè immittit, ut aeris intemperiem, egestatem, morbos, mortes propignorum: alia ordinat dumtaxat, aliis quidem, nimirum justis, ad virtutis profectum & meritum: aliis, puta peccatoribus, in vindictam; ut persecutiones, hostium vastationes, bonorum direptiones, calumnias; quamvis enim mali habeant ex se nocendi voluntatem, potestatem tamen non accipiunt nisi à Deo, quibus tanquam flagellis castigat omnem filium, quem recipit Hebr. 12. tum quia aut Sacerdotes leviores pœnas, quàm peccata mereantur, injungunt, aut pœnitentes, per spontaneas afflictationes, quod deest debitæ satisfactioni implere negligunt, *si nos ipsos dijudicaremus*, inquit Apostolus, 1. Cor. 11. vers. 31. *non utique judicaremur. Dum judicamur autem à Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur;* hoc est si debitas justitiæ divinæ pœnas à nobis exigeremus, non puniremur à Domino. Dum punimur autem per morbos & alias miserias, hac paterna castigatione peccata nostra expiamus, & gravioribus suppliciis subducimur: tum quia Deus pro sua infinita sapientia, quorumdam peccatorum vindictam ita sibi reservat, ut eam pœnitentes suis lacrymis & spontaneis afflictationibus avertere nequeant. Sic Moyses Num. 20. quia aliquid humani passus est, dum percuissit petram

ad

ad eliciendas aquas, in pœnam peccati non potuit obtinere à Deo, ut ingrederetur terram promissam. Sic David 2. Reg. 12. orationibus, jejuniis, humiliationibus filium ex adulterio susceptum morti, quam Deus minatus fuerat, eripere non valuit.

Quæ cùm ita sint, perspicuum est peccatorem seriò pœnitentem, & paratum ad compensandam injuriam Deo illatam, ita affectum esse debere, ut verè dicere possit cum Davide Psal. 37. *Quoniam ego in flagella paratus sum :* nullum pro peccatis meis flagelli genus recuso. Quin eo libentiùs iis se subjiciet, quò certior est ejusmodi molestias dispensari ab optimo Patre, qui omnia sapienter & suaviter disponit in numero, pondere, & mensura: *Ipsi nos committamus*, inquit Sanctus Ambrosius, laudata Psalmi verba expendens, *parati ad curandum quo velit curari medicamento. Nemo dicit Medico corporis sui quemadmodum sit curandus. Novit Medicus quæ singulis vulneribus medicamenta conveniant, cujus ulceris putredo ferro sit amputanda, ne in totius corporis serpat exitium. Si dixerit Medicus medicinæ genus, quo curari æger debeat, & ille fastidiat; discedit Medicus, & ægrum derelinquit.... Medicina Christi correptio est, corripit enim Dominus quem vult convertere.*

Accedit altera ratio, cur corde contrito & humili hujus vitæ miserias sustinere debeamus, quia, scil. ineluctabiles sunt: velimus, nolimus, nos invadent: nostra solùm interest, ut eas leviùs feramus, & in commodum nostrum, quantùm fieri potest, convertamus. Atqui si æqua mente illas ferimus, & leviores evadent, & in magnum nostrum commodum cedent.

Ac 1. quidem leviores evadent; qui enim erecta in Deum mente colluctatur in mediis tribulationum fluctibus, non immeritò eum dixeris similem naufrago, qui natando cavet ne caput obruatur aquis: laborat quidem ille, sed libere spirat, spe evadendi reficitur, nec suo tantùm, sed & omnium judicio felix est præ aliis, qui in profundum demersi suffocantur. Talem cogita eum, qui amore Dei & desiderio illi faciendi satis miserias vitæ hujus sustinet, iis quippe innatat, mente superior; infirmitatem carnis, qua sola premitur, animi robore sustentat, & pro ratione sui in Deum amoris sensum doloris temperat: *Nullo modo enim onerosi sunt labores amantium, sed ipsi delectant*, S. Augustinus lib. de bono viduit. c. 21.

2. Adversos casus magno lucro quis patienter sustinet; iis quippe reatum pœnæ expungit, & levi tribulatione gravia supplicia redimit; quin non debito solùm apud Deum se liberat, sed, quod stupendum magis, illum sibi constituit debitorem: afflictationes enim patienti animo toleratæ, sunt simul satisfactoriæ & meritoriæ, æternumque gloriæ pondus operantur.

Contra verò si quis invitus ineluctabiles illas miserias ferat, eas acerbiores experietur, & inde pejor evadet; quia animi ægritudo, seu tristitia, in qua sese immergit impatiens, est pœna longè gravior & intolerabilior ipsa calamitate, quæ illum exteriùs premit: *Omnis plaga*, inquit Sapiens Eccli. 25. vers. 17. *tristitia cordis est . . . . . & omnem plagam & non plagam videbit cordis;* hoc est, summa, maxima, & acerbissima plaga est cordis tristitia, & omnem plagam videbit ac feret homo, dum-

dummodò non sit cordis tristitia; hæc enim animum dejicit depravatque, viam aperit iræ, blasphemiæ, desperationi, & cuilibet tentationi, corporis vires frangit, juxta illud Prov. 17. vers. 22. *spiritus tristis exsiccat ossa;* sicque tribulatio, quam paterna Dei clementia ordinaverat in expiationem scelerum, fit reprobi pœnale tormentum: *Tantum interest*, inquit sanctus Augustinus libro 2. de Civitate Dei cap. 8. *non qualia, sed qualis quisque patiatur; nam pari motu exagitatum & exhalat horribiliter cœnum, & suaviter fragrat unguentum: sub uno igne aurum rutilat, palea fumat: sub eadem tribula stipulæ comminuuntur, frumenta purgantur . . . . . ita una eademque vis irruens bonos probat, purificat, eliquat; malos damnat, vastat, exterminat.* Quàm porro detestandus est miles, qui proprio ense se ipsum confodit, quo victoriam & ingentem prædam sibi asseruisset?

Q. 1. *Quotuplex est genus bonorum operum quibus fit Deo satis?*

R. Triplex, nempe oratio, eleemosyna, & jejunium. Ita Concilium Tridentinum sess. 14. can. 13.

Probatur divisio; quia ex S. Thoma in 4. & in Supplem. quæst. 15. artic. 3. Deo facimus satis, quando in honorem illius, ex iis bonis, in quibus nimiùm nobis indulsimus, aliquid cum dolore subtrahimus: atqui tria sunt bona, scilic. animæ corporis, & fortunæ, nec aliter in Deum peccatur, quàm inordinato illorum amore seu cupiditate, juxta illud 1. Joan. 2. vers. 16. *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum* (hoc est avaritia) *& superbia vitæ:* Ergo non potest aliter Deo satisfieri, quam aliqua

qua illorum bonorum detractione & circuncisione, quod non exequimur sine labore & dolore.

Porrò oratio, in qua intelligitur quidquid ad cultum Dei pertinet, superbiam deprimit, elatam mentem Deo subjicit, in ea quippe confitemur Deum esse omnium bonorum auctorem, nos verò peccatores, imbecilles, & ad nullum bonum sine ejus auxilio idoneos. Jejunium, & aliæ corporis afflictationes concupiscentiam carnis expurgant, nec sine doloris sensu multa corporis commoda subtrahunt. Eleemosyna concupiscentiam oculorum, seu avaritiam comprimit, & in gratiam pauperum solitam impensam circuncidit, cogitque nos parciùs vivere non sine aliquo incommodo.

Dices: Oratio delectat, nedum pœnam habeat, *tristatur aliquis vestrum? oret*, inquit sanctus Jacobus cap. 5. Ergo non est opus satisfactorium.

Distinguo antec. Delectat secundùm mentem, Conc. Secundùm earnem, Nego antec. *Quamvis non habeat suavitatem spiritus*, inquit Sanctus Thomas cit. art. 3. qu. 15. Supplem. ad 1. *habet tamen afflictionem carnis; quia, ut dicit Gregorius super Ezechielem, dum crescit in nobis fortitudo amoris intimi, infirmatur procul dubio fortitudo carnis, unde & nervus femoris Jacob ex lucta Angeli emarcuisse legitur*, Gen. 32.

Q. 2. *Poteſtne fieri satisfactio per bona opera alicui debita?*

R. Potest; quia ex dictis Tract. de Actibus humanis pag. 149. Justus implendo præceptum meretur, juxta illud 2. Tim. 4. *Fidem servavi, in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. Ergo & pro peccatis satisfacit: sicut enim implere præceptum est

eſt meritorium, quia laudabile; ita ſatisfactorium, quia laborioſum.

Dices: Qui duo contraxit debita, per unius ſolutionem non ſatisfacit creditori, mutuo v. g. accepit quinque aureos, & totidem debet ex contractu emptionis, non liberatur utroque debito, ſi ſolvat quinque. Ergo à pari, qui ex præcepto tenetur adeſſe Sacro, jejunare, eleemoſynam erogare, pro peccatis non ſatisfacit implendo illa præcepta.

Diſtinguo anteced. Si duo illa debita ſint ex ſtricta juſtitia, ut in allato exemplo, Conc. Si ex alia virtute, Nego anteced. Nam filius, qui ex contractu debet centum patri indigenti, ſolvendo centum ſatisfacit duplici præcepto, pietatis ſcilicet & juſtitiæ, ſi per ejuſmodi ſolutionem patrem in totum levet ex inopia. Similiter gratum ſimul & miſericordem ſe præbet erga beneficum, qui ei ad inopiam redacto, largam erogat eleemoſynam. Ratio autem diſcriminis juſtitiam inter & alias virtutes ea eſt, quòd juſtitia modum & qualitatem ponat in rebus, ſcilicet, ut tantum reſtituatur, quantum debetur, nihilque retineatur ex iis, quæ ad proximum pertinent: retineretur autem in allato exemplo illius, qui quinque debet ex mutuo: & alia quinque ex emptione, ſi ſolveret quinque tantùm pro utroque debito. Contra vero cæteræ virtutes directè & primariò modum ponunt in actionibus, nempe ut fiat ex ea honeſtate & motivo, quæ decent operantem. Unde cùm eadem actio fieri poſſit variis modis, & ex diverſis motivis, v. g. actus temperantiæ ex motivo charitatis, religionis, pœnitentiæ, &c. per unum & eundem temperantiæ actum, puta

per

per jejunium quadragesimale, satisfieri potest præceptis omnium virtutum.

Ergo Confessarius potest injungere in satisfactionem actus aliunde præceptos. Alios tamen non præceptos debet adjungere pro facultate pœnitentis; quia Deus in Scripturis, & Ecclesia in Conciliis, præter mandatorum observationem pœnas exigunt à peccatoribus, ut patet in Davide, Corinthio incesto, & variis Canonibus.

Q. 3. *Potestne quis satisfacere pro alio?*

R. Etsi unus pro altero conteri non possit, quia contritio est mutatio consilii cum dolore de proprio peccato; potest tamen pro illo satisfacere, dummodò sit in charitate; quia satisfactio præcisè sumpta est pœnæ solutio. Cùm igitur apud homines unus debitum alterius solvere possit, multò magis id in divino judicio fieri potest. Ita sanctus Thomas in 4. & in Supplem. qu. 13. art. 2.

Ergo, inquies, unus pro altero injunctam à Confessario pœnitentiam implere potest.

Negat Angelicus Doctor cit. art. *Nisi*, inquit, *defectus aliquis appareat in pœnitente, vel corporalis, per quem fit impotens ad sustinendum*; quia satisfactio injungitur non solùm in pœnam, sed etiam in remedium & virtutis exercitationem. Contrariam doctrinam Alexander VII. anno 1665. damnavit ut scandalosam saltem, & in praxi perniciosam.

## §. III.

### *De utilitate Satisfactionis.*

Etiamsi quæ circa Satisfactionem hactenus disputata sunt, generatim utilitatem ejus commendent, operæ pretium tamen est commoda illius sigil-

ſigillatim exponere, tum ut in majori à nobis habeatur pretio: tum ut aperiatur quis ſit controverſiæ ſtatus Orthodoxos inter & Heterodoxos; hi quippe circa fructus ſatisfactionis nobiſcum de re una ſolùm diſſident. Itaque

Q. *Quot ſunt ſatisfactionis fructus & commoda?*

R. Septem, ut colligitur tum ex Conc. Tridentino cit. cap. 8. tum ex Catechiſmo Romano 2. part. num. 91. & ſeq.

Primò, per ſatisfactionem reliquiæ peccatorum purgantur, & vitioſi habitus eradicantur: *Non ſatis habet*, inquit S. Chryſoſtomus de Davide hom. 2. in Pſal. 50. *curatum eſſe vulnus, etiam cicatricem ſanari, priſtinum etiam decorem reſtitui petit.* Et hom. 40. in Acta Apoſtol. *ſicut enim qui febre laborat, non in hoc ſolùm læditur quòd ægrotat, ſed etiam quòd poſt morbum infirmior ſit, licèt à morbo diutino ad bonam valetudinem redeat: ita ſane & de peccato dicendum; licèt ſanemur, adhuc tamen egemus magna fortitudine ..... Nam unumquodque peccatum, ubi patratum fuerit, & ad finem pervenerit, relinquit in anima venenum. Non audis, quando à morbo confirmati fuerint: non auſim aquam bibere? Quamvis ſanus ſit, ſed ita morbus læſit.*

Secundò, ſatisfactoriæ pœnæ magnopere à peccato revocant, & quaſi fræno quodam homines coercent, cautioreſque & vigilantiores efficiunt; nam *ſi citò rediret homo ad priſtinam beatitudinem, ludus illi eſſet peccando cadere in mortem*, inquit Sanctus Auguſtinus ſerm. 278. aliàs 34. de diverſis. Et ante eum Sanctus Pacianus reſpondens Novatianis objicientibus, quòd Deus anſam peccandi præbere videretur, ſi lapſis poſt Baptiſmum & pœnitentibus veniam promitteret, ſic habet epiſt.

epist. 3. *Fortasse paterer hoc credi, si pœnitentia delicta putarentur, cui labor tantus imponitur, cui carnis interitus imperatur, cui juges lacrymæ aut gemitus sempiterni. Volet ergo ille sanatus iterùm se secari, rursus exuri? volet peccare iterùm, & iterùm pœnitere.*

Tertio, cùm profundum sit cor hominis, & inscrutabile, ipseque pœnitens, multo magis Confessarius aliquando dubitare possit, aut etiam debeat, num peccatum ex animo detestetur, ac novam vitam instituere efficaciter proponat: laboriosæ exercitationes sunt signa moraliter certa sinceræ pœnitentiæ; ex fructibus enim arbor cognoscitur. Unde Sanctus Augustinus Enchyr. cap. 65. *In actione pœnitentiæ*, inquit, *non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris; cor enim contritum & humilitatum Deus non spernit. Verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba aut quæcumque signa procedit ...... rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, ut fiat satis etiam Ecclesiæ, in qua remittuntur ipsa peccata; extra eam quippe non remittuntur.*

Quarto, per satisfactionem sponte susceptam, Dei animadversionem, pœnasque graviores antevertimus; nam ex Apostolo 1. Corinth. 11. *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.* In quem locum sic loquitur Sanctus Bernardus serm. 55. in Cantic. *bonum judicium, quod me illi districto divinoque judicio subducit & abscondit. Prorsus horreo incidere in manus Dei viventis: volo vultui iræ judicatus præsentari, non judicandus.* Spiritualis homo omnia dijudicat, & ipse à nemine judicatur (1.Cor.2.) *Judicabo proinde mala mea, judicabo & bona: mala melioribus curabo corrigere actibus, diluere lacrymis, punire jejuniis,*

*jejuniis, cæterisque sanctæ laboribus disciplinæ: in bonis de me humiliter sentiam...... dabo operam, nec lolia pro granis, nec paleas cum granis offerre: scrutabor vias meas & studia mea, quò is qui scrutaturus est Jerusalem in lucernis, nihil inscrutatum in me sive indiscussum inveniat; neque enim judicaturus est bis in idipsum.* Et Sanctus Augustinus laudato serm. 278. *Si tu te punire volueris*, inquit, *parcet ille. Qui autem agit bene pœnitentiam, suus ipse punitor est. Sit oportet ipse severus in se, ut in eum sit misericors Deus.*

Quintò, ejusmodi pœnarum perpessione consequimur, ut capitis nostri Jesu-Christi similitudinem geramus; nam teste Apostolo Rom. 8. sumus *cohæredes Christi, si tamen compatimur ut & glorificemur.* Hinc Sanct. Leo serm. 14. de Passione ait, *corpus regenerati fiat caro crucifixi.* Et Sanct. Bernardus serm. 5. in festo omnium Sanctorum, *non sicut est, sed sicut pro nobis factum caput nostrum; nobis repræsentatur, non coronatum gloria, sed peccatorum nostrorum circumdatum spinis. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum.*

Sextò, satisfactoriis operibus Ecclesiæ fit satis, quæ peccatis filiorum, præsertim publicis, graviter offensa est; & alii exempla sumunt, quomodo ipsi vitam instituere, & pietatem sequi debeant. Unde S. Augustinus serm. 351. aliàs hom. 50. de pœnitente sic habet: *Tanquam bonus jam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum; ut in offerendo sacrificio cordis contribulati devotus & supplex, id tamen agat quod non solum ipsi prosit ad recipiendam salutem, sed etiam cæteris ad exemplum. Ut si peccatum ejus non solùm*

*in gravi ejus malo, sed etiam in tanto ſcandalo aliorum eſt, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videtur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet, non reſiſtat, non lethali & mortiferæ plagæ per pudorem addat tumorem. Meminerit ſemper quòd* ſuperbis Deus reſiſtat, humilibus autem dat gratiam. (Jacobi 4.) *Quid enim eſt infelicius, quid perverſius, quam de ipſo vulnere, quod latere non poteſt, non erubeſcere, & de ligatura ejus erubeſcere?* Quibus verbis carpuntur benemulti, qui in ſæculo agentes ita volunt pœnitentiam agere, ut ſollicitè caveant, ne aliis, quibus etiam fuerunt offenſioni, emendati videantur.

Septimò, laborioſis operibus reatus pœnæ temporalis, qui ſæpè dimiſſa culpa remanet, expungitur, & Deo propriè fit ſatis. Hic Pſeudo-Reformati, quos in præcedentibus articulis habebamus concordes, magna contentione adverſum nos inſurgunt.

Lutherus initio ſuæ defectionis, ſcilicet anno 1518. in ſermone de Indulgentiis, negavit ullam pœnam a Deo exigi poſt culpam remiſſam. Poſtmodùm verò, nempe in aſſertione articulorum ſuorum art. 5. admiſit remanere interdum reatum pœnæ temporalis, & pœnis ſponte aſſumptis flagella divina anteverti, ac denique jejunium, orationem, & eleemoſynam eſſe opera Deo grata: ſed minimè tulit, ut ejuſmodi opera dicantur ſatisfactoria, & per ea pœnas debitas compenſari; quia juxta palmarem ejus errorem, pœnitentia nihil eſt aliud, quàm fides, qua apprehendimus Chriſtum pro nobis ſatisfeciſſe; *vehementer odi*, inquit, cit. art. 5. *& ſublatum vellem hoc vocabulum*

(ſatis-

(satisfactio) *quod non modò in Scripturis non invenitur : sed & periculosum habet sensum , quasi Deo quisquam possit pro ullo peccato satisfacere cùm gratis ille ignoscat omnia.*

Melanchon in apologia Confessionis Augustanæ vestigiis sui Magistri insistens, hæc etiam habet : *Scholastici viderunt in Ecclesia esse satisfactiones, sed non advertebant illa spectacula instituta esse, tum exempli causa, tum ad probandos hos, qui petebant recipi ab Ecclesia : in summa non viderunt esse disciplinam, & rem prorsus politicam. Ideò superstitiosè finxerunt eas, non ad disciplinam coram Ecclesia, sed ad placandum Deum valere.*

Calvinus lib. 3. Institut. cap. 3. priorem Lutheri sententiam amplexus, docet Deum à Justis nullas expetere pœnas in vindictam peccati præteriti; sed eos tantùm paternè castigare ad profectum & emendationem in posterùm ; sic enim scribit §. 39. *Vocarunt* (Veteres) *ut plurimùm satisfactionem, non compensationem, quæ Deo redderetur, sed publicam testificationem, qua qui excommunicatione mulctati fuerant, cùm in communionem recipi vellent, Ecclesiam reddebant de sua pœnitentia certiorem ; indicebantur enim illis pœnitentibus certa jejunia, & alia, quibus se prioris vitæ verè & ex animo pertæsos esse approbarent, vel potiùs priorum memoriam obliterarent : atque ita dicebantur, non Deo, sed Ecclesiæ satisfacere.*

Quid autem in præsenti controversia doceat Ecclesia Catholica, exponendum & probandum §. sequenti.

## §. IV.

### *De necessitate Satisfactionis.*

Necessaria est satisfactio : si Deus à Justis post remissam culpam laboriosa opera exigat in satisfactionem. Itaque

Q. 1. *Remanetne pœna luenda post culpam dimissam?*

R. 1. Non semper remanet ; certum quippe est culpam simul & omnem pœnam elui per Baptismum & martyrium, ut latè prosecuti sumus Tractatu de Baptismo cap. 10.

R. 2. De fide est aliquando, deleta culpa, expiandam superesse temporalem aliquam pœnam; ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 12. his verbis: *Si quis dixerit totam pœnam simul cum culpa remitti semper à Deo, satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quàm fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, anathema sit.*

Probatur 1. ex Scriptura 1. Cor. 11. scribit Apostolus multos ob indignam Communionem ægritudinibus & morte fuisse punitos. *Ideo*, inquit, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* Quod autem ejusmodi homines ante mortem Deo reconciliati fuerint, indicat Apostolus sequentibus verbis, *à Domino corripimur, ne cum hoc muudo damnemur.* Nu. 20. Moyses & Aaron non ingressi sunt terram promissam, ex eo quòd aliquid humani passi fuissent ad aquas contradictionis, *pergat Aaron ad populos suos*, ait Dominus; *non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eò quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.* Eadem pœna damnatur Moyses cap.32. Deuteron. 2. Regum cap. 12. David post impetratam veniam punitus est morte filii, & graves deinde perpessus est calamitates.

Re-

Respondent Adversarii, pœnas illas non fuisse Judicis ultionem, sed paternam correptionem, ut de cætero cautiores essent qui peccaverant.

Contra 1. gratis & absque fundamento illud dicitur 2. mors illata cautiores non reddidit Moysen & Aaron. 3. dum pater filium flagellat, illum simul corrigere & punire intendit. 4. David certior factus per Prophetam, Deum à se transtulisse peccatum, quoad reatum culpæ & damnationis æternæ, nihilominùs obnixè rogat, ut ejus deleantur iniquitates, *à peccato meo munda me*, inquit Psal. 50. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele:* Ergo intelligebat pœnitens Propheta reatum pœnæ temporalis non fuisse deletum.

Probatur 2. ex Sanctis Patribus.

Sanctus Augustinus in Psalm. 50. *impunita peccata eorum*, inquit, *etiam quibus ignoscis, non dimisisti; sic prærogasti misericordiam, ut servares & veritatem; ignoscis confitenti, ignoscis, sed ipsum punienti: sic servatur misericordia & veritas.*

Sanctus Gregorius lib. 9. Moral. cap. 27. sic scribit: *procul dubio Dominus delictum sine ultione non deserit: aut enim ipse hoc homo in se pœnitens punit, aut hoc Deus cum homine vindicans percutit.*

Plura Patrum testimonia statim proferemus ad demonstrandum per laboriosa opera, vel sponte suscepta, vel à Sacerdote injuncta Deo satisfieri; quæ necessariò supponunt post dimissam culpam, remanere exsolvendam pœnam.

Objiciunt 1. Adversarii plures Scripturæ textus, Ezechielis 18. de peccarore ad Deum converso ait Dominus v. 22. *omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor.* Et cap. 33. vers. 15.

 & 16.

& 16. *vita vivet, & non morietur, omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei*, Rom. 3. verſ. 27. *juſtificati gratis per gratiam ipſius.* Et cap. 8. verſ. 1. *nihil ergo nunc damnationis eſt iis, qui ſunt in Chriſto Jeſu.* Matth. 6. in Oratione, quam præſcribit Chriſtus, poſtulamus à Deo, ut debita noſtra nobis dimittat, *ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: ita autem debemus remittere proximo illatas injurias, ut nihil omninò ab eo repetamus in vindictam. Ergo Deus pœnitenti ſic peccata condonat, ut nullam ab eo pœnam exigat.

Diſtinguo conſeq. nullam pœnam exigat ex odio, & in malum pœnitentis, Concedo: ex miſericordia ſecundùm juſtitiæ leges, & in commodum pœnitentis, Nego conſeq. Namque charitas patris in filium, præpoſiti in ſubditum, & ſocii in ſocium, à quo læſus eſt, aliquando piè ſævit, nempe ubi juſtitia & rectus ordo id exigunt.

Itaque Deus eodem planè modo non recordatur iniquitatum peccatoris, qui ad ipſum ex toto corde convertitur, quo obliviſcitur omnium bonorum operum Juſti, qui in peccatum prolabitur: atqui bona opera, licèt poſt lapſum nòn proſint Juſto ad vitam æternam, non fraudantur tamen aliqua mercede temporali, ut docent S. Chryſoſtomus hom. 67. ad populum, S. Hieronymus in caput 29. Ezechielis, S. Auguſtinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 15. S. Gregorius hom. 40. in Evangelia. Similiter impietas poſt veram converſionem, quamvis non noceat in iis, quæ ſpectant æternam ſalutem, nec excludat à Dei amicitia & ſpiritualibus donis, pœnitentem tamen obnoxium reddit quibuſdam pœnis temporalibus

libus, quæ ſi æquo animo perferantur, cedent in ejus commodum & utilitatem. Unde meritò dixit Apoſtolus, nihil eſſe damnationis iis, qui ſunt in Chriſtò Jeſu; reatus enim pœnæ temporalis, qui remanet poſt reſtitutam Dei amicitiam, eum non reddit damnatione dignum, qui paratus eſt debitam ſatisfactionem exhibere: nec hactenus in cujuſquam, etiam Adverſariorum, mentem venit, non solùm deponendum odium, & omnem vindictæ affectum, ſed inſuper debitam pecuniam proximo remittendam, ut in Oratione Dominica cum fructu poſſimus dicere, *dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Objiciunt 2. nonnullos ex Sanctis Patribus. Sanctus Ambroſius lib. 10. in Lucam ſic ſcribit: *lacrymas Petri lego, ſatisfactionem non lego.* Sanctus Chryſoſtomus hom. de Pœnitentia & Confeſſione, ait: *propter hoc imponit nobis pœnam, non de peccatis ſumens ſupplicium, ſed ad futura nos corrigens.* Sanctus Auguſtinus lib. 2. de peccatorum meritis cap. 34. *reſpondemus dicentes*, inquit, *ante remiſſionem illa eſſe ſupplicia peccatorum; poſt remiſſionem autem certamina, exercitationeſque Juſtorum.* Et in Pſal. 84. ad illud, *operuiſti omnia peccata eorum*, ſic habet, *Quid eſt*, operuiſti? *ut non illa videres. Quid eſt, ut illa non videres? ut illa non vindicares.* Ergo.

Nego conſeq. mala enim fide opponuntur laudati textus, ut vel ex ipſo contextu legenti patebit. Namque

1. Sanctus Ambroſius eo loci Satisfactionis nomen uſurpat pro peccati excuſatione ſeu defenſione, vultque dumtaxat S. Petrum crimen non excuſaſſe, ſed ultro agnoviſſe, lacrymas

 fudiſ-

fudiſſe; quia *quod defendi non poteſt*, inquit, *ablui poteſt.*

2. Sanctus Chryſoſtomus laudata homilia, doctrinam Catholicam luculenter confirmat, nimirum Deum à nobis peccati pœnas exigere in noſtram utilitatem, *Ne peccantes*, inquit, *& inulti manentes, nos efficeremur deteriores, non remiſit nobis ſupplicium, ſed vidit hoc manifeſtè quòd peccatis ipſis non minùs damnoſum ſit non puniri; propter hoc imponit pœnam.* Quid clarius?

3. S. Auguſtinus cit. lib. de peccatorum meritis, docet hujus vitæ miſerias in Juſtis eſſe certamina & exercitationes virtutis, quod ultro agnoſcimus; ſed non negat quod alibi affirmat, ſcilicet in Pſal. 50. eſſe etiam ultiones præteritorum peccatorum: *Veritatem*, inquit, *dilexiſti, hoc eſt, impunita peccata eorum etiam, quibus ignoſcis, non dimiſiſti, ſic prorogaſti miſericordiam, ut ſervares & veritatem.* In Pſal. verò 84. hoc unum intendit S. Doctor, nimirùm peccata, quæ Deus operit, æterno ſupplicio non puniri.

Q. 2. *Reatus pœnæ temporalis, quem diximus interdum remanere poſt dimiſſam culpam, poteſtne redimi bonis operibus?*

R. Poteſt; idque definitum eſt à Concilio Trid. ſeſſ. 14. can. 13. *Si quis dixerit, pro peccatis quoad pœnam temporalem, minimè Deo per Chriſti merita ſatisfieri pœnis ab eo inflictis, & patienter toleratis, vel à Sacerdote injunctis, ſed neque ſponte ſuſceptis .... atque ideò optimam pœnitentiam eſſe tantùm novam vitam; anathema ſit.* Et cap. 14. *Si quis dixerit ſatisfactiones, quibus pœnitentes per Chriſtum Jeſum peccata redimunt, non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia, & verum Dei cultum, atque ipſum*

*ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.*

Probatur 1. ex Scriptura Prov. 16. *misericordia & veritate redimitur iniquitas.* Danielis 4. *peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.* Tobiæ 4. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat.*

Probatur 2. ex Traditione. Tertullianus lib. de pœnit. cap. 6. *Quàm porrò ineptum*, inquit, *quàm pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum sustinere! hoc est, pretium non exhibere, ad mercem manum emittere; hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit, hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit impunitatem.*

Origenes hom. 15. in Levit. definiens peccata posse redimi in hac vita, sic habet: *Si tamen invenerit manus tua pretium, quid restituat. Quale pretium? pœnitentiæ sine dubio lacrymis congregatum, & manibus, id est, labore boni operis inventum.* Et hom. 3. in Librum Judicum, *quanto tempore errasse te nosti, quanto tempore deliquisti, tanto nihilominùs tempore humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei confessione pœnitentiæ.*

S. Cyprianus epist. 55. invehitur in eos, qui pacem pœnitentibus dabant, non exhibita ab ipsis plena satisfactione; *elaborant*, inquit, *ne Deo indignanti satisfiat . . . . . . datur opera, ne satisfactionibus & lamentationibus justis debita redimantur.* Et serm. de opere & eleemosynis, *nec haberet*, inquit, *quid fragilitatis humanæ infirmitas atque imbecillitas faceret, nisi iterùm pietas divina subveniens justitiæ & misericordiæ operibus ostensis, viam quandam tuendæ salutis aperiret, ut sordes postmodùm quascunque contrahimus, eleemosynis abluamus.* *Loquitur in*

*Scripturis Spiritus Sanctus, & dicit:* eleemosynis & fide delicta purgantur; *non utique illa delicta, quæ fuerant ante contracta; nam illa Christi sangnine & satisfactione purgantur.*

Sanctus Ambrosius lib. 2. de pœnitentia c. 5. *utrumque*, ait, *beatum dixit, & cujus iniquitas remittitur per lavacrum, & cujus peccatum tegitur operibus bonis; qui enim agit pœnitentiam, non solùm diluere lacrymis debet peccatum suum, sed etiam emendatioribus factis operire, & tegere delicta superiora, ut non ei imputetur peccatum.* Et lib. de Helia & jejunio cap. 20. *redime peccatum tuum. Non venalis est Dominus: sed tu ipse venalis es: peccatis tuis venundatus est; redime te operibus tuis; redime te pecunia tua.*

Sanctus Chrysostomus homil. 41. ad populum: *à nobis ultionem sumamus, ita placabimus Judicem.*

Sanctus Augustinus serm. 351. aliàs hom. 50. *Non sufficit mores in melius mutare, & à factis malis recedere, nisi etiam de his quæ facta sunt, satisfiat Deo.*

Quid autem Pseudo-reformati ad tantam nubem testium respondeant, discemus à Calvino lib. 3. Institut. cap. 4. §. 38. ubi sic loquitur; *Parùm me movent quæ in Veterum scriptis de Satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos, dicam simpliciter, omnes ferè, quorum libri extant, aut hac in parte lapsos esse, aut nimis asperè & durè locutos.* Tantam arrogantiam & impietatem prodiisse, confutasse est.

Dallæus erga Sanctos Patres Calvino paulò æquior, respondet voluntarias illas carnis macerationes in Scriptis sanctorum Patrum commendari tanquam necessarias ad vitia extirpanda, mores corrigendos, & ut pœnitentes gratiæ Dei recipien-

cipiendæ paratiores essent, assuescerentque jugo Christi, idque probat ex eo, quòd pœnitentes ejusmodi afflictationibus æquè subjicerentur ante Baptismum, ac ante Sacramentum Pœnitentiæ, & priusquam remissa esset culpa. Unde concludit pia illa opera ideo dici satisfactiones; quia Deum peccatoribus propitium reddunt, quemadmodum famulus, qui præcepta heri observat, illi satisfacere dicitur.

Contra 1. Dallæus non advertit sua interpretatione deserere se communem Ecclesiæ causam, in qua constanter asserimus contra Socinos, Christum verè ac propriè Deo satisfecisse; quæ enim Socinianis opponimus ad vindicandam Christi satisfactionem, ea sicut Dallæus hìc detorquere possunt. Vide quæ in hanc rem disputata sunt Tractatu de Incarnatione cap. 11. pag. 179.

Contra 2. Perinde est sive ante, sive post remissam culpam satisfactio peragatur. Ex eo autem constat laboriosa opera, quæ juxta veterem Ecclesiæ disciplinam præscribebantur peragenda ante absolutionem, fuisse satisfactoria; quòd si quis præ mortis periculo absolutus fuisset ante expletum pœnitentiæ cursum, remitteretur ad eundem pœnitentiæ gradum, in quo fuerat morbo correptus, ut expressè definiunt Concilium Nicænum I. can. 13. Carthaginense IV. canon. 76. Arausicanum I. can. 3. Catechumeni verò non remittebantur ad Catechumenatum, si fortè urgente morbo priùs baptizati fuissent, quàm illum absolvissent. Ergo laboriosa opera erant ad gratiam Baptismi præparatoria dumtaxat; ad Sacramentum verò pœnitentiæ erant simul præparatoria & satisfactoria.

Ex

Ex dictis duo certa sunt. Primum post dimissam culpam interdum remanere reatum pœnæ temporalis: alterum, bonis operibus reatum illum posse expungi. Tertium superest discutiendum, num scilicet Sacerdotes contra institutionem Christi sacramentaliter confessis imponant opera satisfactoria, quemadmodum garriunt Novatores. Quare

Q. 3. *Sacerdotes acceperuntne à Christo potestatem injungendi pœnitentibus congruas satisfactiones?*

R. Acceperunt, tenenturque eas injungere, & pœnitentes illas acceptare. Tres responsionis sunt partes.

Primam fide divina credendam definiit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 15. & ultimo, his verbis; *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tantùm ad solvendum, non etiam ad ligandum, & propterea Sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, & contra institutionem Christi, & fictionem esse, quòd virtute clavium, sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.*

Secundam tradit eadem Synodus capite 8. ejusdem sessionis, in quo sic loquitur; *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantùm spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere; ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt; non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.*

Ter-

Tertia pars; nempe quòd pœnitentes teneantur acceptare convenientes ſatisfactiones, evidenter ſequitur ex duabus præcedentibus, ſi enim Sacerdotes ex Chriſti præcepto tenentur congruas ſatisfactiones à pœnitentibus exigere, certò certius iisdem pœnitentibus neceſſitatem præcepti imponunt acceptandi & peragendi illas ſatisfactiones; *Is veram pœnitentiam agit,* inquit S. Cyprianus, *qui Dei & Sacerdotis præceptis obediens, operibus juſtis Dominum promeretur.* Et Concilium IV. Lateranenſe laudato can. *Omnis utriusque ſexus, injunctam ſibi pœnitentiam ſtudeant implere.* Tota igitur difficultas verſatur circa primam & ſecundam reſponſionis partem. Quapropter

Probatur utraque pars, nempe Sacerdotes ex inſtitutione Chriſti, poſſe & debere injungere convenientes ſatisfactiones. 1. ex Scriptura, Matth. 18. *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo,* Joann. 2. *quorum retinueritis* (peccata) *retenta ſunt.* Ubi Chriſtus Dominus Apoſtolis confert poteſtatem non ſolùm ſolvendi & remittendi peccata, ſed etiam ligandi & retinendi; ligant aútem, cùm pœnitentibus imponunt opera ſatisfactoria, quemadmodum hactenùs interpretati ſunt Sancti Patres, quorum verba jamjam prolaturi ſumus.

Probatur itaque 2. ex Patribus.

Tertullianus factus Montaniſta lib. de pudicitia cap. 13. arguit Catholicos, quòd verba Apoſtoli, 1. Cor. 5. de Corinthio inceſto, quem dicit ſe cum virtute Domini noſtri Jeſu tradidiſſe Satanæ in interitum carnis, interpretarentur de operibus laborioſis, quæ lapſis poſt Baptiſmum imponebant; *Hic,* inquit, *jam carnis interitum in officium pœnitentiæ interpretantur, quòd videatur jejuniis & ſordibus,*

*dibus, & incuria omni, & dedita opera malæ tentationis carnem exterminando, satis Deo facere, ut ex hoc argumententur, fornicatorem, imò incestum illum non in perditionem Satanæ ab Apostolo traditum, sed in emendationem, quasi posteà veniam ad interitum, id est, conflictationem carnis, consecuturum.*

Origines hom. 24. in Leviticum: *Quod dicit,* tradidi in interitum carnis, *hoc est, in afflictionem corporis, quæ solet à pœnitentibus expendi, eumque carnis interitum nominavit, qui tamen carnis interitus vitam spiritui conferat.*

S. Cyprianus serm. de lapsis, *Contra Evangelii vigorem,* inquit, *contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio; irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura, non quærunt sanitatis patientiam, nec veram de satisfactione medicinam.*

Sanctus Augustinus serm. 351. *à Præpositis Sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum.*

S. Leo epist. 91. *Mediator Dei & hominum hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

S. Gregorius, aut quivis auctor lib. 3. in primum Regum: *actio pœnitentiæ,* inquit, *ad delenda peccata idonea est, cùm ab eo confitentium actibus discussis pro modo criminis, onus eis decernitur afflictionis.*

Probatur 3. ratione Theologica: quod semper, ubique, & ab omnibus observatum est, illud Traditionis divinæ censendum est: atqui mos imponendi lapsis post Baptismum opera satisfactoria, in nullo Concilio est institutus, sed semper, ubique, & ab omnibus servatus est, viguit, & etiam-

nunc

nunc viget in Ecclesia tum Orientali, tum Occidentali, ut patet ex omnibus Euchologiis, & libris Sacramentariis, seu Ritualibus. Ergo.

Dices contra tertiam responsionis partem, Sacerdos non est Judex necessarius, sed arbitrarius: ergo pœnitens potest se ei subjicere quoad remissionem culpæ tantùm, nullatenùs verò quoad præceptum pœnæ temporalis solvendæ. Ita nonnulli ex veteribus Theologis.

Nego conseq. licèt enim sit in arbitrio pœnitentis eligere quem ex Sacerdotibus delegatis & approbatis maluerit conscientiæ suæ judicem, ritus tamen Sacramentalis judicii est à Christo præscriptus, nefasque est illum mutare, & nisi pœnitens debitam judicio Sacerdotis offerat satisfactionem, quæ est tertia pars Sacramenti, veniam non consequetur.

Instabis; cùm Purgatorium sit à Deo destinatum ad expungendum in altero sæculo, quod supererit reatus pœnæ temporalis peccatis debitæ, quidni pœnitens viam illam eligeret præ alia quacunque satisfactione ad reliquias peccatorum suorum expurgandas?

Respondeo mirum videri quomodo hæc cogitatio in mentem venerit quorundam Theologorum, etiam antiquiorum, ausique fuerint obtrudere sterilem & infructuosam pœnitentiam contra expressa Scripturæ verba, Matth. 3. *facite fructus dignos pœnitentiæ:* contra Christi institutionem, qui voluit satisfactionem esse partem integrantem Sacramenti à Sacerdotibus injungendam pro peccatorum gravitate: contra Apostolicam Traditionem, semper & ubique servatam. Annon debitor venit in odium creditoris, qui cùm inpræsentia-

ſentiarum ſolvere poſſit, renuit tamen ſolvere donec conjiciatur in carcerem? Purgatorium quippe eſt carcer juſtitiæ divinæ, è quo nullus egreditur, (niſi pia mater Eccleſia ſuis ſuffragiis interceſſerit) donec reddat usque ad noviſſimum quadrantem. Quàm autem iſthæc agendi ratio diſpliceat Deo in infructuoſis pœnitentibus, quamque ſeverè ab eo puniatur, clamat Apoſtolus 1. Cor. 11. *Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi*, ſcilicet mortis ſopore: *Quòd ſi noſmetipſos dijudicaremus* (pœnas à nobismetipſis repetendo) *non utique judicaremur* (gravioribus pœnis.) *Dum judicamur autem à Domino, corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.* Hinc eſt quòd ipſe Apoſtolus, ut ſpiritus inceſti Corinthii ſalvus fieret, tradiderit illum in interitum carnis, 1. Cor. 5. quo exemplo S. Pacianus in parænesi ad pœnitentiam urget delicatos & deſides pœnitentes, *admovebo*, inquit, *adhuc ignes de cauterio Apoſtolico. Videamus, an ferre poſſitis?* Judicavi, *inquit*, congregatis vobis & ſpiritu meo in virtute Domini Jeſu Chriſti tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis: *Quid dicitis, pœnitentes? Ubi eſt veſtræ carnis interitus? An quòd in ipſa pœnitentia lautiores ſemper inceditis, convivio farti, balneis expoliti, veſte compoſiti.*

Q. 4. *Confeſſarius poteſtne mutare pœnitentiam ab alio impoſitam?*

Negant nonnulli Theologi; ſed diſtinguendum videtur. Quare

R. 1. Si pœnitentia ſit ſalutaris & conveniens, non poteſt ab alio mutari: tum quia nulla eſt illius mutandæ cauſa: tum quia præceptum eſt divinum, ut quæ Confeſſarius præceperit clave non erran-

errante, ea à pœnitentibus obſerventur: *Amen dico vobis*, ait Chriſtus Matthæi 18. *quæcumque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo.*

R. 2. Si pœnitentia non ſit conveniens, contingatque ex ſuperveniente circumſtantia, ut ſalutem ſive corporis, ſive animæ morali periculo exponat, mutari poteſt ab alio Sacerdote: ſed in Sacramentali tantùm Confeſſione, auditis peccatis, propter quæ impoſita eſt.

Probatur; quia ſicut Chriſtus in Eccleſia conſtituit auctoritatem interpretandi & relaxandi leges in foro exteriori, quando neceſſitas aut urgens ratio id poſtulat; ita dubium non eſt, quin ſimilem poteſtatem dederit pro foro interiori; æquè enim neceſſarium eſt relaxare vel mutare pœnitentiam, quæ ex occurrente circumſtantia evaſit difficilior & periculoſa; ac diſpenſare in voto caſtitatis, vel in lege prohibente matrimonium inter conſanguineos tertii & quarti gradus. Atqui hæc pœnitentiæ relaxatio ſive mutatio fieri nequit, niſi virtute clavium, quæ extra Confeſſionem Sacramentalem non exercetur, nec prudenter fieri poteſt illa mutatio, niſi cognita cauſa, propter quam pœnitentia mutanda impoſita eſt. Ergo.

Dixi, *auditis peccatis;* non quod neceſſe ſit integram Confeſſionem iterare, & ſingula peccata exponere quoad ſpeciem & numerum; ſed ſatis eſt ſi ſummatim declarentur graviora, & peccandi conſuetudo, propter quæ veriſimilius gravior pœnitentia injuncta eſt.

Dices, par in parem non habet poteſtatem: atqui omnes Sacerdotes in foro conſcientiæ ſunt pares, nec agnoſcunt Superiorem, ad quem ab

eorum judicio provocare liceat, ut ſupra diximus. Ergo.

Diſtinguo majorem: non habet poteſtatem directè in paris perſonam, Concedo; in materiam, de qua judicavit, ſubdiſtinguo: non habet poteſtatem ex proprio officio, Concedo: ex electione pœnitentium, qui eandem materiam iterum ejus judicio ſubjiciunt, Nego majorem, qui enim electus eſt in Judicem arbitrum ex conſenſu litigantium, nonnunquam mutat, irritatque non ſolùm judicium alterius arbitri ſibi æqualis, ſed etiam Præſidis, à quo provocatum eſt: ergo non repugnat quo minus pœnitens, qui ſe nimis gravatum arbitratur pœnitentia ab uno Confeſſario injuncta, alium eligat, ejuſque judicio eandem materiam ſubjiciat.

Deinde in caſu neceſſitatis Epiſcopus diſpenſat circa Eccleſiæ præcepta. Quidni & Confeſſarius circa præceptum alterius Confeſſarii?

Inſtabis; Quæ ligavit unus Sacerdos, ſunt ligata & in cœlis, ergo non poſſunt ſolvi in terris ab alio Sacerdote.

Diſtinguo conſeq. ſi non ſit locus interpretationi & epichiæ, Concedo: ſi ſit locus: Nego conſeq. Nam caſtitatis votum eſt ligatum in cœlis, ſacri Canones Eccleſiæ diſciplinam ſpectantes, ligant tum in terris, tum in cœlis, ad ea enim extenduntur laudata verba, *quæcunque alligaveritis:* nihilominus exigente cauſa per interpretationem & diſpenſationem, quam Deus admittit in cœlis, ſolvuntur.

Q. 5. *Si pœnitentia fuerit injuncta propter caſus reſervatos, Sacerdos, qui non habet facultatem abſolvendi à caſibus reſervatis, poteſtne illam mutare?*

R. Pot-

R. Poteſt; quia reſervatio cadit duntaxat in ipſum peccatum, quod ſupponitur directe remiſſum. Sic voto perpetuæ caſtitatis per Summum Pontificem in aliam materiam commutato, Epiſcopus commutare poteſt eandem materiam, ſi difficilior evaſerit, ut diximus Tractatu de Religione cap. 5. §. 6.

## §. V.

## *De tempore, quo imponenda & implenda eſt Satisfactio.*

Q. 1. *Quo tempore imponenda eſt Satisfactio?*

R. Poſt exceptam confeſſionem; quia confeſſione ſatisfactio diſponitur, ex Tertulliano, & priuſquam impertiatur abſolutionis beneficium; quia Sacerdos abſolvere non debet; niſi quem novit diſpoſitum ad dignos pœnitentiæ fructus: atqui piam illam pœnitentis affectionem non deprehendit, cùm pœnitens conſentaneas pœnas accepit. Ergo. Præterea Sacerdos ex dictis pœnitentem ligare debet imponendo condignam ſatisfactionem: ſi autem imponeret poſt abſolutionem, quomodo ligaret eum, quem jam ſolvit, & liberum dimittit? ſi fortè tamen Sacerdos oblitus eſſet ante abſolutionem injungere pœnitentiam, poſſet & deberet illam injungere data abſolutione.

Q. 2. *Quando implenda eſt pœnitentia?*

R. Tempore à Sacerdote præſcripto, peccaretque pœnitens, ſi abſque neceſſitate eam ad aliud tempus differret; quia circumſtantia temporis includitur in præcepto. Si tamen pœnitens diſtuliſſet, quamprimùm illam implere teneretur; quia determinatio temporis non eſt ad finiendam

obligationem, ſed ad non differendam, quemadmodum ſolutionis terminus à creditore debitori præfixus.

Q. 3. *Eſtne neceſſe ut pœnitentia impleatur ante abſolutionem?*

R. Sequenda eſt Eccleſiæ diſciplina: nec enim ratio Sacramenti poſtulat, ut ſatisfactio impleatur, ſive ante, ſive poſt abſolutionem, nec hac de re ullum in Scriptura extat præceptum. Unde meritò Sixtus IV. hanc Petri Oxomienſis propoſitionem proſcripſit an. 1478. *non ſunt abſolvendi pœnitentes, niſi peracta priùs pœnitentia eis impoſita.* Idipſum poſtea proſcripſit ſacra Facultas Pariſienſis ann. 1644. in cenſura libri Theophyli Brachet. Ac demum Alexander VIII. in Generali Congregatione Inquiſitionis anno 1690. inter plures propoſitiones ad ipſum delatas, damnavit ſequentes, quæ ſunt ordine 16. & 18.

*Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutionis induxit, non politia aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.*

*Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtineat auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominùs ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.*

Dices. Conſtans eſt veterum Patrum doctrina, Deum veniam non concedere niſi pœnitentia functis. Tertullianus lib. de Pœnitentia cap. 6. ſic habet: *quàm porrò ineptum, pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere! hoc eſt, pretium non exhibere, ad mercem manum mittere. Hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit.* Similia habet Sanctus Ambroſius lib. 7. in Lucam. Et Sanctus Cyprianus ſerm. de lapſis adversùs molliores Sacerdo-

cerdotes, qui lapsis priùs pacem concedebant, quàm debitam satisfactionem exolvissent, ait: *contra Evangelii rigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax, periculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Ergo contra Dei præceptum & rationem Sacramenti absolutio impertitur ante expletam satisfactionem.

Distinguo antecedens: & hæc dicuntur ratione virtutis pœnitentiæ, quæ secundùm Dei legem, & Sacramenti rationem præcedere debet peccatorum remissionem seu absolutionem, Concedo: & hæc præcisè dicuntur ratione laboriosorum operum, quæ sunt fructus veræ pœnitentiæ, Nego antecedens. Namque primis illis temporibus pœnitentes nonnunquam ante expletum pœnitentiæ stadium reconciliabantur. 1. propter libellos supplices Martyrum. 2. quando imminebat persecutio. 3. cùm erant constituti in mortis periculo. 4. quoties ex hæresi aut schismate alios secum ad Ecclesiam reducebant. Ergo apud Veteres constabat non esse de ratione Sacramenti, nec extare ullum Dei præceptum, ut satisfactio absolutionem præcedat. Quare textus nobis oppositi, & alii similes carpunt duntaxat eos, qui sine vera pœnitentia, in qua necessariò includitur votum faciendi Deo satis, veniam peccatorum confidentiùs sperabant per Sacramentum sive Baptismi, sive Pœnitentiæ. Et illud vel ex eo patet, quòd Tertullianus loco in objectione laudato insectetur Catechumenos, à quibus certè non exigebatur satisfactio, de qua hìc est sermo; sed vera duntaxat pœnitentia, quàm Veteres duris laboribus probandam ducebant.

Q. 4. *Quænam hactenus fuit Ecclesiæ disciplina circa tempus implendæ satisfactionis?*

Dissentiunt Theologi. Alii opinantur semper impertitam fuisse priùs absolutionem, quàm pœnitentia impleretur, contenduntque reconciliationem, quæ fiebat post exantlatos duros pœnitentiæ publicæ labores, fuisse merè cæremonialem, qua pœnitentes privatim absoluti, palam & solemniter restituebantur communioni Ecclesiæ. Alii contra existimant, cum quibus

R. Quo tempore fuit in usu pœnitentia publica, Sacramentalis absolutio lege communi & ordinaria, non dabatur ante expletam pœnitentiam. Dico, *lege communi & ordinaria*; nam, ut mox observavimus, in casibus extraordinariis impertiebatur, nondum absoluto pœnitentiæ stadio.

Probatur variis antiquorum Patrum testimoniis.

Tertullianus lib. de Pudicitia cap. 1. cùm jam staret à patre Montani, negaretque, juxta hujus sectæ placita, Ecclesiam accepisse potestatem remittendi graviora peccata post Baptismum commissa, sic insurgit adversus Sanctum Zephyrinum Summum Pontificem: *odio etiam èdictum esse propositum, & quidem peremptorium. Pontifex scilicet Maximus, Episcopus Episcoporum dicit, ego & mœchiæ & fornicationis debita pœnitentia functis dimitto.* Ubi advertes controversiam non fuisse Catholicos inter & Montanistas de reconciliatione cœremoniali, sed de ipsa remissione peccatorum, quam Tertullianus agnoscit mœchis à Zephyrino concedi: Sed quibus mœchis? pœnitentia functis: ergo mœchi à peccatis non absolvebantur, nisi post expletam pœnitentiam.

S. Am-

S. Ambrosius lib. 2. de pœnitentia cap.9. *Nonnulli*, inquit, *ideò poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvi cupiunt, quàm Sacerdotem ligare, suam conscientiam culpa non exuunt, & Sacerdotis induunt.* Porro culpa non tollitur per cæremonialem reconciliationem, sed per sacramentalem absolutionem, quam negat S. Doctor statim impertiendam.

S. Pacianus epist. 1. ad Sympronianum Novatianum: *Scio*, inquit, *frater, hanc ipsam pœnitentiæ veniam non passim omnibus dari ...... post multos gemitus, effusionemque lacrymarum, post Ecclesiæ totius preces venia veræ pœnitentiæ non negatur.* Quæ verba necessario intelligi debent de reconciliatione cum Deo; de hac enim solummodo agebatur Catholicos inter, & Novatianos.

Innocentius I. epist. ad Decentium c. 7. *Ceterum*, inquit, *de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat ad confessionem pœnitentis, & ad fletus atque lacrymas corrigentis, ac tunc debere dimitti, cùm viderit congruam satisfactionem.*

S. Leo epist. 82. aliàs 91. *Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*, inquit, *hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum per januam reconciliationis admitterent.*

Mitto innumeros alios, ut S. Cyprianum ser. de lapsis, & epist. 55. S. Gregorium Magnum hom. 26. in Evangelia, S. Eligium hom. 8. in Cœna Domini, qui eo modo loquuntur, quo supra laudati Patres.

Dices. Reconciliatio quæ fit à toto Clero, non est Sacramentalis, sed merè ceremonialis, atqui

pœnitentes post peractam pœnitentiam, non reconciliabantur à solo Episcopo & Presbyteris, sed etiam à Clero inferiori, ut constat ex epist. 10. S. Cypriani. Ergo.

Nego majorem; cùm enim pœnitentes reconciliarentur Deo, & Ecclesiæ, reconciliatio eorum erat simul Sacramentalis & cæremonialis, quemadmodum in ordinatione Presbyteri manus imponuntur tum ab Episcopo, tum à Presbyteris assistentibus, sed in diversa significatione; namque manuum impositio, quæ fit per Episcopum, est consecratoria & Sacramentalis: quæ autem fit per Clerum, est cæremonialis & mera testificatio, quòd Clerus recens inauguratum lubenter in suum ordinem recipiat. Similiter Episcopus & Clerus per manus impositionem reconciliatoriam pœnitentia functum reconciliabant, sed longè dispari ratione: Episcopus quippe ex potestate sibi divinitus concessa, pœnitentem à peccatis absolvebat, reconciliabatque Deo: Clerus verò gratulabundus ob reditum fratris, qui perierat, in suam communionem admittebat.

Q. 4. *Nunquamne licet Sacerdoti per hodiernam Ecclesiæ disciplinam injungere pœnitentiam ex parte saltem implendam ante absolutionem?*

R. Non solùm licet aliquando, sed omnino necessarium est, quoties pœnitens non dat sufficientia conversionis seu contritionis signa. Exemplum esto, hactenus jejunium quadragesimale integrè non observavit, cùm possit & debeat, longas inimicitias gessit, necdum reconciliatus est, aliosque vitiosos habitus malè vivendo comparavit, quos contrariis virtutum actibus tollere ne quidem adorsus est, nec Confessioni Sacramentali

tali

tali quiddam præmisit præter examen conſcientiæ, & conceptum momento temporis, ut fingit, contritionis actum, cùm ex dictis ubi de Contritione, & de Juſtificatione, Tract. de Gratia pag. 430. & ſeq. Deus non ſoleat tantum donum concedere, niſi orantibus, pulſantibus, & laborantibus. Ligandi ſunt ergo ejuſmodi pœnitentes & dimittendi, donec operibus à Sacerdote injungendis, probata ſit eorum converſio. Sed de hoc argumento iterum ubi de Abſolutione.

## §. VI.

### *De conditionibus Satisfactionis.*

Q. *Quot ſunt conditiones Satisfactionis?*

R. Sex. 1. Debet eſſe actio moraliter bona. 2. Supernaturalis. 3. Laborioſa & pœnalis. 4. Ab homine juſto; ſaltem ut ſit de condigno. 5. Æqualis reatui, ſeu debito pœnæ temporalis: niſi juſta de cauſa relaxanda ſit. 6. Secreta pro peccatis occultis, publica pro publicis. De duabus poſterioribus conditionibus ſeorſim diſſeremus, plura quippe circa eas diſcutienda occurrunt. Hic paucis dicemus quæ ſpectant priores quatuor conditiones, utpote quæ facilè colligantur ex jam dictis.

Primò itaque ſatisfactio debet eſſe actio moraliter bona. Actio quidem, non paſſio; ſatisfactio enim eſt actus virtutis pœnitentiæ, quo pœnitens voluntariè, ac liberè injunctis pœnis ſe ſubjicit ad compenſandam illatam per peccatum Deo injuriam: actio autem illa debet eſſe moraliter bona; quia actio mala eſt nova Dei offenſa, propter quam homo novum contrahit reatum,

nedum exolvat jam contractum. Unde longè absurdissima est quorundam Modernorum sententia, qua docuerunt pœnitentem adimplere pœnitentiam à Sacerdote injunctam per actum, puta jejunium, aut eleemosynam, ex fine, vel ex circumstantiis malum.

Secundo, satisfactio debet esse supernaturalis, hoc est, ex fide per pœnitentiam operante; quia opera nostra nec meritoria, nec satisfactoria sunt, nisi per Christum, sine quo nihil possumus facere, Joan. 15.

Tertio, debet esse laboriosa & pœnalis; quia cùm supponatur Pœnitens obnoxius pœnæ temporali, justitia exigit, ut pœnam illam evolvat piis ac laboriosis afflictationibus, quemadmodum superiùs fusè probavimus.

Quarto, ut opus sit satisfactorium de condigno, fiat necesse est ab homine justo, probaturque 1. iisdem momentis, quibus demonstravimus Tractatu de Actibus humanis ad meritum de condigno requiri statum gratiæ sanctificantis. 2. Quia ex dictis Deus veniam non concedit, nisi iis, quos recepit in suam amicitiam. Quare pœnitens prius conari debet promereri Dei amicitiam, quàm liberari à pœna peccatis debita: *Sine charitate opera facta non sunt satisfactoria*, inquit Sanct. Thomas in Suppl. quæst. 14. artic. 2. Et in responsione ad secundum: *dicendum*, inquit, *quod sicut homo nescit pro certo utrum charitatem habuerit in satisfaciendo, vel habeat: ita etiam nescit pro certò utrum plenè satisfecerit: & ideò dicitur* Eccli. 5. de propitiato peccato noli esse sine metu.

Dices, lib. 3. Reg. cap. 21. Achab quamvis impius, per animi dejectionem, & carnis afflictatio-

ctationem avertit pœnas, quas Deus per Eliam Prophetam comminatus fuerat: ergo peccator per opera laboriosa, præsertim si ex gratia fiant, potest satisfacere.

Distinguo anteced. Avertit ad tempus pœnas, in hac vita subeundas, Nego anteced. Achab itaque, ex S. Thoma cit. quæst. art. 5. ad tempus dumtaxat avertit pœnas à Propheta intentatas; illas enim tandem exolvit cit. cap. vers. 29. quia ab impietate sua non recessit. Unde colligere licet illum pœnitentiam egisse ex motivo dumtaxat merè naturali, nempè ut declinaret gravissimas pœnas, quas Elias comminatus fuerat. Porrò Deus illas ad tempus suspendit propter exteriorem Regis dejectionem, & voluntariam afflictationem, non quòd esset apud Deum illius meriti; nam ex Apostolo 1. Coriuth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero: nihil mihi prodest.* Suspendit igitur, ut tam ipse Achab, quàm subditi, vel hoc solo divinæ clementiæ exemplo, discerent Deum, quem prædicabat Elias, solum esse timendum & colendum, utpotè omnium bonorum & pœnarum auctorem; contemnenda verò idola, quæ nec benè nec malè possunt facere.

Distinguo etiam conseq. Peccator per opera laboriosa & supernaturalia potest satisfacere de congruo, vel ex opere operato, & virtute clavium, Conc. De condigno, & ex opere operantis. Nego conseq. Itaque peccator, qui ad obtinendam peccatorum remissionem seipsum dejicit, castigatque, & impensius orat cum lacrymis, vel ista suscepit propria sponte, vel ex præcepto Confessarii. Si primum, meretur de congruo, &

ex

ex opere operantis perfectam contritionem; quæ simul cum culpa plus, vel minus de reatu pœnæ temperalis remittit, quò perfectior fuerit. Eo autem perfectiorem obtinebit, quò magis ad eam sese disposuerit. Si secundum, laboriosa illa opera; utpotè partes Sacramenti ex opere operato expungunt reatum pœnæ temporalis, vel totum, vel partem ejus, prout plura & majora fuerint. Unde Confessarius in injungenda satisfactione eorum rationem habere debet, & leviorem pœnitentiam imponere ei, qui prius majores pœnas de seipso sumpsit. Hinc solvitur quæstio, utrùm qui post absolutionem in peccatum mortale lapsus est, nondum impleta satisfactione à Sacerdote sibi injuncta, reatum, qui superest, pœnæ expungat per subsequentia bona opera; dicendum enim est non expungere, quamdiu remanebit reatus culpæ mortalis, sed ad summum novum pœnæ reatum non incurrere, in hypothesi quòd per ejusmodi opera præcepto Sacerdotis satisfaciat.

In Scholis autem controvertitur, num iteranda si pœnitentia à Sacerdote injuncta, quam pœnitens post absolutionem relapsus, perficit in statu peccati mortalis?

Nonnulli Theologi affirmant, quia pœnitentia illa nullatenus exolvit reatum pœnæ temporalis, & nulla habetur solutio, quæ fit nummo adulterino.

Alii Theologi distinguunt. Vel satisfactio injuncta est actio transiens, quæ nullum producit effectum, ut oratio: vel habet adjunctum opus externum, puta jejunium, aut eleemosynam, ex quo caro debilitatur, vel substantia minuitur. Si primum, pœnitentia est iteranda. Si secundum,

dum, non eſt iteranda. Ita S. Thomas in Supplem. qu. 14 art. 3. ad 3. *Dicendum*, inquit, *quòd aliquæ ſatisfactiones ſunt, ex quibus manat aliquis effectus in ſatisfacientibus, etiam poſtquam actus ſatisfactionis tranſiit, ſicut ex jejuniis manet corporis debilitatio, & eleemoſynarum largitione ſubſtantiæ diminutio, & ſic de ſimilibus. Et tales ſatisfactiones in peccatis factæ, non oportet ut iterentur; quia quantùm ad hoc, quod de eis manet, per pœnitentiam Deo acceptæ ſunt. Satisfactiones autem; quæ non relinquunt aliquem effectum in ſatisfaciente, poſtquam actus tranſiit, oportet ut iterentur, ſicut orationes, & alia hujuſmodi. Actus autem interior, quia totaliter tranſiit, nullo modo vivificatur, ſed oportet ut iteretur.*

Alii Theologi abſolutè negant pœnitentem teneri iterare pœnitentiam cum recta intentione impletam, licèt in ſtatu peccati mortalis: tum quia bonum opus ex gratia elicitum ab homine in ſtatu peccati mortalis, eſt meritorium & ſatisfactorium de congruo, quatenus diſponit ad Sacramentum, quod cum remiſſione culpæ plus, vel minùs minuit reatum pœnæ temporalis, quò pœnitens fuerit magis, vel minùs diſpoſitus: tum quia ſicut injunctæ pœnæ ante abſolutionem implendæ virtute clavium, & ex opere operato reatum pœnæ temporalis excludunt; ita pœnæ in Sacramento injunctæ, & poſt abſolutionem exolvendæ, etiamſi ſuperveniat peccatum mortale, priuſquam expletæ fuerint: attamen cum illud peccatum in proxima Confeſſione clavibus ſubjicietur, ſatisfactoriæ evadent, ſublato impedimento, nimirum peccato mortali.

§. VII.

## §. VII.

### *De quantitate Satisfactionis.*

Q. I. *Quanta debet esse Satisfactio?*

R. Tanta, ut pro pœnitentis facultate æqualis sit debito, seu reatui pœnæ temporalis, qui major, vel minor est pro criminum qualitate. Id sonat Satisfactionis nomen, & exigit ipsa justitiæ ratio; nam, ut observavimus ex Catechismo Romano, tum fit satis cùm nihil eorum deest quæ fieri debent: & justitiæ officium est, æquare, quantum fieri potest, satisfactionem illatæ injuriæ. Sed Theologica eaque firmiora nobis suppetunt argumenta ad stabiliendam nostram responsionem. Quare

Probatur I. ex sanctis Patribus.

S. Cyprianus serm. de lapsis; *Pœnitentia*, inquit, *crimine minor non sit.*

S. Basilius in Psalm. 39. *Attende tibi, ut pro delicti proportione hinc quoque mutueris ex admota tibi medela, valetudinis instaurandæ subsidium. Magnum est & grave peccatum? Multa opus habet confessione, lacrymis amarulentis, peracri contentione vigiliarum indivulso & continenti jejunio. Levis est, nec intoleranda offensio? huic quoque exæquetur pœnitentia.*

S. Ambros. ad virginem lapsam, c. 8. *Grandi plagæ*, inquit, *alta & prolixa opus est medicina: grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.*

Beda in Psalm. 4. ad illud, *sacrificate sacrificium justitiæ*, sic scribit, *quasi dicat: ita dico, ut irascamini præteritis peccatis, ut sacrificetis sacrificium, id est, mortificetis propria vitia vestra, faciendo dignos fructus pœnitentiæ, tantum scilicet pro singulis vos affligentes, quantùm digna expetit pœnitentia, quod erit sacrificium justitiæ.*

Ne

Ne cui autem videatur hæc à Patribus fuiſſe ſcripta, non ſecundùm Dei præceptum, ſed juxta ætatis ſuæ diſciplinam, & veteres canones, qui à pluribus ſæculis non ſunt in uſu,

Probatur 2. ex Concilio Tridentino ſeſſ. 14. cap. 8. in quo ſic habet : *Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungere; ne, ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad novæ vitæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem; nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum duntaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres credunt & docent; nec propterea exiſtimarunt Sacramentum Pœnitentiæ eſſe forum iræ, vel pœnarum.*

Q. 2. *Quot ſunt obſervanda circa illam Concilii doctrinam?*

R. Quinque apprimè neceſſaria.

Primum, hæc Concilii doctrina non ad diſciplinam dumtaxat pertinet, ſed eſt ſincera ac authentica præcepti divini interpretatio, nec proinde hic opponere licet Concilium in hac parte, non eſſe receptum. Laudata enim verba, *debent ergo Sacerdotes*, &c. rationem habent concluſionis, quam Patres inferunt ex inſtitutione Sacramenti, & Dei ordinatione, quam in præcedentibus probaverant, ut legenti patebit.

Secundum, quantitas ſatisfactionis juxta hodiernam Eccleſiæ diſciplinam arbitrio Sacerdotis æſtiman-

æstimanda ita relinquitur, ut eam decernat, non pro libitu, & ad nutum, sed secundùm prudentiæ regulas tanquam fidelis Minister perpensa peccatorum gravitate, ac multitudine & pœnitentis facultate, *quantùm spiritus & prudentia suggerit*, inquiunt Patres. Et S.Thomas in Supplem. quæst. 18. art. 4. ad 1. *dicendum*, inquit, *quòd arbitrium illud debet esse divino instinctu regulatum.*

Eodem igitur modo est in arbitrio Sacerdotis determinare quantitatem satisfactionis, quo remittere, aut retinere peccata, & dispensare in votis. Unde sicut nulla & irrita est absolutio à peccatis, & dispensatio in votis, nisi concedatur secundùm judicium supremi Judicis; ita illicitè imponeretur satisfactio ad legem Christi non exacta: *Sacerdos*, inquit S. Thomas citato art. 4. *operatur in usu clavium, sicut instrumentnm & Minister Dei, nullum autem instrumentum habet efficacem actum, nisi secundùm quod movetur à principali agente, & ideo dicit Dionysius in fine Eccles. Hierarc. quòd Sacerdotibus utendum est Virtutibus Hierarchicis, quomodo divinitas eos moverit, in cujus signum* . . . . . . Joan. 20. *præmittitur potestati remissionis Apostolis datæ Spiritus Sancti donum, quo filii Dei aguntur. Unde si quis præter illum motum divinum uti sua potestate præsumpserit, non consequeretur effectum, ut Dionysius dicit. Et præter hoc à divino ordine averteretur, & sic culpam incurreret.*

Tertium: Sacerdos in imponenda pœnitentia, duo intendere debet. Primum, ut illa sit in novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum. Secundum, ut sit pœna & castigatio ob præterita delicta.

Differt ergo pœnitentia in Sacramento pœnitentiæ injungenda ab ea, quæ à Catechumenis ante Baptis-

Baptiſmum exigitur. Iſtis quippe pœnitentia injungitur dumtaxat ad promerendam Dei gratiam, qua verum dolorem de peccatis, & efficax propoſitum non peccandi de cætero concipiant, vitioſos habitus ex mala conſuetudine contractos eradicent, jugo Chriſti aſſueſiant, & cuſtodiendo ſanctificationis dono idonei reddantur. In Sacramento verò pœnitentiæ Sacerdotes *habeant.......præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam.*

Quartum: Pœnitentia debet imponi quantùm ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate. Quamvis enim conſtare non poſſit quantam pro unoquoque peccato ſatisfactionem Deus exigat, certum tamen eſt majorem exigere pro graviori peccato, quam pro leviori; pro pluribus, quam pro uno delicto. Unde meritò docent Tridentini Patres in imponenda pœnitentia attendendam peccatorum qualitatem, nec propterea exiſtimandum Sacramentum Pœnitentiæ forum iræ, vel pænarum, quemadmodum calumniantur Novatores.

Addunt ſpectandam quoque pœnitentium facultatem; quia ex S. Thoma in Supplem. cit. qu. 18. art. 4. *Pœnæ ſatisfactoriæ infligendæ medicina ſunt: ſicut autem medicinæ in arte determinata non omnibus competunt, ſed variandæ ſunt ſecundum arbitrium Medici, non propriam voluntatem ſequentis, ſed ſcientiam medicinæ: ita pœnæ ſatisfactoriæ in Canone determinatæ non competunt omnibus, ſed variandæ ſunt ſecundum arbitrium Sacerdotis divino inſtinctu regulatum.* Sicut ergo

*Medicus aliquando prudenter non dat medicinam ita efficacem, quæ ad morbi curationem ſufficiat, ne propter debilitatem naturæ magis periculum oriatur: ita Sacerdos divino diſtinctu motus non ſemper totam pœnam, quæ uni peccato debetur, injungit, ne infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ deſperet, & à pœnitentia totaliter recedat.*

Quintum: Sacerdos gravis peccati fit reus, ſi ab expoſitis per Concilium regulis timore, favore, aut negligentia notabiliter recedat; grave enim peccatum denotant laudata Concilii verba: *Ne, ſi fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

Dices cum S. Thoma cit. art. omnis Chriſti actio noſtra eſt inſtructio: atqui ipſe Chriſtus quibuſdam nullam pœnam impoſuit, ſed ſolùm morum emendationem, ut patet de adultera; Joan. 8. Ergo.

Reſpondet Angelicus Doctor, *quòd Chriſtus habuit poteſtatem excellentiæ in Sacramentis: unde ipſe ex auctoritate pœnam totam, vel partem poterat dimittere ſicut volebat: non eſt ergo ſimile de his, qui operantur tantùm ut Miniſtri.*

Q. 3. *Teneturne Sacerdos injungere pro qualitate criminum pœnas canonibus Eccleſiæ determinatas & præſcriptas?*

R. 1. Non tenetur; quia cùm Eccleſia, ſaltem Latina, à pluribus ſæculis eorum obſervationem non urgeat, cenſetur tacitè relaxaſſe veterem diſciplinam, habita ratione infirmitatis Fidelium, ne ſcilicet, ſicut ſuprà docebat Angelicus Doctor, *infirmus aliquis ex magnitudine pœnæ deſperet, & à pœnitentia totaliter recedat.*

Dixi

Dixi, *ſaltem in Eccleſia Latina ;* nam in Græca adhuc vigent.

Dices, Eccleſia non poteſt relaxare quæ ſunt juris divini : atqui ex præcepto divino & inſtitutione Chriſti, ſatisfactio debet reſpondere gravitati culpæ. Ergo

Diſtinguo maj. Non poteſt relaxare ſine cauſa, Conc. Cum cauſa, nimirùm exigente pœnitentium infirmitate, Nego maj. Namque vota ex præcepto divino ſunt implenda ; & tamen Eccleſia, propter graves cauſas auctoritate ſibi conceſſa, Matth. 18. *quæcunque ſolveritis*, &c. illa commutat, aut relaxat.

R. 2. Licèt Canones Pœnitentiales hodie non habeant vim legis, S. tamen Carolus in Inſtructione Confeſſariorum à Clero Gallicano approbata anno 1655. & plures Synodi poſt Concilium Tridentinum celebratæ, ut Bituricenſis anno 1584. can. 9. de Pœnitentia, docent eorum notitiam Sacerdotibus etiamnunc eſſe neceſſariam, tum ut peccati gravitatem ad pondus Sanctuarii æſtiment : tum ut oculis pœnitentium exponant quibus obnoxii ſint pœnis, etiam dimiſſa culpa, quas proculdubio non effugient, niſi voluntariis caſtigationibus judicium Dei præveniant. Enimverò juſtitia Dei, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, Jacobi 1. eadem ſemper permanet, pœnaſque eaſdem etiam nunc, quas priſcis temporibus pro peccatis exigit, nec fas eſt credere Eccleſiam fidelem ejus interpretem graviores olim injunxiſſe, quàm peccata mererentur. Quapropter Canones Pœnitentiales, quamvis ex condeſcenſu quodammodo neceſſario vim legis hodie non habeant, certò tamen do-

docent quantus remaneat reatus pœnæ temporali exolvendæ. Operæ pretium ergo fuerit ex pluribus Canonibus Pœnitentialibus eos hìc colligere, quorum notitia Sacerdotibus hujus temporis ſit utilior.

## §. VIII.

### *Referuntur Canones Pœnitentiales juxta ordinem Decalogi.*

Sequentes Canones ex variis Conciliis, & Libris Pœnitentiariis collecti ſunt à Gratiano, Ivone, & aliis.

### CIRCA I. DECALOGI PRÆCEPTUM.

Qui à fide deſciverit, pœnitentiam aget annis decem.

Qui alicui Gentilium ſuperſtitioni operam dederit, pœnitens erit duos annos..

Qui auguriis & divinationibus ſervierit, quive Incantationes Diabolicas fecerit, in pœnitentia erit annos ſeptem.

Qui Magos conſuluerit, pœniteat annos quinque.

Qui herbas medicinales cum incantationibus collegerit, pœnitentiam aget dies viginti.

Si quis ligaturas, aut faſcinationes fecerit, pœnitens erit annos duos.

### CIRCA II. PRÆCEPTUM.

Quicunque ſciens pejeraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & ſeptem ſequentes annos pœniteat; & nunquam ſit ſine pœnitentia, & nunquam

quam in teſtimonium recipiatur, & poſt hæc Communionem percipiat.

Qui perjurium in Eccleſia fecerit, pœnitentiam aget annos decem.

Si quis ſe jurejurando obſtrinxerit, ut cum aliquo litiget, nec pacem cum eo reconciliet, in pœnitentia erit diebus quadraginta in pane & aqua, per annum à ſacra Communione ſegregatus; ad charitatem verò celeriter redeat.

Si quis Deum, vel beatam Virginem, vel aliquem Sanctum publicè blaſphemaverit, præ foribus Eccleſiæ diebus Dominicis ſeptem in manifeſto, dum Miſſarum ſolemnia aguntur, ſtet; ultimoque ex illis die ſine pallio & calceamentis, ligatus corrigia circa collum: ſeptemque præcedentibus feriis ſextis, in pane & aqua jejunet, Eccleſiam nullo modo tunc ingreſſurus. Singulis autem ſeptem illis diebus Dominicis tres, aut duos, aut unum pauperem paſcat, ſi poteſt; alioquin alia pœnitentia afficiatur. Recuſans, Eccleſiæ ingreſſu interdicatur, in obitu Eccleſiaſtica careat Sepultura. Dives à Magiſtratu mulctetur pœna ſolidorum quadraginta, alioqui triginta, ſeu viginti.

## Circa III. Præceptum.

Qui opus aliquod ſervile die Dominico feſtove fecerit, pœnitentiam aget tres dies in pane & aqua.

Qui die Dominico vectaverit, dies ſeptem pœnitentiam aget.

Si quis ante Eccleſias, vel die feſto ſaltationes

nes fecerit, pollicitus emendationem pœnitentiam aget annis tribus.

Si quis pranſus Miſſæ interfuerit, pœnitens erit dies tres in pane & aqua.

Si quis in Eccleſia confabuletur, cùm Divina fiunt, pœnitens erit dies decem in pane & aqua.

Si quis jejunia S. Eccleſiæ violaverit, pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Qui in Quadrageſima jejunium violaverit, pro uno die pœnitentiam aget dies ſeptem.

In Quadrageſima, carne ſine inevitabili neceſſitate veſcens, in Paſcha non communicet, ac prætereà à carne abſtineat.

## Circa IV. Præceptum.

Qui parentibus maledixerit, quadraginta dies pœnitens ſit in pane & aqua.

Qui parentes injuria affecerit, tres annos.

Qui percuſſerit, annos ſeptem.

Si quis contra Epiſcopum, Paſtorem, & patrem ſuum inſurrexerit, in Monaſterio omnibus diebus vitæ ſuæ pœnitentiam aget.

Si quis Epiſcopi ſui, aut Miniſtrorum ejus, vel Parochi ſui præcepta contempſerit, vel irriſerit, pœnitentiam aget quadraginta dies in pane & aqua.

## Circa V. Præceptum.

Si quis Presbyterum occiderit, quinque annis ab ingreſſu Eccleſiæ arcebitur, decem annis non communicabit, & nunquam erit ſine pœnitentia.

Si

Si quis patrem, aut matrem, fratrem, aut ſororem occiderit, toto vitæ ſuæ tempore non ſuſcipiat Corpus Domini, niſi in obitu: abſtineat à carne & vino dum vixerit, jejunet ſecunda, & quarta, & ſexta feria.

Qui ſceleris occultandi cauſa filium necarit, pœnitentiam aget annos decem.

Si qua mulier ſpontè abortum fecerit, pœnitentiam aget annos tres: ſi nolens, Quadrageſimas tres.

Qui nolens filium oppreſſerit, pœnitentiam aget dies quadraginta in pane & aqua, oleribus, & leguminibus, abſtinebit ab uxore dies totidem. Deinde pœnitens erit tres annos per legitimas ferias: tres prætereà Quadrageſimas in anno obſervabit.

Cujus filius ſine Confirmationis Sacramento moritur, parentes, quorum negligentia id factum eſt, pœnitentiam agent annos tres.

Si mulier maritum ſuum cauſa fornicationis interfecerit, ſæculum relinquat, & in Monaſterio pœniteat.

Si quis hominem occiderit, ad januam Eccleſiæ ſemper erit, & in obitu Communionem recipiet.

Qui homicidii auctor fuit, ob conſilium quod dedit, erit in pœnitentia quadraginta dies in pane & aqua, cum ſeptem ſequentibus annis.

Si quis per iram ſubitam, aut per rixam hominem necarit, pœnitentiam aget annos tres.

Si quis caſu homicidium fecerit, pœnitens erit quadraginta dies in pane & aqua: quinquennio Communione privabitur: à cibis abſtinebit arbitrio Sacerdotis.

Si quis aliquem vulneraverit, vel ei aliquod membrum præciderit, pœnitentiam aget uno anno per legitimas ferias.

Si quis ictum proximo dederit, nec nocuerit, tridui pœnitentiam aget in pane & aqua.

Si quis fratri suo, quem oderit, reconciliari non vult, tandiu in pane & aqua pœnitentiam aget, quoad reconcilietur.

## CIRCA VI. PRÆCEPTUM.

Si Laicus solutus cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres.

*Adulterium modò quinquenni, modò septenni, vel etiam decenni pœnitentia pro variis circumstantiis expiabitur.*

Qui cum uxore sua turpiter concubuerit, pœnitens erit quadraginta dies.

Qui cum duabus sororibus fornicatus fuerit, aut filiam spiritualem violaverit, perpetuam pœnitentiam aget.

Qui incestum alium non ita enormem fecerit, duodecim annis pœnitebit.

Si quæ mulier cerussa, aliove pigmento se oblinit, ut aliis viris placeat, pœnitentia afficietur annorum trium.

Qui turpiloquio, aspectuque polluitur negligens, pœnitnntiam aget dies viginti.

## CIRCA VII. PRÆCEPTUM.

Qui furatus est aliquid de Ecclesiæ supellectili, vel thesauro, tres carenas cum septem sequentibus annis pœnitebit.

Pe-

Pecuniam Ecclesiasticam, oblationesve, quæ Ecclesiæ factæ sunt, furatus, pœnitens erit annos septem.

Qui decimam sibi retinuerit, aut dare neglexerit, quadruplum restituet, & pœnitentiam aget dies viginti in pane & aqua.

Qui Hospitalis Domus Administrator aliquid de administratione subtraxerit, restituet quod abstulit, pœnitensque erit annos tres.

Qui pauperem oppresserit, pœnitens erit dies triginta in pane & aqua.

Si quis furtum de re minori fecerit, pœnitentiam aget annum unum.

Qui rem inventam non reddit, tanquam de furto pœnitentiam aget.

Si quis usuras accipit, rapinam facit, pœnitentiam aget annis tribus, uno in pane & aqua.

## Circa VIII. Præceptum.

Qui affirmaverit verum esse quod falsum est, pœnitentiam aget ut adulter.

Qui falso testimonio consenserit, pœnitens erit annos quinque.

Qui proximo detraxerit, pœnitens erit dies septem in pane & aqua.

Falsarius in pane & aqua pœnitentiam aget quandiu vivet.

## Circa IX. & X. Præceptum.

Rem alienam nefariè concupiscens, pœnitens erit annis tribus.

Qui rem aliquam proximi invenire cupit, ut illam sibi retineat; pœnitentiam aget, ut suprà dictum est de furto.

Si quis concupiſcit fornicari, ſi Epiſcopus, pœnitens erit annos ſeptem: ſi Presbyter, quinque: ſi Diaconus, vel Monachus, tres: ſi Clericus, aut Laicus, annos duos.

Si quis in ſomnis ex immundo deſiderio polluitur, triginta dies ſit in pœnitentia.

## §. IX.

### *Quid obſervandum eſt Sacerdoti, ut ſalutares & convenientes ſatisfactiones injungat, juxta Præceptum Concilii Tridentini.*

Priuſquàm propoſitæ quæſtioni fiat ſatis, nonnulla præmittenda ſunt.

1. Meminiſſe oportet, ex Tridentino ſeſſione 14. cap. 8. ſatisfactionem injungi Primò, ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum. Secundò, ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: ſatisfactionem priori modo ſpectatam appellabimus medicinalem; poſteriori verò pœnalem & vindicativam.

Medicinalem ſatisfactionem convenienter præſcribere eſt periti Medici, & pœnalem Judicis integerrimi, qui tamen ſciat compati infirmitatibus; Sacramentum enim pœnitentiæ non eſt forum iræ, ſed miſericordiæ, & in pœnitentium ſalutem inſtitutum. Cùm ergo Confeſſarius in hocce Tribunali perſonam gerat Medici ſimul & Judicis: *quærat ante omnia*, inquit S Bernardus ſerm. 2. de Reſurrectione, *compaſſionis affectum*, *dehinc rectitudinis zelum*, *& inter hæc diſcretionis ſpiritum non amittat. Quoties peccantem videris fratrem, continuò præcedere debet compaſſionis affectus tanquam cognatus humanitati, quippe quem concipis ex teipſo . . . . . . Sed quid*

*quid agimus quòd nonnulli dura cervice, & attrita ſunt fronte, ut quo eis magis compatimur, tantò magis noſtra compaſſione & patientia abutantur? Nonne ſicut compatiebamur fratri, ita ipſi juſtitiæ compatiendum eſt, quam videmus tam impudenter abjici, tam impudenter provocari? Scio quia, ſi quæ eſt in nobis charitas, contemptum hunc Dei ferre æquanimiter non poſſumus: hic eſt zelus juſtitiæ . . . . . veruntamen oportet ut priora ſibi vindicet compaſſionis affectus; alioquin conterimus quaſſatum calamum, extinguimus lignum fumigans;* Nam ut infra monet ſanctus Doctor, *volat irrevocabile verbum, & quod ſanare debuerat; quia mordacius fortè videtur, exaſperat, & exulcerat magis.* Legendus eſt ſermo integer.

2. Monendum imprimis eſt, ſcientiam Confeſſarii, & artem medicinæ ſpiritualis in eo poſitam eſſe maximè, ut nihil niſi aptum, accommodatumque perſonæ imperetur, ut præſcribantur remedia, ita propria atque congrua, ut ſolvatur à vitiis anima, & ſanitatem (quæ nihil aliud eſt, præter amorem exercitiumque virtutis) recuperet, ac ſemel adeptam cuſtodiat.

Non enim bonus dicendus ille Medicus eſt, qui de omni morborum genere diſſerere calleat, eoſque apprimè detegere, niſi eoſdem ſanare poſſit. Neque etiam ille Medicus erit, qui omne remediorum genus adversùs morbos omnes penes ſe habeat, inſtar neſcio cujus Pharmacopolæ. Sed ille, inquit ſanctus Baſilius, verè Medicus eſt, qui novit remedia eligere maximè opportuna, & ſic ægrotantem comparat, ut electis remediis commodè & ſalutariter uti poſſit. Verbo dicam, ille optimus longè Medicus eſt, qui plures ſanat ægrotos, quamvis fortaſse nec do-

ctior

ctior sit, nec majorem copiam adhibeat remediorum.

Sic certè non ille bonus dicendus omninò Confessarius est, qui accuratiùs novit dijudicare inter lepram & lepram; nec ille, qui pœnitentis conscientiam penitus perscrutetur, & excutiat; aut etiam ille, qui omnes conscientiæ casus facilè expediat; nec ille denique, qui remedium præseferat maximè per se efficax; aliàs nemo non esset Confessarius optimus; quoniam absolutio; quam quisque potest impertire, habet in se vim virtutemque omnia peccata delendi.

Bonus igitur Confessarius ille est, qui salutaribus præscriptis removet, quidquid absolutioni obstare possit, qui pœnitentes infirmos confirmet, illosque ita adjuvet, ut perversam indolem suam tandem emendent & corrigant, comparatamque ex longo peccandi consuetudinem deponant, ac virtutis iter validiùs insistant.

Hoc tamen discrimen interest Medicum inter animarum, & Medicum corporum, quòd hic morbos sæpè insanabiles reperiat, quibus curandis desunt remedia: ille autem ope absolutionis, omnes omninò morbos sanare possit, dummodò se pœnitens docilem obsequentemque monitis salutaribus præbeat.

3. Notandum est, quòd quemadmodum ars sanandi corpora continet in se perfectam Anatomiæ cognitionem, totiusque conformationis corporum humanorum, necnon & partium, quibus admirabilis illa machina compacta est, in quarum quidem partium inter se consensu, & quasi temperamento sanitas consistit, in illarum autem dissensione, morbus; ita, ut malum, quod sese exteriùs

teriùs prodit, ſanari non queat, niſi radix & cauſa mali tollatur, omneſque machinæ partes in priſtinum naturalemque ſtatum reſtituantur:

Sicque ſanandos animæ morbos ſuſcipit, quique bonus Confeſſarius eſſe cupit, cognoſcat penitùs neceſſe eſt cordis humani affectiones, & ſecretos receſſus, qua potiſſimùm re, vel huc vel illuc impellatur, & qua ratione fiat, ut ex tam diverſis affectibus aliquando extra prodeant eædem ſcelerum fæces. Nam execrationes, inimicitiæ, injuſtitiæ, atque officii tum erga Deum, tum erga proximum damnoſa neglectio oriuntur in his quidem ex dominantis ſuperbiæ vitio, in illis ex zelotypiæ, in aliis ex avaritiæ, in aliis denique ex inſito rerum ſpiritualium faſtidio, quod vitium appellant Theologi acediam. Jam verò ſi Confeſſarius nequeat in has humani pectoris latebras penetrare, aget cum pœnitentibus inſtar Empyrici illius Medici, qui fruſtra corpori remedia exterius applicat; quia, ut ipſius mali radices non diſcernit, ita nec reſecare valet.

Porrò ex una noſtri ipſorum cordis inveſtigatione cognoſcere poſſumus, qui ſint affectus, quæ ſenſa eorum hominum, qui peccata nobis ſua detegunt, Medici quidem corporum facile diſcunt ex alieno corpore varias in partes diſſecto, atque attentiùs explorato, quibus inter ſe nexibus compactum ſit corpus humanum; atque hac experientia vident, unde morbi qui ſe promunt extrà, naſcantur, quibus cognitis, facilè remedia comparantur.

Verùm Medici animorum, quæ ſunt alterius non niſi ex ſeipſis intelligere queunt, ſua ipſorum corda primùm excutiant neceſſe eſt; ut in illa ſpiri-

ſpirituali anatome, ſeu diſſectione agnoſcant, quàm occultè & ſubtiliter radices ſuperbiæ & inordinati amoris ſui ex peccato originali relictæ ſerpant in omninum hominum conſilia, niſi coerceantur aſſiduis caſtigationibus; & frequenti meditatione divini ſermonis, qui ex Apoſtolo, Hebr. 4. *Eſt penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis.* Loco verbi *diſcretor*, græcè legitur κριτικὸς, ſcilic. pius ille vir, qui cæterorum mores ad virtutem informat, quidquid in ſeipſo eſt, cenſor ſeverus explorat, omnes pectoris ſui motus exagitat, quid ſit animale, quid ſpiritale, quid ad animam, quid ad ſpiritum pertineat, abunde diſcernit, experiturque, ineſſe ſibi ſemina omnium penè vitiorum, in quæ abriperetur miſer; niſi Dei gratia orationis beneficio, & vigilanti affectuum coercitione ab ejuſmodi corruptela liberaretur.

Sic apprimè animadvertens, quæ ſit cordis ſui ex originis peccato orta depravatio, & inveſtigans ſedulò, quibus poſſit illa curari remediis, ſimili arte tractare cæteros diſcit & emendare, quemadmodum ſcriptum eſt Prov. 18. verſ. 17. *Juſtus prius eſt accuſator ſui, venit amicus ejus, & inveſtigabit eum.* His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem

R. 1. Quod ad pœnitentiam medicinalem pertineat, ut illa conveniens ſit, ac ſalutaris. 1. Confeſſarius præ oculis habeat, quod de ea ſcribunt Tridentini Patres ſæpius laudato cap. 8. *Magnopere*, inquiunt, *à peccato revocant, & quaſi fræno quodam coercent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſque & vigilantiores*

*lantiores in futurum pœnitentes efficiunt : medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitiosos habitus male vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt .... accedit ad hæc, quòd dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quòd si compatimur & conglorificabimur.*

Viderint ergo Confessarii, qui unum, aut alterum Psalmum, vel Litanias, sive Rosarium B. Virginis, adde, si velis, aliquod jejunium omnibus animæ morbis indiscriminatim imponunt, quàm longè recedant à conditionibus medicinalis pœnitentiæ in Concilio Trid. præscriptis; nemo quippe non videt, ejusmodi satisfactionibus nec concupiscentiam coerceri, nec vitiosos habitus tolli, nec pœnitentes cautiores reddi, aut Christo effici conformes. Aliæ ergo sunt quærendæ spirituales medicinæ, quæ enumeratis effectibus producendis sint comparatæ. Ut autem illud assequatur Confessarius,

2. Observabit, quodnam capitale vitium dominetur pœnitenti, an superbia, seu inanis gloriæ apetitus, an avaritia, an acedia, &c. Illud autem colliget, si inquirat à pœnitente, cur lapsus sit in gravia illa peccata, quorum se reum confitetur, puta execrationis, odii in proximum, furti, violati jejunii, &c. Alter fortè dicet, quia contemptui est habitus, vel læsa ejus fama, & superbus est: alter, quia damnum fuit ipsi illatum, & hic avarus; alter, quia obturbata est ejus quies, & voluptas, & hic voluptuosus: alter denique, quia res spirituales & divinas fastidit, & hic est impius. Ergo quamvis in omnibus

illis

illis pœnitentibus eadem crimina ſe promant extra, propter quæ ſimilem merentur pœnam, ſinguli tamen inteſtinis morbis laborant longè diverſis, quibus non eodem modo, ſed variè curationem adhibere neceſſe eſt, alioquin Confeſſarius pœnitentes Empyricorum more tractaret, nec ſatisfactiones medicinales convenienter imponeret: *Imperitus eſt Medicus*, inquit ſanctus Cyprianus ſerm. de lapſis, *qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum* (puta ſpiritum ſuperbiæ, aut avaritiæ, aut acediæ) *dum ſervat, exaggerat;* niſi enim ſentes, & gramina radicitùs evellantur, validiùs repullulant.

Cùm igitur ex bonis actibus ſæpiùs repetitis naſcantur virtutes, tollanturque vitia oppoſita, Confeſſarius imperabit humilitatis exercitia contra ſuperbiam & inanis gloriæ appetitum, liberalitatis contra avaritiam, pietatis contra acediam, &c. orationes præſcribit, in quibus pœnitens ſuam ſuperbiam, avaritiam, impietatem confitebitur Domino, ejurabitque, & gratiam impenſiùs poſtulabit, qua ſibi injuncta virtutis exercitia ſedulo & cum fervore decurrat; nam deprecatio, juxta ſanctum Chryſoſtomum libro 1. de orando Deo, eſt caput omnium bonorum, baſis, ac radix vitæ frugiferæ: *Nihil eſt, quod non obtineat oratio*, inquit, hom. 23. in Matth. *etiamſi mille peccatis obnoxius ſis, ſed vehemens, ſed aſſidua.* Et auctor libro de Eccleſ dogmat. cap. 56. inter opera ſancti Auguſtini: *Nullum credimus ad ſalutem, niſi Deo invitante, venire; nullum invitatum ſalutem ſuam, niſi Deo auxiliante, operari: nullum, niſi orantem auxilium promereri.*

Ad ſanitatem ſecurius & citius veniet curatio, ſi pœnitens ex præſcripto Confeſſarii addat pias lectiones, & in fine cujuſque diei ſeipſum diligentiùs expendat, ac caſtiget ubi ſe deliquiſſe deprehenderit.

Dicet fortè aliquis, certam quidem eſſe hancce medendi rationem, & ad vitæ novæ cuſtodiam apprimè accommodatam; ſed rigidiorem videri, ac infirmitati pœnitentium minimè conſentaneam.

Sed qui illud objicit, aut Patres Tridentinos contumelioſè vocet Rigoriſtas; aut, ſi male eorum doctrinam nos exponere arbitretur, afferat, ſi audet contra communem hominum ſenſum, habitus vitioſos tolli poſſe ſine contrariis actibus, vera pœnitentia peccatorum cauſas non reſcindi, pœnitentes ſine ejuſmodi exercitationibus cautiores, ac vigilantiores effici, & Chriſto fieri conformes; his enim characteribus Patres Tridentini ſatisfactionem præcepto divino pœnitentibus injungendam deſcribunt: *Vociferetur & clamet licèt, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodùm, cùm ſenſerit ſanitatem*, S. Cyprianus cit. ſerm. de lapſis. Sed ad obtrectatores illos non pertinet ſanare, aut emendare pœnitentes, ſatiſque eſt ipſis ſi plures abſolvant, & quàm citiſſimè Confeſſionibus finem imponant.

At, inquies, Sacerdos ex Tridentino ſalutares & convenientes ſatisfactiones debet injungere, non ſolùm pro qualitate criminum, ſed etiam pro pœnitentium *facultate:* Ergo non omnibus pœnitentibus imponendæ ſunt medicinales ſatisfactiones, quæ peccatorum cauſas reſcindant, vitioſos habitus tollant, pœnitentes tanquam fræno

coerceant, eosque efficiant vigilantiores ac Christo conformes, id enim non fert omnium pœnitentium infirmitas.

Concesso antecedente, Nego conseq. Nunquid enim Medicus, quia explorare debet vires infirmi, & secundùm illas curare, subtrahet remedia, sine quibus decumbens mortem non effugiet, & quibus adhibitis, levabitur, vires recuperabit, ac tandem sanitatem consequetur quamvis non sine aliquo dolore? Itaque,

Concilium præsertim spectat satisfactiones vindicativas & pœnales, quæ ut dicetur infrà, temperandæ sunt, & minuendæ pro pœnitentium infirmitate, quamvis gravissimè deliquerint: tum quia non sunt necessariæ necessitate medii, sed præcepti dumtaxat, quod relaxari potest & debet, quando sine ejusmodi indulgentia infirmorum salus morali exponeretur periculo; Nam, ex Tertulliano, honos Dei est salus hominis: tum quia in satisfactione vindicativa, est labor & pœna, quam si Confessarius semper commetiatur cum gravitate, & multitudine criminum, infirmiores aliquando sub onere conciderent.

Medicinalis verò satisfactio. 1. Necessaria est, non solùm necessitate præcepti, sed etiam medii; ad ultimum quippe finem consequendum, necesse est ut peccator mores emendet, cupiditates coerceat, & Christo conformet se, quod non assequetur nisi assumat media consentanea. Hinc Confessarii virtute Jubilæi de pœnis sive injunctis, sive injungendis, remittere possunt, nihil verò de satisfactionibus medicinalibus, utpotè quæ sint ad salutem pœnitentium necessariæ. 2. Nec onera dici debent, sed levamina; imbecilitatem enim no-

noſtram ſuſtentant ac roborant, ut quiſque ex proprio uſu diſcere poteſt; ſi ſeipſum circumſpicere velit; quis enim, ubi ſenſit ſe animo dejectum, rerum divinarum ſapore non capi ſicut priùs, tentationibus commoveri, & quodammodo labeſcere, non expertus eſt ſe orationis auxilio fuiſſe erectum, ſacra lectione recreatum, & piis exercitationibus in bono propoſito confirmatum? Ergo Confeſſarius ex ſeipſo intelligat quæ ſunt pœnitentium, & quo illos infirmiores advertit, eò magis medicinalibus ſatisfactionibus illos exerceat, etiamſi minùs peccaverint, ut docet S. Thomas in 4. diſt, 20. quæſt. 1. art. 1. *Quia*, inquit, *peccato unius difficilius poteſt reſiſti, quàm peccato alterius; ſicut juveni pro fornicatione imponitur major pœnitentia quam ſeni, quamvis minus peccet: vel quia in uno peccatum eſt periculoſius, ſicut in Sacerdote, quàm in alio: vel quia multitudo magis prona eſt ad illud peccatum.*

Nec dicas ejuſmodi ſpiritualia exercitia eſſe quidem ad novæ vitæ cuſtodiam accommodata, & juſtis ad virtutem exercitatis perjucunda, ſed rudioribus, & iis, qui tritas ſeculi vias ambulant admodum laborioſa, & moraliter impoſſibilia; namque 1. ſi rudiores & vitam in ſeculo agentes, non capiunt verbum iſtud, *poſt concupiſcentias tuas non eas, & à voluntate tua avertere.* Eccli. 18. & ad obtinendum Dei auxilium & ſpiritum bonum, petere ac pulſare non valent, verè Chriſtiani non ſunt, *qui enim ſunt Chriſti*, ſive rudes, ſive ſpirituales, ſive in ſeculo, ſive in clauſtro, degentes, *carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis.* Gal. 5. & omnibus dicitur, *vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem*, Matth. 26. v. 2. amanti

justitiam, & diligenti Deum super omnia, jugum Christi est leve & suave: atqui per absolutionem, quivis pœnitens, etiam rudior, cum remissione peccatorum recipit cor novum, Spiritum Sanctum, per quem diffunditur charitas: Ergo suave debet ei fieri, quod hactenus fuerat ipsi ingratum & intolerabile, alioquin absolutio fuit irrita & nulla, adhuc totus est in peccatis suis. Consule quæ in hanc rem dicta sunt Tractatu de Gratia, ubi de Justificatione.

3. Multum juvat ad fugam peccati, & novæ vitæ custodiam Sacramentalis Confessio, quam Confessarius eo frequentiorem imperabit, quo infirmiorem agnoscit pœnitentem; æger quippe ardenti & continua febre laborans, sæpius invisendus est à Medico, & frequentioribus levandus est remediis, quàm si tertiana tantum aut quartana febris eum occuparet.

4. S. Carolus Borromæus in Instruct. sacram. pœnit. docet salutarem admodum fore pœnitentiam, si pœnitentes vota Baptismi in memoriam revocent, & ex præcepto Confessarii ea identidem in orationibus perpendant, nixique Dei auxilio seipsos concitent ad illa religiosè servanda: *Eam pœnitentiam imponet*, inquit, *ut in hebdomada manè certis diebus (id quod in singulos dies etiam faciendum esse gravissimè beatus Chrysostomus monet) sancta meditatione proposita, solemnem illam sponsionem, quam per compartes in Baptismo sanctè fecerunt; redintegrent, intimè Deum precando, in qua precatione firmo stabilique animo proposito statuant se Christo Domino adhærere, renuntiareque iterùm atque iterùm, sæculi pompis, operibus tenebrarum, & diabolo imprimis, cui se adversarios esse, & professi sunt & profitentur perpetuò.*

Enim-

Enimverò Sacramentum Pœnitentiæ dicitur à SS. Patribus, Baptiſmus laborioſus; quia pœnitens ad novitatem & integritatem, quam in Baptimo conſecutus fuerat, & per peccata ſubſequentia miſerè perdidit, magnis fletibus & laboribus pervenire contendit, dolet perfidiam, qua ſacroſanctum fœdus cum Deo ſancitum ſacrilegè fregit, illud ſolemniter innovat, ſervaturumque ſe ſollicitus profitetur. Quomodo verò ſervabit, ſi de eo non cogitet? ſi illius conditiones aut ignoret, aut obliviſcatur? Ergo Confeſſarius pœnitenti imprimis injunget, ut vota Baptiſmi identidem meditetur, quin officii eſſet cujuſvis Paſtoris curare ut ſinguli Parochiani, ne fœdifragi apud Deum exiſtant, ea in cubiculis deſcripta haberent, & oculis expoſita. Habentur fusè explicata Tract. de Baptiſmo, c. 12. circa finem.

Atque hæc de Medicinali pœnitentia, neceſſitate medii neceſſaria non ſolum lapſis, ſed & Juſtis, etiam iis, qui à gratia Baptiſmatis nunquam excidere; natura quippe humana per peccatum originale vulnerata eſt, & plaga ipſi inflicta (concupiſcentiam intelligo) nondum eſt obducta, quin exaſperatur, & mortem animæ conſciſcit, niſi continuis pœnitentiæ medicamenibus curetur, adeò ut Confeſſarius in hac parte novum onus pœnitentibus non imponat, ſed eos ad officium temere intermiſſum revocet. Quod verò attinet ad pœnitentiam vindicativam & pœnalem

R. 2. Confeſſarius metietur pœnam cum gravitate & multitudine peccatorum: tum facultate & diſpoſitionibus pœnitentium,

Menſuram pœnæ peccatis debitæ exhibent Canones pœnitentiales, qui etſi ab aliquot ſæculis

non vigeant in Ecclesia Latina, ex his tamen Confessarius intelligit quanta debeatur pœna singulis peccatis quoad culpam jam remissis; *Quamvis*, inquit S. Antoninus 3. parte tit. 17. cap. 21. *pœnitentiæ injungendæ à Confessore pœnitentibus hodie sunt arbitrariæ, & ad arbitrium Judicis, id est, Confessoris imponendæ . . . . . tamen ut Sacerdos circa hujusmodi dispensationem cautiùs arbitretur, notandi sunt casus, in quibus per Canones certæ pœnitentiæ imponuntur. Nam & Canones pœnitentiales tenetur scire Sacerdos, aliàs vix in eo nomen Sacerdotis constabit.* Et Catechismus Romanus, parte 2. num. 113. & 114. *In irroganda satisfactionis pœna Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia justitia, prudentia, & pietate dirigenda existimabunt. Atque ut hac regula peccata metiri videantur, & pœnitentes scelerum suorum gravitatem magis agnoscant, operæ pretium erit interdum eis significare quæ pœnæ quibusdam delictis ex veterum Canonum præscripto, qui pœnitentiales vocantur, constitutæ sunt. Igitur universæ satisfactionis modum culpæ ratio imperabit.*

Cum gravitate autem peccatorum Confessarius perpendeat 1. eorum multitudinem, & quoties commissa fuerint; nam si quis in eodem peccati genere sæpius offenderit, dignus est, qui graviori pœna afficiatur, ut monet S. Carolus in Instruct. pœnitentiæ. 2. peccati speciem, ut pœna contra illud directè pugnet, conferat ad pœnitentis emendationem, ac vitiosos ejus habitus tanquam malas radices, evellat; *Faciat*, inquit S. Carolus in Instruct. Confess. *ut imposita pœnitentia peccatis respondeat. Ita pro peccatis luxuriæ injungantur jejunia, vigiliæ, peregrinationes, cilicii usus, aliaque hujusmodi corpori macerando propria. Pro avaritiæ peccato, præter debi-*

*debitas restitutiones, eleemosynæ pro cujusque facultatibus imponantur. Sanandæ superbiæ aliisque peccatis spiritualibus oratio adhibeatur, qua coram Deo vires & vigor acquiruntur, quibus his peccatis obsistatur . . . . . in devotis & tepidis juvabit imponere, ut Ecclesias, divinaque officia oraturi sæpiùs adeant.*

Habenda quoque est ratio facultatis & fragilitatis pœnitentium in injungenda pœnitentia vindicativa; sed aliter quam in imponenda medicinali; medicinalis enim ex dictis pro majori infirmitate pœnitentis major & frequentior esse debet; vindicativa vero minor: *Canonum pœnitentias*, inquit S. Carolus in Instruct. pœnit. *ut tempora ferunt, pro charitate & prudentia sua minuet, prout peccati & peccatoris circumstantiæ requirent, in quibus rationem etiam habebit contritionis ejus, qui peccavit. Demonstrabit tamen iis, qui gravius peccarint (quo magis scelerum suorum magnitudinem agnoscant) quanta ipsis pœnitentia ex Canonum regulis imponenda esset. Nec verò putent sua peccata levia esse, quia parva illis pœnitentia data est, sed hoc factum esse, ne eam, quæ pro culparum ratione injungenda erat, deferant cum periculo salutis suæ. Proinde pœnitentes ideò hortandi erunt, ut præter pœnitentiæ opera imposita, plura etiam alia præstare conentur;* nam, ut supra observavimus, peccatis hodie non minus læditur Divina Majestas, quam prioribus sæculis; nec pro iis justitia minores nunc pœnas exigit, quàm antiquitus, ac proinde si peccator sibi parcat, Deus ipse vindicabit: horrendum autem est, inquit Apostolus Heb. 10. incidere in manus Dei viventis: & 1. Cor. 11. *si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.*

Ex pœnitentibus verò alii ægro sunt corpore: alii gravibus occupantur operibus, ut agricolæ,

 artifi-

artifices : alii viribus corporis pollent, sed levis ac instabilis sunt voluntatis, ac imbecilli consilii, propVtereaque iis omnibus indulgendum, & de pœnis remittendum. Graviter decumbentibus præscribenda est pœnitentia, quam percurrent, ex Concilio Nicæno & Carthaginensi IV. suprà laudatis, postquam convaluerint. Interim Confessarius exponet morbum hunc esse paternam Dei castigationem. Nam ex Apostolo 1. Cor. 11. corripimur à Domino, ne cum hoc mundo damnemur, ac proinde sustinendum in spiritu humilitatis, & in animo contrito; pluresque actus patientiæ & contritionis injunget singulis diebus eliciendos, qui dolorem lenient, nedum intendant, ut supra diximus pag. 306. & seq.

Qui duris, ac laboriosis operibus vacant; perplexos & incertos habent Confessarios, si quando in graviora & enormia peccata prolapsi sint; illi quippe tenuiter vivunt, desudantque die ac nocte ad alendam familiam; quid ultra in satisfactionem vindicativam exiget Confessarius.

Vel illi peccatum agnoscunt, & acri dolore percelluntur, vel illud parvi faciunt, & nullatenus aut vix inde commoventur, ut sæpè contingit.

Si primum, Confessarius 1. commonebit in pœnam peccati originalis hanc fuisse Dei sententiam Genes. 3. *maledicta terra in opere tuo . . . . . in sudore vultùs tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram, de qua sumptus es.* Quare hortabitur pœnitentem, ut toto corde ejusmodi pœnam amplectatur uti jam leviorem propter horrenda quæ superaddidit crimina. Atque ut isto pœnitentiæ motivo

motivo feratur ad ſolita opera, Confeſſarius injunget preces matutinis & ſerotinis horis quotidie perſolvendas, adjunget & iſtas, aut alias hujuſmodi breviſſimas per diem ter aut quater iterandas, aliquando etiam flexis genibus, ſi opportunum ſit: *ego in flagella paratus ſum, & dolor meus in conſpectu meo ſemper.* Item, *hic ure, hic ſeca, dum in æternum parcas.* Item, *Domine, non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad præteritam meam culpam.* 2. imperabit, ut ardentiori ſtudio curet Deum coli in ſua familia, frequenter de ejus lege loquatur; juſtum enim eſt, ut qui honorem Dei tam graviter læſit, ſatagat tum per ſe, tum per alios reparari. 3. præſcribet ut diebus Dominicis & Feſtis integro officio Eccleſiæ Parochialis interſit, oblectationibus valedicat, aliorum conſortium fugiat, lectionibus piis domi vacet; vel ſi literas neſciat, piam aliquam peregrinationem ad locum vicinum ſuſcipiat.

Si ſecundum, nempe ſi pœnitens graviorum peccatorum conſcius iis non tangatur, & ad quotidianas operas licèt duras alimentorum deſiderio alliciatur tanquam *vincula Ephraim docta diligere trituram*, Oſeæ 10. Confeſſarius præter mox recenſitas ſatisfactiones imperabit, ut de cibo aliquid detrahat, ſaltem diebus feſtis; quandoque ſomno minus indulgeat, & de nocte conſurgat ad orandum nunc proſtratus; nunc brachiis extenſis in modum crucis; nam per noctis quietem & ſilentium facilius audiet objurgantem conſcientiam, & circunfuſæ tenebræ horrorem criminis ſolent injicere, & ita diſponere peccatorem ad conſuetum laborem pœnitenti animo ſuſtinendum. Si enim hujuſmodi operarii aliquando noctes ducunt

insomnes, ubi urget opus, & spes est majoris lucri, quidni idem præstiterint saltem ex parte, causa salutis æternæ?

Quod verò spectat valentes pœnitentes laboriosis operibus minimè impeditos, Confessarius imprimis explorabit, quæ sint in eis animi affectiones & dispositiones, an in votis habeant exhibere Deo satisfactionem, quam ab ipsis exigit; alioquin non sunt absolvendi, utpote qui vera pœnitentia careant; pœnitentia quippe ex sæpè dictis essentialiter includit propositum faciendi satis divinæ justitiæ. Ubi autem eos ad omnia Dei flagella paratos intellexerit, ultra expendet quæ in eis sit animi constantia, aut fragilitas, num pœna secundum gravitatem & multitudinem criminum imposita, spectatis circumstantiis personæ & rerum, eorum saluti conducat, aut obstet, num scilicet morale sit periculum, ne pœnitens injuncta pœnitentia non defungatur, & ita remedium in venenum convertat, inveniaturque mandatum, *quod erat ad vitam*, *hoc esse ad mortem*, ut loquitur Apostolus Rom. 7. Quare in ejusmodi circumstantiis Confessarius pœnam imponet leviorem, quàm peccata mereantur: Deus enim, ex dictis, pœnas à pœnitentibus reposcit in eorum commodum & salutem, non vult lignum fumigans extingui, nec calamum quassatum confringi; ejus honor, ex Tertulliano, est hominum salus. Ipse Apostolus incesti Corinthii pœnitentiam breviavit, ne fortè abundantiori tristitia absorberetur, 2. Cor. 2. in quem locum sic habet S. Chrysostomus hom. 4. in 2. Cor. *Non enim quòd dignus sit, neque quòd sufficientem exhibuerit pœnitentiam; sed quòd infirmus sit, ideo dignor illum venia.*

S. Cy-

S. Cyprianus exemplum Apoſtoli ſecutus, ſcribit epiſt. 54. ad Cornelium Summum Pontificem, ſe cum Collegis in unum congregatis cenſuiſſe contrahendam lapſorum pœnitentiam propter imminentem perſecutionem; *Quòd ſi*, inquit, *de Collegis aliquis extiterit, qui urgente certamine, pacem fratribus & ſororibus non putat dandam, reddet ille rationem in die judicii Domino vel importunæ cenſuræ, vel inhumanæ duritiæ ſuæ.* Sanctus Thomas quolibet 3. qu. 13. art. 1. *Videtur*, inquit, *ſatis conveniens, quòd Sacerdos non oneret pœnitentem gravi pondere ſatisfactionis; quia ſicut parvus ignis à multis lignis ſuperpoſitis de facili extinguitur, ita poſſet contingere quòd parvus affectus contritionis in pœnitente nuper excitatus propter grave onus ſatisfactionis extingueretur. Unde melius eſt quòd Sacerdos pœnitenti indicet quanta pœnitentia eſſet ipſi injungenda, & injungat nihilominus aliquid, quod tolerabiliter ferat, ex cujus impletione aſſueſiat, ut majora impleat.* Et Synodus Lingonenſis anno 1404. *Caveant Sacerdotes, ne gravent pœnitentes per difficiles, vel oneroſas pœnitentias, ſed eas imponant, quas putant póſſe & velle pœnitentem portare, ne deterius contingat peccare, pœnitentiam non adimplendo;* quia, ut ait Sanctus Raymundus, lib. 3. §. 49. *ſi non poteſt gaudere Sacerdos de omnimoda ejus purgatione, gaudeat ſaltem, quia ipſum liberatum à gehenna ad Purgatorium poſſit tranſmittere.*

Nec dicas condignam ſatisfactionem eſſe juris divini, nec proinde à Confeſſario poſſe relaxari; jam enim demonſtravimus Eccleſiam accepiſſe à Chriſto poteſtatem interpretandi legem divinam, commutandi, vel relaxandi vota & pœnitentias, quoties urgens aliqua ratio id poſtulat. Sic identidem gratiarum theſaurum aperit, ut propoſita indul-

indulgentia, fidelium ſocordiam excutiat, eòſque alacriores reddat ad ferendum jugum Domini, quemadmodum infrà dicetur. Hæc igitur ſit Confeſſariis regula, quam Innocentius III. præſcribit Cap. *Deus qui*, tit. de pœnit. & remiſſ. *Competentem*, inquit, *pœnitentiam delinquentibus imponatis, prout ſaluti eorum videritis expedire.* Et S. Thomas in 4. diſt. 20. qu. 1. art. 2. quæſt. 2. ad 3. *Sacerdos minorem condigno pœnitentiam injungens, non ſemper peccat... quia quandoque etiam ex induſtria minorem pœnitentiam imponens, plus prodeſt pœnitenti, quàm noceat, qui fortè magnitudine pœnæ poſſet à pœnitentia peragenda impediri, propter debilitatem virtutis adhuc in eo de novo recuperatæ : & ideo negligit minus damnum, ut majus evitet : & iterum paulatim confortatus in eo divinus amor ad plura pœnitentiæ opera peraganda, ipſum incitabit propria ſponte, quàm Sacerdos eidem ſecundùm quantitatem peccatorum injungere potuiſſet.*

Sed ſicut voti diſpenſatio abſque ſufficienti cauſa, ſubreptitia eſt & irrita ; ita pœnitentiæ relaxatio. *Non concedit pacem facilitas iſta*, inquit Sanctus Cyprianus ſermone de lapſis, *ſed tollit : nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem.* Et iterum : *irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura.*

Quare Confeſſarius incedit hic inter ſcopulos cum magno ſui & pœnitentium periculo; ſi enim in partem dexteram declinet, & inconſiderato zelo auſteriorem quàm par ſit, pœnitentibus ſe præbeat, concidunt animis, & injunctam pœnitentiam deſerunt cum periculo animarum ſuarum. Si verò ad ſiniſtram deflectat, & inordinato commiſerationis affectu modum pœnitentiæ ad libitum pœnitentium indicat, eos pœnæ contemptu, inquit

quit Concilium Remenſe anno 1583. rurſum ad peccandum potiùs invitat, quàm ad novæ vitæ genus ineundum, inciditque in illud propheticum, Ezechielis 13. *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalià ad capiendas animas.* Confeſſarius igitur *Samaritanus ſit*, inquit Sanctus Bernardus cit. ſerm. 2. de Reſurrect. *cuſtodiens & obſervans quando oleum miſericordiæ, quando vinum fervoris exhibeat.* Sed quam difficile iſta in uno & eodem corde copulentur, nimirum compaſſionis affectus, rectitudinis zelus, & diſcretionis ſpiritus, inſinuat Chriſtus, cùm ait Luc. 12. *Quis putas, eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſupra familiam ſuam, ut det illis in tempore* pœnitentiæ menſuram, non quod illud impoſſibile ſit, inquit Gloſſa in c. 24. Matth. ſed quod admodum rarum.

Duo inſuper obſervanda ſunt Confeſſario. 1. ſemper definiendum tempus ad quod ligat pœnitentem, puta ad menſem; qui enim non definitè imperat pœnitenti, v. g. ut jejunet qualibet feria 6. ſacramentaliter confiteatur ſingulis diebus Dominicis, ſuſpenſum ac incertum detinet tum pœnitentem, tum eos, à quibus quærit conſilium quamdiu ducenda ſit illa pœnitentia, an uſque ad mortem, quod vix aut nunquàm injunget Confeſſarius, propter voluntatis humanæ inſtabilitatem. 2. depellendus eſt error, in quo verſantur plerique pœnitentes, qui, ſi deſeruerint pœnitentiam ſibi prius injunctam, eo ipſo immunes ſe putant ab illa peragenda, quo hanc ſuam prævaricationem confeſſi ſunt. Monendi ſunt, inquam, illi ut quamprimum ſatisfaciant; nonnunquàm etiam ad ſatisfaciendum dimittendi

priuſ-

priusquam absolvantur, nempe cùm in eis deprehenditur negligentia crassior ac supinior, ut vocant. Quin negligentia illa in dubitationem abducere debet Confessarium, num præcedens absolutio irrita fuerit defectu veræ pœnitentiæ; verissimum enim est, ac notatu dignissimum, quod supra docebat Sanct. Thomas, scilicet divinum amorem, qui per validam absolutionem infunditur, ad plura pœnitentiæ opera peragenda incitare quàm Sacerdos injungere potuisset. Quis v. g. exegisset à Davide illam lacrymarum copiam, quæ redintegrata charitate ex oculis ejus eruperunt? *Laboravi in gemitu meo*, inquit jam reconciliatus Ps. 6. *lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

Enimverò tum maximè urit boni jactura, cùm ipsius boni excellentia æstimari incipit; atqui satis non æstimatur justitia, cùm ejus suavitas non sapit depravato animæ palato, nec Deum novit ut oportet, qui illum nondum propter se diligit, nec proinde sentit quàm malum & amarum sit dereliquisse Dominum. At per veram & validam absolutionem charitas in corde diffunditur, timori gehennæ, qui præcesserat, succedit amor, per quem dulcescit justitia, & gustatur quàm suavis est Dominus; & ita qui cum sustineret iratum patrem, solo metu amittendæ hæreditatis urgebatur, jam tanquam bonus filius dolore seipsum cruciat quod læserit Patrem tam pium, tam singulari bonitate in se affluentem, leviora ei videntur à Confessario præscripta, plenam offert satisfactionem, nec quiescit donec injuriam illatam compenset. Ergo ne minima charitatis scintilla in iis elucet, qui pœnitentiam, quamvis peccatis longè

longè inferiorem, ægrè ſuſcipiunt, eam perfunctoriè & quodammodo inviti percurrunt, & identidem tanquam intolerandum onus abjiciunt. Si ad iſta attenderent Confeſſarii, uti pro officio tenentur, plures reperirent ex iis, qui ad eorum tribunal accedere ſolent, manere in morte, utpote qui Deum non diligant, nec juſtitiam ejus, ſed ſicut ante Confeſſionem, ita & poſt, ſolo ducantur pœnarum timore.

§. X.

*Utrùm Pœnitentia debeat eſſe ſecreta, an publica?*

R. Servanda eſt Eccleſiæ conſuetudo, quæ in communi Theologorum ſententia à 7. ſaltem ſeculo invaluit, ut de occultis peccatis, occultè, de publicis publicè pœnitentia agatur; cavendumque eſt Sacerdoti, ne ſatisfactionem injungat, quæ occultum pœnitentis peccatum aliquo modo prodat.

Cum autem à ſæculo 13. multùm ſe remiſiſſet vetus Eccleſiæ diſciplina quoad pœnitentiam publicam, Legati Caroli IX. Francorum Regis ad Concilium Tridentinum, inter cætera in mandatis acceperant, ut à Patribus poſtularent Decretum, quo graviorum criminum notoriè rei ſubjicerentur pœnitentiæ publicæ, quorum poſtulatis, & aliorum votis annuens Concilium, ſic ſtatuit ſeſſ. 24. cap. 8. de reformat. *Apoſtolus monet publicè peccantes palàm eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos commotoſque fuiſſe*

*ſe non ſit dubitandum ; huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi oportet ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam. Epiſcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud ſecretum poterit commutare, quando ita magis judicaverit expedire.*

Dixi, *à 7. ſaltem ſæculo;* quia non levis eſt in Scholis controverſia, utrum prioribus ſæculis aliqua peccata omnino occulta, æquè ac publica obnoxia eſſent pœnitentiæ publicæ.

Q. *Cujus eſt pœnitentiam publicam imponere?*

R. Pœnitentia publicè peragenda cum aliqua ſolemnitate, puta ſtando ad fores Eccleſiæ cum cereo accenſo, ſine conſilio & auctoritate Epiſcopi imponi non debet, ex Concilio Rothomagenſi anno 1704. cap. 8. & ex Sancto Thoma in Supplem. quæſt. 28. art. 3. ſed quilibet Confeſſarius pro peccatis, quæ publicè & cum aliorum offenſione commiſſa ſunt, poteſt & debet injungere ſatisfactiones, quibus abſque cæremoniarum apparatu fiat ſatis Eccleſiæ, & Fideles, qui ſcandalum paſſi fuerant, videntes pœnitentis opera bona præcedentibus peccatis contraria, glorificent Patrem qui in cœlis eſt, ſi v. g. à ſacris Eccleſiæ conventibus abeſſe, aut iis irreverenter intereſſe ſolebat, iis deinceps & devotus adſit: ſi in Quadrageſima non jejunavit, aut publicè cibis vetitis uſus eſt, poſt Quadrageſimam jejunet, & à carnibus abſtineat, & ſic de cæteris.

## §. XI.

### *De veteri Ecclesiæ disciplina circa Pœnitentiam publicam.*

Q. 1. *Pœnitentia publica fuitne in usu à primis Ecclesiæ sæculis?*

R. Fuit. Pro primo sæculo profertur exemplum Corinthii incesti, quem Apostolus 1. Cor. 5. tradidit Satanæ in interitum carnis, hoc est pœnitentiæ publicæ subjecit, ut veteres communiter interpretantur. Pro secundo sæculo testem habemus S. Irenœum, qui lib. 2. cap. 9. scirbit mulieres à Marco corruptas, per pœnitentiam publicam communioni Fidelium fuisse redditas. Pro tertio extant opera Tertulliani, & S. Cypriani; prior quippe lib. de pœnit. cap. 9. graphicè pingit exteriorem pœnitentium habitum & actum: posterior vero ejusdem pœnitentiæ leges sanxit in frequenti Episcoporum conventu, ut scribit epist. 52. ad Adtonianum. De sequentibus autem sæculis mox proferemus testimonia.

Q. 2. *Fuitne semper eadem pœnitentiæ publicæ disciplina?*

R. Minimè; namque à tempore Apostolorum usque ad Montani hæresim II. sæculo natam, breve fuit pœnitentiæ stadium; namque Apostolus incestum pœnitentem intra unius anni spatium Ecclesiæ reconciliari voluit, 2. Corinth. 2. Eusebius, lib. 6. Historiæ, cap. ultimo, narrat Nathalium Episcopum, qui ab Hæreticis deceptus fuerat, ad pedes Zephirini Summi Pontificis provolutum, sacco indutum, & cinere sordidatum, Communioni Ecclesiæ statim fuisse restitutum.

A Montano ad Novatianum, hoc eſt, ad medium circiter tertii ſæculi ſeverior & prolixior cœpit eſſe pœnitentia, ut patet ex laudata Sancti Cypriani epiſtola 52. in qua ſic ſcribit: *Cum data eſſet facultas in unum conveniendi, Scripturis diu ex utraque parte prolatis temperamentum ſalubri moderatione libravimus, ut nec in totum ſpes communicationis & pacis lapſis denegaretur ...... ſed traheretur diu pœnitentia, & rogaretur dolenter paterna clementia*: volebant enim Patres Montaniſtis & Novatianis eripere locum incuſandi, ut ſolebant nimiam Catholicorum in concedenda lapſis venia facilitatem. A Novatianis ſeveriſſima fuit Eccleſiæ circa pœnitentes diſciplina; cùm enim hactenus nullum fuiſſet tempus pœnitentiæ agendæ præſcriptum, ſed totum Epiſcoporum arbitrio ac prudentiæ permitteretur; creditur, tunc inſtitutas ſolemnes pœnitentium ſtationes, ſcilicet fletum, auditionem, ſubſtrationem, & conſiſtentiam.

Earum enim primus meminit Sanctus Gregorius Thaumaturgus in ſua Epiſtola canonica, can. 7. 8. 9. 10. & 11. & deinceps alii Patres, ut Ancyrani anno 314. Baſilius in Epiſtola ad Amphil. & Gregorius Nyſſenus epiſtola ad Letojum, pœnitentes qui erant in primo gradu dicebantur flentes, qui in ſecundo, audientes; qui in tertio, ſubſtrati, quia ſubſternebantur manuum impoſitioni; qui in quarto, conſiſtentes.

Q. 3. *Quanto tempore pœnitentes in unaquaque ſtatione hærebant?*

R. Pro qualitate criminum brevius, vel diutius detinebantur, alii uno anno: alii duobus. S. Baſilius, can. 76. laudatæ Epiſtolæ ad Amphilochium

hium de homicida sic statuit: *Qui sua sponte interfecit, & post pœnitentia ductus est, 20. annis Sacramento non communicabit. 20. autem anni sic in eo dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii, & Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor autem annos inter auditores recipietur, & quinque annis cum ipsis egredietur. Septem annis cum iis, qui in substratione orant, egredietur. In quatuor autem annis solùm stabit cùm Fidelibus, sed non erit oblationis particeps: tum demum iis expletis, erit Sacramentorum particeps.*

Q. 4. *Quis erat pœnitentium actus in qualibet statione?*

In prima statione, quæ est fletus pœnitentis extra portam templi, & sub dio, ex citatis epist. Sanctorum Gregorii Thaumaturgi & Basilii, lugubri veste & cilicio induti, cinere conspersi, reos se palam ac publice flentes profitebantur, & ad Fidelium in Ecclesiam ingredientium genua advolvebantur, ut pro se apud Episcopum intercederent, ipsisque ab eo obtinerent copiam agendæ pœnitentiæ. Ita Fabiolam nobilem Romanam in hoc flentium gradu consistentem pingit Sanct. Hieronymus epist. ad Oceanum, in qua sic habet: *Quis crederet ut post mortem secundi viri in semetipsam reversa ..... saccum indueret, ut errorem publicè fateretur, & tota urbe spectante Romana .... staret in ordine pœnitentium; Episcopo, Presbyteris, & omni populo collacrymantibus, sparsum crinem, ora livida, sparsas manus, sordida colla submitteret? Quæ peccata fletus iste non purget? .... non est ingressa Ecclesiam Domini, sed extra castra cum Maria sorore Moysis separata consedit ..... faciem, per quam secundo viro placuerat,*

*cuerat, verberabat: oderat gemmas, ornamenta fugiebat, ſic dolebat quaſi adulterium commiſiſſet.*

In ſecunda ſtatione, quæ eſt auditio, pœnitentes, qui poſt crebras preces, & diuturnas lacrymas ad eam tandem admiſſi fuerant, in narthece ſeu veſtibulo Eccleſiæ cum Catechumenis & infidelibus, pſalmorum cantus, ſacræ Scripturæ lectiones, & Epiſcopi conciones audiebant, uſque ad Miſſam Catechumenorum, cui cum ipſis intereſſe non ſinebantur, *intra portam*, inquit Sanctus Gregorius Thaumaturgus citata epiſtola *in porticu, ubi oportet eum qui peccavit, ſtare uſque ad Catechumenos, & illinc egredi; audiens enim Scripturas & doctrinam ejiciatur, & præfatione indignus cenſeatur.* Audientes igitur in hac ſtatione; ad pœnitentiam parabantur per lectiones Scripturæ, & frequentes conciones; perſuaſum enim erat in Eccleſia mentis cæcitate laboraſſe eum, qui peccando ſanguinem Teſtamenti, in quo ſanctificatus eſt; pollutum duxit, ideoque quantumcunque aliunde eruditus haberetur, ad Catecheſes cum Catechumenis, infidelibus, & rudioribus ablegandum eſſe; donec ſatis perpenderit peccati ſui gravitatem, injuriam qua Chriſtum affecit, quas mereatur pœnas, & ita toto corde ad illas exolvendas gradum ſubſtratorum conſcendat.

In tertia ſtatione, quæ eſt ſubſtratio, pœnitentes intra Templi ambitum; ab ejus porta uſque ad ambonem flexis genibus, facie lurida, & lacrymis perfuſi nudis pedibus, ſubjiciebantur crebris manuum impoſitionibus, ex Concilio Laodiceno can. 19. ſimulque pro iis fundebantur preces; nam ut ait S. Auguſt. lib. 3. de Baptiſmo cap. 16. *quid eſt aliud impoſitio manuum, quàm oratio ſuper*

*ſuper hominem?* Ex cit. autem Canone manus imponebantur cum precibus ſuper pœnitentes, expleta Miſſa Catechumenorum, iiſque jam egreſſis, ſed priuſquam inchoaretur Miſſa Fidelium, cui intereſſe fas non erat pœnitentibus.

Porro in hac ſtatione, in qua pœnitentes diutiùs detinebantur, præter manus impoſitionem, ipſis injungebantur laborioſa opera, & variæ afflictationes. In Eccleſia etiam Latina vetitum erat ejuſmodi pœnitentibus, ne conjugio uterentur; ne matrimonium deinceps inirent; ne militarent; ne ſe implicarent negotiis ſæcularibus: ne epulis intereſſent aliorum, ut colligitur ex Concilio Aurelianenſi III. can. 24. & 25. Hinc eſt quòd Concilium Arelatenſe & Agathenſe decernant pœnitentiam uni conjugum non eſſe imponendam abſque alterius conſortio, nec juvenibus pœnitentiam paſſim ac temerè debere concedi.

In quarta ſtatione, quæ eſt conſiſtentia, pœnitentes poſt emenſum cum laude pœnitentiæ ſtadium, cum Fidelibus intra ambonem & cancellos conſiſtentes integro Miſſæ Sacrificio, & aliis orationibus intererant; ita tamen ut participatione Euchariſtiæ privarentur, aliquando etiam per biennium: *Placuit eos*, inquit Concilium Ancyranum, can. 4. *inter audientes uno anno conſtitui, ſuccumbere tribus, in oratione autem communicare biennio.*

Hanc porrò Canonum ſeveritatem interdum Epiſcopi pro pœnitentium fervore temperabant, eoſque ab una ſtatione ad aliam, prætermiſſa media, transferebant, ex Concilio Ancyrano, canone 6. Nicæno, canone 12. SS. Gregorius Thaumaturgo & Baſilio citatis epiſtolis. Quin non-

nunquam pœnitentes certis de caufis in fola confiftentia totam pœnitentiam explebant, quemadmodum ftatuit Sanctus Bafilius citata epift. de mulieribus adulteris, ne fcilicet in fufpicionem adulterii, capitis periculum venirent, fi fubftrationi & gravioribus pœnis publice fubjicerentur.

Q. 5. *Omnia peccata lethalia erantne obnoxia pœnitentiæ publicæ?*

Quæftio eft de pœnitentia canonica dumtaxat; nam ex dictis, omnia peccata commiffa cum aliorum fcandalo, pœnitentia aliquo modo publica femper funt expiata.

Affirmant nonnulli Theologi, omnia peccata lethalia obnoxia fuiffe pœnitentiæ canonicæ: fed alii communiter negant, cum quibus ad propofitam quæftionem.

R. Non omnia peccata mortalia fuerunt pœnitentiæ publicæ obnoxia.

Probatur variis Patrum & Conciliorum teftimoniis. Concilium Neocæfarienfe anno 314. fic habet can. 4. *Si quis propofuerit concupifcere mulierem ad dormiendum cum ea* (en peccatum mortale) *& ejus defiderium ad opus non venerit, videtur effe gratia liberatus.* A quo liberatus? certè non ab omni pœnitentia; ergo à canonica & luctuofa. Concilim Nicænum, can. 8. vult Catharos, feu Novatianos redeuntes cum manuum impofitione admitti ad gradus fui honorem: ergo fine luctuofa pœnitentia admittebantur; nam qui ea femel defuncti fuerant, ad Communionem Laicam rejiciebantur.

S. Bafilius epift. canonica ad Amphilochium canone 14. ufurarium eximit à pœnitentia publica; & S. Gregorius Nyffenus epiftola ad Letojum

can.

can. 6. furem, qui ſpontè reſtituit, nec violenter rapuit.

S. Auguſtinus lib. de fide & operibus c. 26. tria peccatorum genera diſtinguit; alia excommunicatione plectenda; alia quotidiana, quæ Oratione Dominica eluuntur; alia media, quæ ſeveriori pœnitentia expiari debent, non tamen pœnitentia canonica. *Niſi eſſent*, inquit, *quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda ſint, non diceret Apoſtolus*, congregatis vobis, & meo ſpiritu judicavi tradere hujuſmodi hominem Satanæ in interitum carnis, &c. *Item niſi eſſent non ea humilitate pœnitentiæ ſananda, qualis in Eccleſia datur eis, qui propriè pœnitentes dicuntur, ſed quibuſdam correptionum medicamentis, non diceret Dominus:* corripe illum inter te & ipſum ſolum, & ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum. Poſtremò, *niſi eſſent quædam, ſine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam veniam peteres in Oratione, quam docuit Dominus.*

Probatur 2. ratione; quia ex dicendis, poſt peractam luctuoſam pœnitentiam, nullus deinceps erat locus alteri pœnitentiæ, niſi forte in extremo mortis periculo; ergo ſi pro quolibet peccato mortali agenda fuiſſet pœnitentia publica, quotquot poſteà vel verbo, vel cogitatione lethaliter peccaſſent, Sacris fuiſſent per totam vitam interdicti, & ita immanis fuiſſet in Templis ſolitudo, cùm pauci ſint admodum qui totam vitam agant immunem ab omni prorſus culpa lethali.

Q. 6. *Quæ ergo peccata pœnitentiæ canonicæ erant obnoxia.*

R. Tria dumtaxat, quæ idcircò canonica appellari ſolent, nempe idololatria, homicidium,

& adulterium, eorumque ſpecies, quibus ſucceſſu temporis ob morum depravationem alia nonnulla addita ſunt.

Probatur ex S. Paciano, qui in oratione parænetica ad pœnitentiam ex profeſſo docet non omnia peccata pœnitentiæ luctuoſæ fuiſſe addicta, ſed tria ſolùm quæ retulimus. *Ne quis exiſtimet*, inquit, *propter innumera delicta, quorum fraudibus nullus immunis, nos omne hominum genus indiſcreta pœnitendi lege conſtringere.* Deinde exponit quænam peccata publicè caſtigari oportet, ea ſcilicet; *quæ Apoſtoli in ſuo Concilio Jeroſolymitano aſſignarunt, nempe idololatriam, homicidium, & adulterium; cætera verò contrariis bonis operibus ſananda ſunt.*

Q. 7. *Peccata canonica omnino occulta erantne antiquitùs pœnitentiæ publicæ addicta?*

Non levis eſt ea de re in Scholis controverſia; quia Scriptoros Eccleſiaſtici propter varias circumſtantias rerum, perſonarum, & temporum ita diverſimode ſcripſerunt, ut locum dederint Theologis oppoſita opinandi.

Plures igitur Theologi inſignes affirmant peccata canonica, etiam occulta, eluenda fuiſſe pœnitentia ſolemni & canonica, ducunturque iis potiſſimum momentis.

1. Origines hom. 2. in Pſal. 37. poſtquàm monuit cautè ſeligendum eſſe Sacerdotem, apud quem peccata deponantur, ſic habet, *Quidquid ille dixerit, facias. Si intellexerit talem eſſe languorem tuum, qui in conventu totius Eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo fortaſſis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipſe facile ſanari, hoc procurandum eſt.*

2. S. Cyprianus de occultè lapſis in idololatriam, ait, *plus imo delinquit, qui ſecundum hominem Deum*

*Deum cogitans, evadere se pœnam criminis credit, si non palam crimen admisit.*

3. S. Basilius sæpius laudata epist. ad Amphilochium uxorem occultè adulteram, excipit à lege communi; ergo maritus & quivis alias occultus adulter subjiciebantur pœnitentiæ publicæ: nam exceptio firmat regulam.

4. Concilium Eliberitanum can. 76. sic statuit de eo, qui cùm fornicatus esset, Diaconum se permisit ordinari. *Si*, inquit, *postea fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiserit, si spontè fuerit confessus, placuit eum acta legitima pœnitentia accipere communionem: quod si aliquis eum detexerit, post quinquennium, acta pœnitentia, accipere laicam communionem?*

Denique si ante septimum sæculum occulti peccatores immunes fuissent à pœnitentia publica, Canones distinxissent inter peccatum publicum & occultum, quemadmodum post sæculum septimum, quo diximus obtinuisse effatum, peccata publica publicè mulctentur, secreta autem secretò, ut legere est in Concilio Arelatensi VI. anno 813. can. 26. Remensi eodem anno can. 31. Cabillonensi II. can. 25. eodem anno; Moguntino anno 843. can. 31. & apud Burchardum lib. 16. collect. cap. 30. Atqui veteres Canones absolute & indiscriminatim idololatras, homicidas, & mœchos addicunt pœnitentiæ publicæ. Ergo.

Qui contra negant, & quidem magno numero peccata omninò occulta addicta fuisse pœnitentiæ publicæ, hæc pro sua opinione proferunt momenta.

1. Veteres non aliam solent afferre rationem, & causam publice pœnitendi, quam quòd pec-

 catum

catum cum ſcandalo aliorum fuerit patratum. *Si peccatum ejus*, inquit Sanct. Auguſtinus, ſerm. 351. aliàs hom. 50. *non ſolum in gravi ejus malo, ſed etiam in tanto ſcandalo eſt aliorum, atque hoc expedire utilitati Eccleſiæ videatur Antiſtiti, in notitia multorum, vel etiam totius plebis agere pœnitentiam non recuſet.* Et S. Cæſarius, homil. 1. in Quadrageſimam: *Hæc & ejuſmodi commiſſa*, inquit, *expiari penitus communi & mediocri ſatisfactione non poſſunt; ſed graves cauſæ graviores, acriores & publicas curas requirunt, ut qui cum plurimorum afflictione ſe perdidit, ſimili modo cum plurimorum ædificatione ſe redimat.*

2. Concilium Neocæſarienſe à pœnitentia publica disertè eximit eum, qui mulierem inhoneſte concupivit; & S. Gregorius ſupra laudatus, furem occultum.

3. Quia occulti peccatores non ſine evidenti famæ, aliquando etiam vitæ periculo, addicti fuiſſent pœnitentiæ publicæ, utpote quæ non imponeretur niſi pro gravioribus capitalibuſque peccatis, verb. gr. homicidio, quorum reus per ſuam confeſſionem & pœnitentiam convictus gladium Magiſtratus non effugiſſet. Ita illi Theologi.

Verum momenta illa, tam primæ quàm ſecundæ ſententiæ, non admodum urgere videntur.

Non primum; namque 1. fatentibus illis Theologis, crimen quod uno & altero teſtimonio probari poterat, quamvis non eſſet publicum, obnoxium tamen erat pœnitentiæ publicæ; ut patet ex canone Concilii Eliberitani pro prima ſententia laudato. Ergo non ſola ſcandali circumſtantia, ſed & peccati gravitas cauſa erant cur peccatum ſubjiceretur pœnitentiæ publicæ. 2. Ipſi patro-

patroni ſecundæ ſententiæ concedunt peccatores occultos propter graviora crimina Confeſſarii præcepto coactos ad pœnitentiam publicam; illud enim conſtat tum ex teſtimonio Origenis in confirmationem primæ ſententiæ allato; tum ex officio Pœnitentiarii, quem amovit Nectarius; ſiquidem Pœnitentiarius ille pœnitentibus præſcribebat quæ ex peccatis occultis ſecreto eſſent eluenda, quævè publicè. Hinc matrona illa, de qua Socrates & Sozomenus, dum ex præſcripto Pœnitentiarii ſtuprum omnino occultum pœnitentia publica expiaret, ultra mandatum progreſſa illud etiam inconſideratè confeſſa eſt magno Fidelium ſcandalo. Porrò nulla ſufficiens ratio apparet, cur patroni ſecundæ ſententiæ tam acriter contendant canonica peccata omnino occulta, obnoxia non fuiſſe pœnitentiæ publicæ vi canonum, ſed ſolùm ex præcepto Confeſſarii; par enim utrobique incommodum.

Non ſecundum; quia voluntas patrandi crimen, puta adulterium, aut homicidium, quæ caruit effectu, vel conatu, non erat pœnitentiæ publicæ obnoxia, etiamſi pluribus innotuiſſet, ſicut nec furtum publicum, ſed ſine violentia commiſſum, ſaltem juxta diſciplinam quarumdam Eccleſiarum, & præſertim illius cui præerat S. Gregorius Nyſſenus.

Non tertium. 1. quia ſimile incommodum objici poteſt adverſus ſecundam ſententiam, ſi enim reus criminis capitalis, etiam occulti; ſubjiciebatur pœnitentiæ publicæ, ubi præcipiebat Confeſſarius vel quando probari poterat ſaltem duorum teſtimonio, aut de eo nata erat aliqua ſuſpicio, nonne famæ, aliquando etiam capitis

pitis periculum incurrebat? 2. quia in utraque ſententia nullum erat revera infamiæ & mortis periculum: namque licèt pœnitentes per pœnitentiam publicam generatim profiterentur reos ſe graviorum peccatorum; 1. incertum erat quænam eſſent illa peccata, cum eædem pœnæ ſubeundæ eſſent pro diverſis peccatis. 2. Plures ex conſilio & ſolo pietatis animo ſtadium pœnitentiæ publicæ ingrediebantur, ut patet ex ſuprà laudato exemplo Fabiolæ illuſtris Romanæ; Wambæ Regis Hiſpaniarum, de quo in Concilio Toletano XII. & Gaudentii Valerienſis Epiſcopi, de quo in Concilio XIII. Toletano. Sic Fideles, qui nunc palam & publicè ſacramentum pœnitentiæ frequentant, in gravioris peccati ſuſpicionem non veniunt, quamvis ſacramentum illud lapſis dumtaxat ſit neceſſarium, quia ſcilicet plures ad illud recurrunt in remedium quotidianorum peccatorum. Quæ cum ita ſint,

R. Nullum videtur incommodum, ſi ad conciliandas utcumque oppoſitas ſententias canones veteres eo modo interpretemur, quo recentiores, quibus nititur hodierna Eccleſiæ diſciplina: nimirum canones hodierni, qui pœnam excommunicationis & irregularitatis in atrociora quædam crimina decernunt ipſo facto incurrendam, ita omnium Theologorum & Canoniſtarum judicio, ligant reos occultos, ver. gr. homicidas, ſimoniacos, ut tamen eorum ſuſpendatur effectus, quoties ſervari nequeunt abſque evidenti infamiæ, aut alterius gravioris incommodi periculo. Ergo à pari, cùm antiqui canones non diſtinguant publicos inter & occultos idololatras, homicidas & mœchos; ſed omnes abſolutè & in-

& indiſcriminatim ſubjiciant pœnitentiæ canonicæ, quæ non eſt abſque excommunicatione, majori quidem in ſtationibus flentium, audientium & ſubſtratorum, minori verò in ſtatione conſiſtentium; veriſimilius ſequitur iiſdem feriri ejuſmodi peccatores, ſive ſint occulti, ſive publici, cum hoc tamen temperamento erga occultos, ſi nempe ſtatutam pœnam abſque famæ & vitæ periculo exolvere poſſent, ut colligitur ex ſæpius laudata epiſt. S. Baſilii ad Amphyloc. In qua uxores adulteras, non maritos, eximit à pœnitentia publica, ne ſcil. in maritorum ſuſpicionem venirent.

Q. 8. *Omnes peccatorum canonicorum rei fueruntne ſolemni pœnitentiæ addicti?*

R. A ſæculo IV. Clerici majores, hoc eſt, Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, non fuerunt obnoxii pœnitentiæ luctuoſæ.

Probatur 1. ex Conc. Carthagin. V. can. 11. anno 398. in qùo ſic habetur, *item confirmatum eſt, ut ſi quando Presbyteri, vel Diaconi in aliqua graviori culpa convicti fuerint, qua eos à miniſterio neceſſe fuerit removeri; non eis manus tanquam pœnitentibus, vel tanquam fidelibus laicis imponatur.* 2. Ex Sanct. Leone epiſt. ad Ruſticum Narbonenſem: *Alienum eſt*, inquit, *à conſuetudine Eccleſiaſtica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint conſecrati, pro crimine aliquo ſuo per manus impoſitionem remedium accipiant pœnitendi.* 3. Ex Sanct. Iſidoro, lib. 2. de Eccleſ. off. cap. 16. de pœnitentia ſic ſcribit: *Honorum dumtaxat dignitate ſervata, ita ut à Sacerdotibus & Levitis, Deo tantùm teſte, fiat* (pœnitentia) *à ceteris verò aſtante coram Deo ſolemniter Sacerdote.*

Dixi

Dixi 1. à IV. *ſæculo:* id enim æquè non conſtat de tribus primis Eccleſiæ ſæculis: plures quippe Theologi exiſtimant omnes graviorum peccatorum reos, etiam Imperatores, abſque perſonarum acceptione addictos fuiſſe luctuoſæ pœnitentiæ. Conſtat de Philippo Imperatore, ex Euſebio libro 6. Hiſtoriæ, cap. 34. De Epiſcopis ſcribit S.Cyprianus epiſt.68. Baſilidem Epiſcopatu, pro conſcientiæ ſuæ vulnere, ſe abdicaviſſe ad agendam pœnitentiam, & ſatis gratulari, ſi ſibi ut laico communicare contingeret. Et epiſt. 59. de Victore Presbytero: *Significaſti*, inquit, *de Victore quodam Presbytero, quod ei antequam pœnitentiam plenam egiſſet, & Domino Deo, in quem deliquerat, ſatisfeciſſet, temerè Terapius collega noſter immaturo tempore, & præpoſtera ſatisfactione, pacem dederit. Quæ res non ſatis movet, receſſum eſſe à Decreti noſtri auctoritate, ut ante legitimum & plenum tempus ſatisfactionis, & ſine petitu & conſcientia plebis nulla infirmitate urgente, ac neceſſitate cogente, pax ei concederetur.* De Diaconis extat canon 76. Concilii Eliberitani, in quo ſic decernitur: *Si poſteà fuerit detectus in crimine mortis, quod aliquando commiſerit, ſi ſpontè fuerit confeſſus, placuit eum, acta legitima pœnitentia, accipere communionem, quòd ſi aliquis eum detexerit, poſt quinquennium acta pœnitentia accipere laicam communionem.*

Alii Theologi contendunt omnes quidem, tum Epiſcopos, tum Presbyteros poſt lapſum egiſſe pœnitentiam, ſed non luctuoſam, & canonicam; nituntur que 1. Can. 25. eorum qui circumferuntur ſub nomine Apoſtolorum, & ſic ſtatuitur: *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus eſt, deponatur, non tamen communione privetur; dicit enim Scriptura*: Non vindi-

vindicabit Dominus in idipſum. 2. Optato Milevitàno, qui ſcribit libro 1. Epiſcopis lapſis manum imponere, ab Eccleſia prorſus eſſe alienum. Et ad calcem lib. 2. exprobrans Donatiſtis, quòd Epiſcopos ſubjeciſſent pœnitentiæ publicæ, *à vobis*, inquit, *occiſi ſunt in honoribus Sacerdotes. Multis notum eſt & probatum, perſecutionis tempore Epiſcopos aliquos inertia à confeſſione nominis Dei delapſos thurificaſſe; & tamen nullus eorum qui evaſerunt, aut manum lapſis impoſuit, aut ut genua figerent, imperavit.* Sed hæc controverſia non eſt tanti momenti, ut in ea diſcutienda diutiùs immoremur.

Dixi 2. *Clerici majores;* nam ex epiſt. 7. Felicis III. qui rexit Eccleſiam ſub finem V. ſæculi, Clerici inferiores, & Monachi, ſi lapſi fuiſſent, pœnitentiæ ſolemnis legibus erant aſtricti; poſtquam enim Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos ab iis exemit, deponendosque dumtaxat definiit, ſic pergit: *de Clericis autem & Monachis, aut puellis Dei, aut ſæcularibus præcipimus hunc tenorem ..... tribus annis inter audientes ſint, ſeptem autem annis ſubjaceant inter pœnitentes manibus Sacerdotum; duobus autem annis oblationes modis omnibus non ſinantur offerre, ſed tantummodò ſæcularibus in oratione ſocientur.*

Q. 9. *Qui pœnitentia ſolemni defuncti fuerant, poterantne aliquando ordinari?*

R. Minimè, ut patet ex epiſt. 1. c. 14. Siricii Papæ IV. ſæculo, in qua ſic ſcribit: *Sicut pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clericorum, ita & poſt pœnitudinem, ac reconciliationem nulli unquam laico liceat honorem Clericatus adipiſci. Quia quamvis ſint omnium peccatorum contagione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacramentorum inſtrumenta ſuſcipere, qui dudum fuerint vaſa vitiorum.*

Q. 10.

Q. 10. *Quam pœnitentiam agere tenebantur Clerici majores ob crimen depositi?*

R. Nonnuuquam à populi conspectu semoti in Monasteriis peccata sua expiabant: *Si Episcopus*, inquit Concilium Toletanum IV. can. 29. *aut Presbyter, sive Diaconus, aut quilibet ex Ordine Clericorum magos, aut aruspices, aut ariolos . . . . . consulere fuerit deprehensus, ab honore dignitatis suæ depositus, Monasterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sacrilegii luat.*

Q. 11. *Utrùm pœnitentia publica potuerit iterari?*

R. Non potuit, probaturque Veterum testimonio.

Tertull. lib. de pœnit. cap. 5. *Collocavit*, inquit, *in vestibulo pœnitentiam secundam*, (nam prima præcedit baptismum) *quæ pulsantibus patefaciat; sed jam semel, quia non secundò, sed ampliùs nunquam, quia proximè frustra.*

S. Ambrosius lib. 2. de pœnit. cap. 10. *Sicut unum baptismo*, inquit, *ita una pœnitentia, quæ tamen publicè agitur, nam quotidiani debet nos pœnitere peccati. sed hæc peccatorum leviorum, illa graviorum.*

Sanctus Augustinus ep. 153. aliàs 54. *Quamvis eis* (relapsis) *in Ecclesia locus humillimæ pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen super eos suæ pœnitentiæ non obliviscitur.* Et infra: *cautè salubriterque provisum est, ut locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur; ne medicina vilis, minùs utilis esset ægrotis, quæ tantò magis salubris est, quantò minus contemptibilis fuerit.*

Q. 12. *Quid, si quis post solemnem pœnitentiam in grave peccatum iterùm lapsus fuisset?*

R. 1. Nec ipse de se desperare debuit, nec alii de ipso; sanctns enim Augustinus citata Epistol. 153. de ejusmodi relapso, qui pœnitendo vehe-

vehemenriùs quàm priùs se excruciat, qui charitate flagrat ardentiùs, sic scribit: *Quis nostrum ita desipit, ut huic homini dicat, nihil tibi ista proderunt in posterum? vade, saltem vitæ hujus suavitate perfruere; Advertat Deus tam immanem, sacrilegamque dementiam.* Et infra: *quis tamen audeat dicere Deo, quare huic homini, qui post primam pœnitentiam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum parcis?*

R. 2. Si peccatum illud grave non erat pœnitentiæ canonicæ obnoxium, pœnitentia secreta, & absolutione sacramentali diluebatur.

Probatur, quia ex Concilio Tridentino sess. 14. cap. 2. Christus Sacramentum Pœnitentiæ ita instituit, *ut per Sacerdotum sententiam* non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possint liberari. Nec ex ullo Veterum testimonio evinci potest Ecclesiam, disciplinæ causâ, à sacramentorum participatione exclusisse ejusmodi relapsos pœnitentes. Quin contrarium conjicere licet ex duplici incommodo, quod Ecclesia semper cavit, & nihilominus ex severiori illa disciplina fuisset consecutum. Namque 1. solemnis pœnitentia donum impeccantiæ non conferebat. Cùm autem habita ratione humanæ infirmitatis, & continuæ infestationis dæmonis, difficile sit per totum vitæ spatium in aliquod lethale peccatum, saltem cogitationis aliquando non labescere; mensa Domini fuisset deserta, paucique sacrorum Mysteriorum fuissent participes. 1. Severior illa disciplina peccatores etiam occultissimos prodidisset; quis enim statim non intellexisset eos omnes gravioris alicujus peccati esse reos, qui per totam vitam à Sacramentis abstinebant?

R. 3. Qui poſt ſolemnem pœnitentiam ſemel impletam in graviora & canonica peccata incurrebant, per ſecretam pœnitentiam toto vitæ tempore caſtigati, in ipſo mortis articulo dumtaxat abſolutionem conſequebantur, ſaltem juxta diſciplinam Eccleſiæ Romanæ.

Probatur ex epiſtola Siricii ad Himerium Taraconenſem Epiſcopum, qui ſummum Pontificem conſuluerat, quid ſentiendum & agendum de iis, qui acta pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redierant. Ad hanc autem quæſtionem ſic reſpondet laudatus Pontifex: *Quia tam ſuffragium non habent pœnitendi* (ſcilicet pœnitentia ſolemni & publica) *id duximus decernendum, ut ſola intra Eccleſiam fidelibus oratione jungantur, ſacræ myſteriorum celebritati, quamvis non mereantur, interſint: à Dominicæ autem menſæ convivio ſegregentur, ut hac ſaltem diſtrictione correpti, & ipſi in ſe ſua errata caſtigent, & aliis exemplum tribuant, quatenus ab obſcœnis cupiditatibus retrahantur. Quibus tamen (quoniam carnali fragilitate ceciderunt) viatici munere, cùm ad Dominum cœperint proficiſci, per communionis gratiam volumus ſubveniri.*

Dixi, *juxta diſciplinam Eccleſiæ Romanæ;* Quia nonnullis Theologis videtur in quibusdam aliis Eccleſiis abſolutionem ejusmodi relapſis denegatam fuiſſe, etiam in mortis articulo: probantque ex Synodo Elliberitana, quæ ſic ſtatuit can. 3. *Si poſt pœnitentiam fuerint mœchati, placuit ulteriùs eis non eſſe dandam communionem, ne luſiſſe de communione Dominica videantur.* Et can. 7. *Si quis poſt lapſum mœchiæ, acta pœnitentia, denuò fuerit fornicatus, placuit eum nec in fine habere communionem.*

AP-

# APPENDIX.

## *De Indulgentiis.*

Quoniam videri poſſet Indulgentias derogare divino ſatisfaciendi præcepto, operæ pretium eſt paucis exponere earum notionem, vim, & uſum. Itaque

### §. I.

### *De Indulgentiarum definitione.*

Q. 1. *Quid eſt Indulgentia?*

R. Eſt remiſſio pœnæ temporalis, quæ poſt dimiſſam culpam luenda ſupereſt, extra ſacramentum facta ab eo, qui poteſtatem habet diſpenſandi ſpiritualem theſaurum Eccleſiæ.

Dicitur 1. *remiſſio pœnæ temporalis*, ut intelligatur, per Indulgentias neque culpam, neque pœnam æternam remitti; (ille enim effectus eſt Sacramenti proprius) ſed pœnam temporalem dumtaxat.

Dicitur 2. *extra Sacramentum*, ut diſtinguatur illa pœnæ remiſſio ab ea, quæ fit per Sacramentum; virtute enim Sacramenti pœnitentiæ, pro majori, vel minori pœnitentium præparatione, plus, vel minùs minuitur reatus pœnæ temporalis.

Quia verò pœnitentes vulgò non accedunt ſatis parati, ut per abſolutionem reatus pœnæ totaliter expungatur, Sacerdotes ex præcepto divino tenentur, ut diximus, imponere ſatisfactiones congruas ad eluendum quod ſupereſt pœnæ temporalis. Porrò Indulgentia eſt ejuſmodi ſatisfactionis remiſſio, & pœnæ relaxatio.

Dicitur 3. *ab eo qui habet potestatem dispensandi*, &c. Quia bona communitatis propria, & Reipublicæ thesaurus dispensari nequeunt, nisi ab eo, vel auctoritate illius qui præest communitati.

Q. 2. *Quis est ille thesaurus Ecclesiæ?*

R. Sunt bona spiritalia, quorum dispensatio credita est Ecclesiæ; & ideò thesaurus Ecclesiæ dicuntur tum à Clemente VI. in Extrav. *Unigenitus*, tit. de pœnit. & remiss. anno 1350. tum à Patribus Tridentinis, sess. 21. c. 9. de refor.

Q. 3. *Quæ sunt illa bona?*

R. Merita Christi, & omnium Sanctorum, Christi quidem; nam, ut ait Apostolus 2. Corinth. 8. vers. 9. *Propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopia vos divites essetis.* Et Clemens VI. citata Extravag. *In ara crucis innocens immolatus* (Christus) *non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius generis humani suffecisset; sed copiosè velut quoddam profluvium noscitur effudisse.... Quantùm ergo exinde, ut nec supervacua, inanis & superflua tantæ effusionis miseratio redderetur, thesaurum militanti Ecclesiæ acquisivit? quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per B. Petrum cœli clavigerum, ejusque successores, suos in terris Vicarios, commisit Fidelibus salubriter dispensandum.* Conflatur etiam ille thesaurus ex meritis Sanctorum, ut expresè docet Clemens VI. laudata Extrav. his verbis: *Ad cujus quidem thesauri cumulum B. Dei Genitricis, omnium electorum, à primo justo usque ad ultimum, merita adminiculum præstare noscuntur: de cujus consumptione, seu munitione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita Christi (ut prædictum est) merita: quàm pro eo, quòd quantò plures ex ejus applicatione trahuntur ad justitiam,*

*ſtitiam, tantò magis accreſcit ipſorum cumulus meritorum.* Quibus verbis declarat ſummus Pontifex non ſolùm merita electorum, qui regnant in cœlis; ſed etiam eorum qui militant in terris, ſpiritualem illum theſaurum ingredi, cùm aſſerat quo plures hìc trahuntur ad juſtitiam, tantò magis accreſcere Eccleſiæ theſauro cumulum meritorum.

Q. 4. *Utrùm ſola Chriſti merita non ſufficiant ad cumulatè ditandam Eccleſiam, ſitque neceſſe hic addi merita Sanctorum?*

R. Abſit; cùm ex laudata Extravagante ſint theſaurus infinitus, qui exhauriri non poteſt, ut latè probavimus Tract. de Incarnat. ubi de ſatisfactione Chriſti.

Non igitur reponuntur in theſauro Eccleſiæ merita Sanctorum, ut aliquid addant meritis Chriſti: *Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, Act. 4. v. 12. ſed ut denotetur communio Sanctorum in Eccleſia, quæ, ut dicitur Epheſ. 1. v. 23. *eſt corpus ipſius* (Chriſti) *& plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur*, hoc eſt, ſicut caput perficitur acceſſu corporis, ſeu omnium membrorum, & viciſſim corpus acceſſu capitis: ita Chriſtus, qui in proprio & naturali corpore per paſſionem ſuam conſummavit in æternum ſanctificatos, Hebr. 10. omniaque gratiarum dona hominibus promeruit, ſe tamen mancum & mutilum caput exiſtimaret, niſi corpus ſuum, quod eſt Eccleſia, haberet ſibi adjunctum, & quemadmodum in naturali corpore multa fecit & paſſus eſt in Dei honorem & gloriam, ita in myſtico ſuo corpore operans & patiens Patrem glorificet: quo ſenſu dixit Apoſtolus Coloſſ. 1. v. 24. *adim-*

*pleo ea quæ desunt passionum Christi*, non quòd defectum virtutis in Christo suppleret, sed quòd veluti instrumentum illi inserviret, ut fructus Passionis illius ad omnes derivaretur. *Et ita non habet homo unde glorietur*, inquiunt Patres Tridentini sess. 14. cap. 8. *sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acceptantur à Patre.* Merita itaque Sanctorum in thesauro Ecclesiæ cum meritis Christi composita spectari debent, quomodo collectio omnium causarum secundarum, quibus Deus hancce rerum universitatem administrat. Sicut enim causæ secundæ conjunctæ cum omnipotentia divina non sunt quid intensivè majus, aut potentius, quàm ipsa omnipotentia sine iis spectata, cùm ad ea omnem vim & actum recipiant, nec Deus iis utatur ex aliqua necessitate, aut indigentia, quemadmodum artifex indiget instrumentis suæ artis; sed ex plenitudine omnipotentissimæ suæ bonitatis, cujus proprium est copiam sui facere. Similiter omnia Sanctorum merita meritis Christi conjuncta non sunt quid majoris pretii & æstimationis, quàm merita Christi ab iis separata; illa quippe sunt emanationes à Christo, qui tanquam caput fidelibus membris suis tribuit spiritum & motum.

Q. 5. *Quomodo merita Sanctorum concurrunt ad Indulgentias?*

R. Duæ sunt Theologorum sententiæ in scholis celebres.

Prima asserit Sanctorum merita concurrere per modum impetrationis, non verò solutionis, hoc est, reatum pœnæ temporalis per se immediatè

non

non expungere, ſed offerri ab Eccleſia, ut Deus propitietur peccatoribus, eoſque dignos reddat, quibus merita Chriſti per indulgentias applicentur.

Probatur hæc ſententia 1. è Scriptura, Apocalypſeos, cap. 1. Chriſtus *lavit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Semetipſum dedit redemptionem pro omnibus*, 1. Tim. 2.

Probatur 2. ex Patribus.

Origenes hom. 84. in Num. *Talis*, inquit, *hæc fuit hoſtia, ut una ſola ſufficeret pro totius mundi ſalute. Cæteri enim precibus peccata, hic ſolus poteſtate dimiſit.*

S. Auguſtinus tract. 24. in Joan. *In fraternorum peccatorum remiſſionem*, inquit, *nullius ſanguis Martyris funditur.*

S Leo epiſt. 97. alias 83. *Quamvis*, inquit, *multorum Sanctorum in conſpectu Domini pretioſa mors fuerit, nullius tamen inſontis occiſio propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt coronas; & de fortitudine Fidelium exempla nata ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ: ſingulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit.*

S. Thomas 3. part. quæſt. 48. art. 5. ad 3. ſic habet: *Paſſiones Sanctorum proficiunt Eccleſiæ, non quidem per modum exempli & exhortationis.*

Probatur 3. ratione; Quia ex laudata Extravagante Clementis VI. ad theſauri cumulum omnium electorum merita adminiculum præſtant: atqui certiſſimum eſt omnes & ſingulos electos ſuperabundantes ſatisfactiones non habere quibus pro aliis ſolvant, cùm plures ex illis pœnas temporales peccatis ſuis debitas in Purgatorio exolvant: ergo eorum merita concurrunt dumtaxat ad Indulgentias per modum impetrationis.

Altera ſententia contendit merita Sanctorum ad Indulgentias concurrere, non ſolùm per modum impetrationis, ſed etiam ſolutionis.

Probatur 1. ex Bulla Pii V. qui plures Baji propoſitiones ſua cenſura notavit, inter quas 59. ſic habet: *Per paſſionem Sanctorum in Indulgentiis communicatas, non propriè redimuntur noſtra delicta; ſed per communionem charitatis nobis eorum paſſiones impertiuntur, ut digni ſimus, qui pretio Sanguinis Chriſti à pœnis pro peccatis debitis liberemur.*

Probatur 2. quia ex dictis Juſtus poteſt non ſolùm pro ſe, ſed etiam pro alio ſatisfacere quoad debitum pœnæ temporalis, quin & peccatori mereri de congruo donum pœnitentiæ. Cùm autem iſta non præſtet, niſi per merita Chriſti, cujus ſpiritu agitur, tanquam vivum ejus membrum, Patres laudati pro priore ſententia meritò aſſerunt ſolo Chriſti Sanguine peccatores ablui, & debita ex iis contracta exolvi: *Hic eſt unus, veruſque mediatòr noſter, & advocatus, pro quo nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus aliquando quidem per membra corporis ſui, quæ pro ſe invicem ſollicita ſunt.* S. Auguſtinus lib. contra Parmenianum.

Dices; Beati in cœlo acceperunt mercedem ſuam, ergo non poſſunt ſolvi aliorum debita bonis eorum operibus.

Diſtinguo antec. Acceperunt mercedem eſſentialem, Conc. Accidentalem, Nego antec. Pertinet autem ad eorum beatitudinem accidentalem, ut ii, pro quorum ſalute fuerunt ſolliciti, dum in terris agerent, tam ardenter & aſſiduè Deum precati ſunt, carnem ſuam jejuniis, vigiliis, & aliis afflictationibus macerarunt, ab omnibus pœnis liberentur, & in bonis actibus uſque

usque ad finem perseverent. Nec quis sibi fingat Justum, qui pro aliis orat, jejunat, pauperibus largitur, minùs apud Deum mereri, & seipsum aliqua parte mercedis defraudare: cùm enim opus exerceat majoris charitatis, majus quoque præmium à Deo consecutus est.

## §. II.

## *De Indulgentiarum existentia.*

Q. *Extatne in Ecclesia potestas concedendi Indulgentias?*

Negarunt,

1. Tertullianus Montanista factus, lib. de pudicitia, cap. 22. ubi Martyribus denegat quod Catholicus ipsis concessum agnoverat libro ad Martyres cap. 1. Hic enim approbat ad preces Martyrum Ecclesiam pœnitentibus pœnas eorum peccatis debitas relaxare solitam: *Domus quidem Diaboli est & carcer, sed vos ideò in carcerem pervenistis, ut illum etiam in domo sua conculcetis; jam enim foris egressi conculcaveratis . . . . sed inveniat munitos, & concordia armatos; quia pax vestra bellum est illi, quam pacem quidam in Ecclesia non habentes, à Martyribus in carcere exorare consueverunt. Et ideò eam etiam propterea in vobis habere, & fovere, & custodire debetis, ut si fortè, & aliis præstare possitis.* Sed posteà in hæresim Montanistarum lapsus, quem priùs laudaverat usum improbavitque impugnavitque: *At tu*, inquit S. Zephyrinum alloquens, *& jam in Martyres tuos effundis hanc potestatem, ut quisque ex consensione vincula induit adhuc mollia in novo custodiæ nomine, statim ambiunt mœchi, statim adeunt fornicatores . . . . & pacem ab iis quærunt, qui de sua periclitantur.*

2. Valdenſes duodecimo ſæculo Indulgentias reprobarunt, ex Raynero libro contra Valdenſes cap 6. *de Indulgentiis*, inquit, *quæ fiunt per Eccleſiam, non credunt.*

3. Wiclefus decimo quarto ſæculo, cui adhæſerunt Joannes Hus, & Hieronymus de Praga, in eodem verſatus eſt errore, fuit enim ejus hæc propoſitio in Conc. Conſtantienſi damnata ſeſſ. 15. *Indulgentiæ Papæ, ſive Epiſcoporum conceſſæ nihil proſunt.*

4. Petrus Oxomenſis decimoquinto ſæculo aſſeruit *Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere non poſſe;* quam propoſitionem proſcripſerunt primùm Archiepiſcopus Toletanus, deinde Sixtus IV.

5. Lutherus indignè ferens, quod Leo decimus provinciam publicandi Indulgentias demandaſſet, non ſuæ familiæ Auguſtinenſium, ſed Dominicanorum, 1. invidiæ facibus ardens contra varios Indulgentiarum abuſus debacchatus, ac tandem ipſum dogma ſubvertere aggreſſus eſt his propoſitionibus à Leone decimo proſcriptis: *Indulgentiæ ſunt piæ fraudes Fidelium, & remiſſiones bonorum operum. Seducuntur credentes Indulgentias eſſe ſalutares, & ad fructum ſpiritus utiles.* Lutherum ſecuti ſunt Zvvinglius & Calvinus.

Contra hos errores Concilium Tridentinum ſeſſ. 25. Decreto de Indulgentiis, ſic habet, ac definit: *Sacroſancta Synodus Indulgentiarum uſum Chriſtiano populo maximè ſalutarem, & ſacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Eccleſia retinendum eſſe docet & præcipit, eoſque anathemate damnat, qui aut inutiles eſſe aſſerunt, vel eas concedendi in Eccleſia poteſtatem eſſe negant. In his tamen concedendis moderationem juxta*

*ta veterem & probatam in Ecclesia consuetudinem, adhiberi cupit: ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus, qui in his irrepserunt, quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blasphematur, emendatos & correctos cupiens, præsenti Decreto generaliter statuit*, &c. In hocce Decreto quatuor notanda sunt.

1. Concilium docet extare in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias.

2. Generatim dumtaxat asserit eas esse Fidelibus salutares, nec definit quæ sit earum utilitas, circa quam Theologi variè opinantur.

3. Præscribit Indulgentiarum usum, declaratque debere esse moderatum juxta veterem, & probatam in Ecclesia consuetudinem. Concilium Lateranense IV. can. 62. jam perstrinxerat immoderatum Indulgentiarum usum his verbis: *ad hæc quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur, decernimus*, &c. Idem præstiterat XV. sæculo Sixtus IV. Extravag. *Etsi*, lib. 5. cap. 5. in qua revocat plures Indulgentias à se concessas: *Nos*, inquit, *qui Deo propitio ejusdem gregis Dominici causam gerimus, & usum spiritualis thesauri elargitione cupimus ipsi Deo reddere acceptabilem; ne exinde clavium auctortias deducatur in contemptum, ipsique ad peccandum procliviores, ut diximus, liberius prolabantur ..... auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus*, &c. Et post Concilium Tridetinum Clemens VIII. referente Baronio ad annum 847. ad antiquam formam *non sine divino instinctu effusas nimis Indulgentiarum concessiones restringere aggressus est; fiunt enim potius remissiores vasta*

*Indul-*

*Indulgentiarum laxitate Fideles.* Noſtra etiam ætate Innocentius Undecimus multas revocavit Indulgentias, tanquam obreptitiè, & ſine ſufficienti cauſa obtentas.

4. Idem Concilium Tridentinum damnat abuſus, qui circa Indulgentias obrepſerunt, ac imprimis pravos quæſtus pro iis conſequendis, *quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blaſphematur;* mandatque Epiſcopis, ut diligenter quiſque in ſua Diœceſi hujuſmodi abuſus corrigat, ut in prima Synodo Provinciali recogniti, ſtatim ad Summum Pontificem deferantur, cujus auctoritate, & prudentia, quod univerſali Eccleſiæ expediet, ſtatuatur; *ut ita ſanctarum Indulgentiarum munus piè, ſanctè, & incorrupte omnibus Fidelibus diſpenſetur.*

His præmiſſis, ad propoſitam quæſtionem

R. De fide eſt, extare in Eccleſia poteſtatem concedendi Indulgentias, earumque uſum Fidelibus eſſe ſalutarem. Duæ ſunt reſponſionis partes à Concil. Tridentino definitæ.

Prima pars, quæ eſt de poteſtate concedendi Indulgentias, probatur 1. è Scriptura, Matth. 16. verſ. 19. *Tibi dabo claves regni cœlorum.* Ad quid autem promittuntur Petro claves regni cœlorum? an præcisè & unicè, ut claudat, & nemini referet cæleſtem theſaurum? abſit, ſubdit enim Chriſtus; *quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Quod autem Chriſtus promiſerat Petro cap. 16. illud extendit ad cæteros Apoſtolos, Matth. 18. verſ. 18. *quæcunque*, inquit, *ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.* Ex quibus verbis S. Cyprianus cum Collegis ſuis in Concilio Africano, collegit Apoſtolos & eorum ſucceſſores accepiſſe

cepiſſe poteſtatem imponendi pœnitentibus pœnas ſatisfactorias, & impoſitas, vel imponendas relaxandi, aut remittendi ex cauſa legitima, *cùm permiſerit ipſe, qui legem dedit*, inquit, epiſt. 54. ad Cornelium Summum Pontificem, *ut ligata in terris, etiam in cœlis ligata eſſent: ſolvi autem poſſent illic, quæ hic prius in Eccleſia ſolverentur.*

Probatur 2. ex conſtanti Eccleſiæ Traditione.

I. Sæculo Apoſtolus 2. Cor. cap. 2. hac poteſtate uſus eſt erga inceſtum Corinthium, cui indulſiſſe ſe dicit in perſona Chriſti, hoc eſt, auctoritate à Chriſto accepta, *ne abundantiori triſtitia abſorberetur*. In quæ verba ſanctus Chryſoſtomus hom. 4. in ſecundam ad Corinthios ſic ſcribit: *Ex ea re docemur, quòd non ſolùm ad peccatorum naturam, verùm etiam ad mentem habitumque peccantium oporteat moderari diſciplinam.*

II. Sæculi uſum teſtatur Tertullianus locis ſupra citatis.

Pro tertio ſæculo habemus luculentum teſtimonium S. Cypriani. 1. Enim ſcribit ad preces Martyrum conſueviſſe Eccleſiam indulgere pœnitentibus, & pœnas ipſis injunctas, vel injungendas remittere. 2. Monet Martyres, ne pro omnibus promiſcuè gratiam illam poſtulent, ſed pro iis dumtaxat, qui exemplo inceſti Corinthii, pœnitentiæ laboribus ſtrenuè defungerentur. 3. Invehitur in Presbyteros, cui, Epiſcopo inconſulto ad preces Martyrum omnibus peccatoribus indiſcriminatim pacem concedebant, eoſque ad communionem temerè admittebant. 4. Vult Indulgentias à Martyribus expetitas executioni non eſſe mandandas, niſi ſedata perſecutione, cùm ipſi Martyres expleto martyrio obiiſſent. Verba

ſancti

ſancti Martyris operæ pretium eſt hic inſcribere; *Credo*, inquit, epiſt. 13. *ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis ſuis poſſunt, ſi premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologeſi facta, & manu eis à vobis in pœnitentiam impoſita, cum pace à Martyribus ſibi promiſſa ad Dominum remittantur.* Quanta autem cautione Indulgentiæ ſint diſpenſandæ, aperit epiſtola 11. ad Martyres, ſeu Confeſſores in carceribus detentos: *Credideram quidem*, inquit, *Presbyteros & Diaconos, qui illic præſentes ſunt, monere vos & inſtruere pleniſſime circa Evangelii legem, ſicut in præteritum ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt* (nota antiquam conſuetudinem) *ut Diaconi ad carcerem commeantes Martyrum deſideria conſiliis ſuis & Scripturarum præceptis gubernarent. Sed nunc cum maximo animi dolore cognoſco non tantùm illic vobis non ſuggeri divina præcepta, ſed adhuc potius inveniri, ut ea, quæ à vobis ipſis & circa Deum caute, & circa Sacerdotem Dei honorifice fiunt, à quibuſdam Presbyteris reſolvantur ..... Illi contra Evangelii legem, contra veſtram quoque honorificam petitionem, ante actam pœnitentiam, ante exomologeſim graviſſimi atque extremi delicti factam, ante manum ab Epiſcopo & Clero impoſitam, offerri lapſis pacem, & Euchariſtiam dare, id eſt, ſanctum Domini Corpus profanare audeant.* Et infra: *oro vos quibus poſſum precibus, ut Evangelii memores, & conſiderantes quæ, & quanta anteceſſores veſtri Martyres conceſſerint, quàm ſolliciti in omnibus fuerint, vos quoque ſollicite & caute petentium deſideria ponderetis, utpote amici Domini, & cùm illo poſtmodum judicaturi, inſpiciatis & actum, & opera, & merita ſingulorum: ipſorum quoque delictorum genera & qualitates cogitetis, ne ſi quid abrupte & indigne, vel à vobis promiſſum, vel à nobis factum*

*factum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia nostra erubescere incipiat.* Et hoc Patres Tridentini sua ætate contigisse supra dicebant, nempe propter abusus, qui in Indulgentiis irrepserant, insigne Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blasphemari.

IV. Sæculo Concilium Ancyranum anno 314. can. 5. & Nicænum anno 325. can. 12. statuunt humanius agendum cum pœnitentibus, & de pœnis relaxandum, si cum fervore ad pœnitentiæ labores ferantur. Idem decernunt S. Basilius epist. ad Amphilochium, S. Gregorius Nyssen. epist. ad Letojum, & Concil. Quinisextum, seu in Trullo septimo sæculo can. 12.

Superflue referrentur exempla Indulgentiarum concessarum à sæculo octavo, utpote frequentiora, maximè sæculo XI. & XII. occasione recuperandæ Terræ sanctæ, quam invaserant Sarraceni. Ipse S. Bernardus in eum finem Indulgentias ab Eugenio III. concessas promulgavit, ut patet ex libro 2. de Consideratione, cap. 1. narratque epist. 246. tot homines Indulgentiarum consequendarum spe allectos, peregrinationem Jerosolymitanam suscepisse, ut urbes vacuæ remanerent: *Vacuantur*, inquit, *urbes & castella, & pene jam non inveniunt, quem apprehendant septem mulieres virum unum, adeò ubique viduæ vivis remanent viris.*

Secunda pars, nempe Indulgentias populo Christiano esse salutares, probatur ex allatis momentis in confirmationem primæ partis.

Namque 1. sine impietate nemo asseruerit Christum frustra & incassum Apostolis contulisse potestatem solvendi; aut Apostolum Paulum, & universam deinceps Ecclesiam inutiliter illam potestatem

tem extendisse ad solvendas pœnas peccatis debitas. 2. Ipse Apostolus expressè scribit ea potestate usum se, ne circumveniretur à Satana, neve incestus pœnitens abundantiori tristitia absorberetur, ac proinde ejus dispensatio fuit utilis & salutaris. Sanctus quoque Cyprianus laudata epist. 54. nomine Concilii scribit ad S. Cornelium, se quibusdam breviasse tempus pœnitentiæ, *ne quod duritiem magis humanæ crudelitatis, quàm divinæ & paternæ pietatis dulcedinem apponimus, oves nobis commissa à Domino reposcantur.*

## §. III.

### *De indulgentiarum utilitate.*

Q. *Quænam est Indulgentiarum utilitas, quisve earum effectus?*

Non una est Theologorum sententia. Alii, ut, Alexander Halensis, Durandus, Paludanus, Adrianus VI. Cardinalis Cajetanus Tractatu de Indulgentiis quem adversus Lutherum scripsit, censent Indulgentias, non liberare nisi à pœnis injunctis, hoc est, in Sacramentali Confessione impositis; quia de iis tantum mentionem faciunt Summi Pontifices, dum Indulgentias concedunt. Alii, ut S. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. & in Supplem. quæst. 25. art. 1. Joannes Major, Dominicus Soto, Bellarminus; & cæteri passim Theologi contendunt Indulgentias solvere à pœnis, sive injunctæ sint, sive injungendæ. Sed alia est controversia majoris momenti, utrum scil. Indulgentiæ valeant ad absolvendum à reatu pœnæ, quam quis apud Deum meretur, an solùm à vinculo, quo Confessarius ligaverit pœnitentem,

aut

aut ligarent Canones, si adhuc vigerent. Quid autem in ejusmodi controversiis tenendum sit, aperient sequentes responsiones. Itaque

R. 1. Indulgentiæ, quæ absolute & absque restrictione conceduntur, se extendunt ad omnem pœnam temporalem, sive injunctam, sive injungendam.

Probatur 1. quia Christus Matth. 16. & 18. absolute, & absque ulla limitatione dedit Apostolis solvendi potestatem, nec Patroni oppositæ sententiæ ullum in Traditione habent fundamentum restringendi hujusmodi potestatem ad pœnas in Sacramento injunctas; licèt enim in jure reperiantur Indulgentiæ concessæ sub hac formula, *de pœnis injunctis*, plures etiam proferri possunt ex jure, quæ absolute & absque hujusmodi formula, conceduntur. Bonifacius VIII. in celebri Extrav. *antiquorum*, Clemens VI. in Extrav. *unigenitus*, Sixtus IV. in Extrav. *quemadmodum*, & plerique deinceps Pontifices in Bullis pro Jubilæo illam formulam omittunt, plenasque ac plenissimas Indulgentias largiuntur, hoc est quantum claves se extendere possunt, ut ipsemet Bonifacius mentem suam exposuit, ex auctore Glossæ in Constitution. *antiquorum*. 2. Quia si Indulgentiæ hodiernæ restringerentur ad pœnas in Sacramento injunctas, vix hodie locum haberent, cùm levissimæ pœnæ injungantur à Confessariis.

Utrum autem in hypothesi, quod Indulgentia concessa sit sub hac formula, *de pœnis injunctis*, extendi debeat ad injungendas, dubitari potest. Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis c. 7 negat extendi: contra verò affirmant Suarez in 3. parte S. Thomæ disp. 50. sect. 3. conclus. 3. Syl-

vius in eandem partem, & alii benemulti; quia, ut habetur cap. 27. *ex parte titul. de Decimis*, *ubi majus conceditur*, *minus concessum esse videtur*; atqui majus est remittere pœnas injunctas; quàm injungendas illæ enim duplici titulo debentur, scilicet, & reatu pœnæ culpam consequente, & præcepto Confessarii: ergo formula, *de injunctis pœnis*, non est, inquiunt, restrictiva, sed ampliativa.

Dices: Forum sacramentale est supremum, nec Confessarius: ut sic superiorem in terris agnoscit, a quo sententia ejus possit irritari: ergo nequidem Summus Pontifex per Indulgentias solvere potest, quæ Confessarius ligavit.

Distinguo conseq. Non potest solvere directè, corrigendo sententiam Sacerdotis, vel circa eam dispensando, Conc. Indirectè, tollendo debitum & reatum pœnæ temporalis, Nego conseq. Explicatur solutio familiari exemplo illius, qui cum mulctam pecuniariam ex Senatusconsulto pendere teneretur, benevolum divitem invenit, qui mulctam proprio ære exsolvit, & ita indirectè debitorem eximit à lege imposita, quamvis nullam habeat auctoritatem, aut jurisdictionem in Senatum, qui eam tulit. Similiter Prælatus, dum applicat satisfactiones Christi & Sanctorum pro potestate sibi divinitus concessa, reatum pœnæ, propter quem expiandum Confessarius pœnitentiam imposuerat, expungit, sicque pœnitens injunctam sibi pœnam exolvere non tenetur, cùm nihil supersit solvendum, ut supponitur.

Ergo, inquies, qui gravia peccata commisit, propter quæ Confessarii præcepto tenetur eleemosynas largiri, jejunare, & orare, per Indulgentias plenarias immunis erit ab illis laboriosis operibus?

Di-

Distinguo conseq. Si ipsi constet, quòd lucratus sit illas Indulgentias, & opera illa sibi sint imposita in meram vindictam, nullatenus verò in novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, Conc. Secus, Nego consequentiam. Debitor enim tenetur debito quamdiu solutum fuisse non probat: atqui nemo certus esse potest absque speciali revelatione reatum pœnæ, cui obnoxius erat, per Indulgentias fuisse expunctum: *Homo nescit, utrum amore, an odio dignus sit*, Eccles. 9. *de propitiato peccato noli esse sine metu*, Eccli. 5. Sed etsi id ipsi constaret, ad summum immunis esset ab injuncta pœnitentia mere vindicativa & pœnali. Nam Indulgentiæ non eximunt à pœnitentia medicinali, utpote necessaria necessitate medii ad coercendas cupiditates, & perseverandum usque in finem; alioquin enervarent Ecclesiasticam disciplinam, ut loquitur Concilium Tridentinum, & earum obtentu Christi fideles procliviores ad illicita in posterum committenda redderentur, Extravag. *Etsi*, de pœnitentiis & remissionibus. Quin Summi Pontifices in suis Bullis ita potestatem faciunt Confessariis absolvendi ab omnibus criminibus & censuris tempore Jubilæi, ut hanc clausulam non omittant, *injuncta salutari pœnitentia*. Porrò cùm omnes satisfactiones, quas Confessarii injungunt juxta hodiernam Ecclesiæ disciplinam, sint simul medicinales & vindicativæ, ab ipsomet pœnitente exolvantur necesse est. Unde meritò Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.*

Instabis, ex hac responsione sequitur Indulgentias nunc esse inutiles; cùm enim Canones

Pœnitentiales non vigeant, leviores injungantur satisfactiones magis ad novæ vitæ custodiam, quàm ad præteritorum peccatorum vindictam, continuaque debeat esse Fidelium pœnitentia, nullo levamento sunt illis Indulgentiæ.

R. 1. Nego sequel. Imò quia Ecclesia propter refrigescentem charitatem de pristina sua disciplina aliquid remisit, videles existunt amplius obnoxii, & debitores justitiæ divinæ; magisque indigent Indulgentiarum subsidio, ut patebit ex sequenti responsione. Itaque

R. 2. Per Indulgentias remittuntur pœnæ temporales justitiæ divinæ debitæ, & in futuro sæculo luendæ. Hæc propositio apud Catholicos adeò certa est, ut Suarez cit. disput. 50. sect. 2. conclus. 1. existimet, eam esse de fide, utpote satis expressè definitam à Concilio Trident. cit. Decreto de Indulgentiis.

Probatur 1. è Scriptura, Matth. 18. *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo;* hoc est, in Dei foro & judicio. Unde auctor Commentariorum in epistolas sancti Pauli inter opera sancti Ambrosii, expendens verba Apostoli 2.Cor. cap. 2. *quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi*, sic habet: *& ut ratum ei cui donavit ostenderet apud Deum ait in persona Christi se donasse quod donavit, hoc est, accepta tulisse Christo, cujus legatione fungebatur, ut factum Apostoli sit factum Christi, sicut dixit:* quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo.

Probatur secundo ex Traditione.

Tertullianus libro de pudicitia cap. 22. apertè declarat, hanc fuisse Ecclesiæ fidem secundo sæculo, Indulgentias precibus Martyrum concessas re-

remittere pœnam justitiæ divinæ debitam; sic enim perstringit sanctum Zephyrinum Summum Pontificem: *An tu & in Martyres tuos effundis hanc potestatem? sufficiat Martyri propria delicta purgasse. Ingrati & superbi est in alios quoque spargere, quod pro magno fuerit consecutus. Quis alienam mortem sua solvit, nisi solus Dei Filius? Si propterea Christus in Martyre est, ut mœchos & fornicatores Martyr absolvat, occulta cordis edicat, ut illa delicta concedat, & Christus est.* Manifestum est, ibi non agi de remissione Disciplinæ Ecclesiasticæ, sed pœnarum apud Deum debitarum.

Sanctus Cyprianus epist. 13. sic scribit: *Ut qui libellum à Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum in delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua & periculo cœperint, exomologesi facta, & manu eis in pœnitentiam imposita, cum pace à Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur.* Porrò relaxatio pœnarum canonicarum jamjam morituris est prorsus inutilis & superflua, cùm ab eis per mortem absolvantur: ergo B. Martyri persuasum erat indulgentias precibus Martyrum concessas remittere pœnas justitiæ divinæ debitas. Unde serm. de lapsis ait: *Credimus quidem posse apud judicem plurimùm valere Martyrum merita & opera Justorum.*

S. Thomas in 4. quæst. 1. art. 3. referturque in Supplemento quæst. 25. art. 1. *Quidam dicunt*, inquit, *quòd Indulgentiæ non valent ad absolvendum à reatu pœnæ, quam quis in Purgatorio secundùm judicium Dei meretur, sed valent ad absolvendum ab obligatione, qua Sacerdos obligavit pœnitentem ad pœnam aliquam, vel ad quam etiam ordinatur ex Canonum statutis. Sed hæc opinio non videtur vera.* 1. *Quia est expressè contra*

 *pri-*

*privilegium Petro datum, ut, quod in terra remitteret, & in cœlo remitteretur. Unde remissio, qua fit quantùm ad forum Ecclesiæ, valet etiam quantum ad forum Dei. Et præterea Ecclesia ejusmodi Indulgentias dans magis damnificaret, quàm adjuvaret; quia remitteret ad graviores pœnas, scilicet Purgatorii, absolvendo à pœnitentiis injunctis. Et ideo aliter dicendum, quod valent, & quantum ad forum Ecclesiæ, & quantum ad judicium Dei, ad remissionem pœnæ residuæ post contritionem, & confessionem, & absolutionem, sive sit injuncta, sive non.*

Sixtus Quartus Constitutione, quæ incipit, *liceat ea.*, damnavit Petri Oxomensis propositionem, qua asserebat, *Romanum Pontificem Purgatorii pœnam remittere non posse.* Et Leo X. in sua Bulla contra articulos Lutheri, hunc inter cæteros perstringit: *Indulgentiæ his, qui veraciter eas consequuntur, non valent ad remissionem pœnæ pro peccatis actualibus debitæ apud divinam justitiam.*

Denique Concilium Tridentinum citato Decreto, Pseudoreformatos anathemate percutit, quia denegabant Ecclesiæ potestatem concedendi Indulgentias, asserebantque eas, quas prædicat, esse inutiles & pias fraudes: atqui Pseudo-reformati nunquam negarunt, Ecclesiam posse remittere pœnas, quas ipsamet propter disciplinam præscripsit, aut ejusmodi Indulgentiam esse aliquando utilem; quin ipsi in sua secta nonnunquam hac utuntur potestate. Sed in eo præcisè situs est eorum error, quod doceant Ecclesiam non posse per indulgentias solvere à pœnis temporalibus in futuro sæculo eluendis: Ergo Concilium Tridentinum reverà anathemate percutit negantes indulgentias valere ad remissionem pœnæ temporalis in purgatorio exsolvendæ, ac proinde satis

ex-

expreſsè definiit per Indulgentiam remitti pœnam temporalem juſtitiæ divinæ debitam.

Prætereà Concilium Tridentinum citato Decreto definit Indulgentias eſſe Chriſtiano populo ſalutares : atqui niſi ſolverent à pœnis in Purgatorio luendis, eſſent longè pernicioſiſſimæ, quemadmodum ſupra docebat Sanctus Thomas , quatenùs ſcilicet Fideles ita abſolverent à pœnis canonicis, ut eos acerbioribus obnoxios efficerent; nam pœnæ canonicæ, etiam graviores, & productiores, collatæ cum pœnis Purgatorii leviſſimæ ſunt, & pro nihilo habendæ, ut communiter docent Sancti Patres : *Neque in ira tua emendes me*, inquit Sanctus Auguſtinus in Pſalm. 35. *ut in hac vita purges me, & talem me reddas, cui emendatotio igne non opus ſit propter illos, qui ſalvi erunt, ſic tamen per ignem . . . . . . . & quia dicitnr*, ſalvus erit, *contemnitur ille ignis. Ita planè quamvis ſalvi per ignem, gravior tamen erit ille ignis, quàm quidquid poteſt pati homo in hac vita.* Et Sanctus Gregorius in Pſal. 3. pœnitentialem, *illum ignem tranſitorium*, inquit, *omni tribulatione præſenti exiſtimo intolerabiliorem.* S. quoque Anſelmus in cap. 3. ep. 1. ad Cor. ſic ſcribit : *Sciendum eſt quia gravior eſt ille ignis, quàm quidquid homo pati poteſt in hac vita. Omnia enim tormenta, quæ hic ſunt; faciliora ſunt; & tamen homines, ne ea patiantur, quidquid ab homine fuerit juſſum faciunt. Quantò melius eſt facere quæ Deus jubet, ne illa graviora patiantur?*

Ex quibus pleniſſimè ſatisfit iis , quæ ſuprà objiciebantur contra utilitatem Indulgentiarum quas Eccleſia impræſentiarum largitur. Quid enim utilius, quidve optabilius debitori, qui ſolvendo non eſt, & tamen ad ſolvendum urgetur, alio-

alioquin acerbiſſima paſſurus, quàm ſi quem beneficum inveniat, qui omnia ejus debita diſſolvat? Atqui multis debitis laboramus apud Deum, graviora in Purgatorio experturi, *quàm quidquid homo pati poteſt in hac vita.* Sed occurrit pia mater Eccleſia, aperit Indulgentiarum theſaurum.

## §. IV.

### *De Indulgentiarum cauſis.*

Philoſophi vulgo diſtinguunt quatuor genera cauſarum, ſcilicet finalem ſeu motivam, efficientem, materialem & formalem. Materialis duplex eſt, *ex qua*, *& in qua* Cauſa materialis *ex qua* Indulgentiarum ſunt merita Chriſti & Sanctorum, ex quibus conflatur theſaurus Eccleſiæ, ut diximus §. 1. Materialis *in qua* eſt ſubjectum, ſeu ii, quibus applicantur Indulgentiæ. Sed de ſubjecto Indulgentiarum plura dicenda ſunt ſequenti §. Agemus hìc dumtaxat de cauſa finali, ſive motivo, propter quod concedi poſſunt Indulgentiæ: de cauſa efficiente, hoc eſt, de iis, qui Indulgentias concedere poſſunt & de cauſa formali, ſeu de modo, quo dari ſolent Indulgentiæ. Itaque

Q. 1. *Quis eſt Indulgentiarùm finis?*

R. Exponit Clemens VI. Extravag. *Unigenitus*, *ut cunctorum Fidelium*, inquit, *augeatur devotio*, *fides ſplendeat*, *ſpes vigeat*, *charitas vehementius incaleſcat*; nam propter finem temporalem Indulgentiæ concedi non poſſunt, niſi ordinetur ad finem ſpiritualem, v. g. ad Religionis amplificationem.

Q. 2.

Q. 2. *Valentne Indulgentiæ ſine cauſa legitima conceſſæ?*

R. Conveniunt omnes Theologi Indulgentias ſine legitima cauſa conceſſas, non eſſe ratas coram Deo, nec expungere reatum pœnæ in Purgatorio luendæ.

Probatur 1. ex Scriptura: 1. Cor. 4. *ſic nos exiſtimet homo ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei: hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur:* atqui infidus eſt diſpenſator, qui bona Domini ſui ſine cauſa diſpenſat.

Probatur 2. ex Traditione. Sanctus Cyprianus ſermone de lapſis, invehitur adversùs ejusmodi diſpenſationes: *contra Domini ac Dei legem,* inquit, *temeritate quorundam, laxatur incautis communicatio: irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura.* Innocentius III. in Concilio Lateranenſi IV. canone 62. Indulgentias ſine cauſa conceſſas vocat indiſcretas & ſuperfluas. Clemens VI. citata Extravag. *Unigenitus*, docet, theſaurum Eccleſiæ ea lege Petro & ejus ſucceſſoribus fuiſſe creditum, ut eum *pro piis rationabilibus cauſis diſpenſent.* Martinus V. in Conſtitutione poſt Concilium Conſtantienſe vult interrogari ſuſpectum de hæreſi, *utrum credat, quod Papa omnibus Chriſtianis verè contritis & confeſſis ex cauſa pia & juſta poſſit concedere Indulgentias in remiſſionem peccatorum?*

Probatur 3. ratione; quia diſpenſatio ſine cauſa in iis, quæ ſunt juris divini, prorsùs irrita eſt: atqui pœna temporalis, quæ dimiſſa culpa ſupereſt, jure divino eſt expianda: ergo ſine cauſa tolli nequit.

Q. 3. *Quævis cauſa pia, etiam leviſſima, ſufficitne ut Indulgentia rata habeatur coram Deo?*

 R. Non

R. Non conveniunt Theologi.

Affirmant Durandus, & Paludanus in 4. dist 2. S. Antoninus 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 1. Sylvester in summa, Glossa in Extravag. *antiquorum*, & alii benemulti.

Negant verò S. Bonaventura eadem dist. 20. Joannes Gerson Tract. de Absolutione Sacramentali, Adrianus in 4. de Indulgentiis, Cajetanus Tract. de Indulgentiis, Joannes Major eadem dist. 20. Dominicus Soto in 4. dist. 21. q. art. 2. Petrus Soto lect. 2. de Indulgentiis, Navarrus de Jubilæo, Estius, Sylvius, & alii plures ex Recentioribus.

Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis cap. 12. ut aliquo modo conciliet tam graves & celebres Theologos, observat 1. ad causam justam ut plurimùm duo requiri: 1. finem aliquem pium, ac Deo gratum, cujus assecutio magis placeat Deo, quàm pœnitentialis satisfactio, quæ per Indulgentiam relaxatur; is enim fidelis & prudens est dispensator cœlestis thesauri, qui fideliter agit causam Domini sui, & juxta ejus voluntatem operatur: 2. opus aliquod fini proportionatum, nam licèt finis valde placeat Deo, si tamen per opus injunctum nullo modo valeat obtineri, non videtur justa causa dandæ Indulgentiæ, ut si v. gr. detur indulgentia plenaria iis, qui semel recitant Orationem Dominicam pro conversione Hæreticorum, *causa*, inquit ille, *non videbitur justa;* quoniam licèt conversio Hæreticorum res sit maxima, & Deo gratior, quàm pœnitentialis satisfactio multorum Fidelium, vix tamen confert ad illum finem consequendum brevissima illa Oratio.

Obser-

Obſervat 2. idem Bellarminus diſtinguendum inter Indulgentias, quæ conceduntur privato alicui, & eas, quæ dantur in commune omnibus Fidelibus propter gravem finem, v.gr. pro ædificanda & dotanda Eccleſia Parochiali.

Priores Indulgentiæ requirunt cauſam gravem, & opus proportionatum. 1. quia Concilium Trid. cit. Decreto de Indulgentiis, vult eas concedi *juxta veterem & probatam Eccleſiæ conſuetudinem:* atqui veteres, ut S. Cyprianus §. II. laudatus, Patres Nicœni can. 12. cenſent iis dumtaxat indulgendum, qui lacrymis, pœnitentia, & bonis operibus meriti ſunt, ut quod ſupereſt pœnæ luendæ, ipſis miſericorditer remittatur. 2. quia infidus eſt diſpenſator, qui pro cauſa leviſſima profundit theſauros Domini ſui. 3. quia omnes conveniunt non poſſe diſpenſari in votis, niſi gravi cauſa, quæ magis placeat Deo, quàm ipſa voti impletio; ergo à pari. 4. ſi pro quacunque pia cauſa datæ apud Deum eſſent Indulgentiæ, nullæ dici poſſent ſuperfluæ, cùm pia aliqua cauſa ſemper allegari poſſit.

Poſteriores verò Indulgentiæ, quæ in commune multis dantur, abſolutè non requirunt opus injunctum difficile & laborioſum, modò ſit medium aptum atque utile ad conſequendum finem, cujus gratia conceduntur illæ Indulgentiæ. *Dicendum*, inquit S. Thomas in 4. diſt. 20. & in Supplem. q. 25. art. 2. ad tertium, *quòd quando datur Indulgentia indeterminatè*, (v. g. ei, qui dederit auxilium ad fabricam Eccleſiæ) *intelligitur tale auxilium, quod ſit conveniens ei, qui auxilium dat, & ſecundùm quod accedit ad hoc* (ſcilicet ad conſtruendam Eccleſiam) *unde etiam aliquis pauper dans unum denarium, conſe-*

*consequitur totam Indulgentiam: non autem dives, quem non decet ad opus tam pium & fructuosum ita parùm dare, sicut non diceretur Rex aliquis auxilium facere, si ei obolum daret.*

Dices: S. Thomas cit. articulo ad primum, sic habet: *In arbitrio dantis Indulgentiam est taxare, quantum per Indulgentiam de pœna remittatur. Si tamen inordinatè remittat, ita ut homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat faciens tales Indulgentias, nihilominùs quis plenam Indulgentiam consequitur:* ergo valet Indulgentia ex pia causa, sed levi.

R. 1. Non satis constare, quæ fuerit mens S. Thomæ circa propositam quæstionem. Nonnulli, etiam ex ejus Discipulis, fatentur illum revera adhæsisse priori sententiæ, in qua illum deserunt, persuasi quòd si absolvisset summam, posteriorem sententiam fuisset amplexus. Alii Thomistæ, ut Dominicus Soto, Cajetanus, Estius, & Sylvius contendunt ipsum patrocinari suæ Sententiæ; sic enim scribit in 4. dist. 46. & in Supplem. qu. 71. art. 10. *nec tamen sequitur, quòd Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas è Purgatorio liberare, quia ad hoc ut Indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens.* Unde

R. 2. distinguendo antecedens cum Adriano, Dominico Soto & Sylvio, si quis inordinatè, id est, nimis frequenter Indulgentias largiatur, ita ut homines quasi pro nihilo ab operibus pœnitentiæ revocentur, peccat quamvis subsit gravis causa, v. gr. bellum diuturnum, & religioni periculosum extinguendum, nihilominùs subditus plenam Indulgentiam consequitur, Concedo: quia adest gravis causa, & supponitur subditum conferre.

ferre, quantum in se est, ut effectus obtineatur: si inordinatè, & sine causa sufficienti Indulgentias concedat, nihilominùs subditus illam consequetur, Nego anteced. S. itaque Thomas, juxta interpretationem illorum Theologorum, vult duntaxat Indulgentias non debere esse frequentiores, etiamsi causæ sint frequentes; improbat v. gr. Indulgentiam plenariam concedi quolibet semestri, quamdiu bellum durabit, vel quoadusque hæresis, quæ grassatur, fuerit extincta: nihilominus tamen admittit, fidelem, qui pro virili confert ad hunc finem obtinendum, plenariam Indulgentiam consequi.

Instabis: Sanctus Thomas citato articulo 2. admittit tritum Canonistarum axioma: *Indulgentiæ tantùm valent, quantùm sonant, vel prædicantur.* Ergo.

Distinguo anteced. admittit cum distinctione; nempe, si omnes conditiones adsint, auctoritas in dante, legitima causa propter quam dat, & dispositio in suscipiente, de qua dicetur infrà, Concedo: admittit absolutè. Nego antecedens: ne quidem ipsa Sacramenta, quæ per se operantur quod significant, habent suum effectum, nisi adsint omnes conditiones. Ergo sicut de fide non est, per hanc, aut illam absolutionem actu & de facto remissa esse peccata, quamvis fide divina certissimum sit, illam per se efficacem esse ad delenda qnælibet peccata; quia semper est timendi locus, ne defuerint conditiones à Deo præscriptæ: quin Confessarius etiam peritissimus ac diligentissimus, nonnunquam cum dolore deprehendit defectum in pœnitente, propter quem irritam judicat absolutionem priùs à se collatam. Similiter quamvis nefas sit in dubium revocare Indulgentia-

gentiarum virtutem ac utilitatem, certum tamen non eſt, omnes adfuiſſe conditiones, ut fructus earum actu & de facto perciperetur. Illud ipſum agnoſcunt Summi Pontifices, qui identidem revocant nonnullas Indulgentias, tum à ſe, tum à Prædeceſſoribus ſuis per obreptionem obtentas.

Dices; multis dantur Indulgentiæ pro mortis articulo, etiam nullo injuncto opere: atqui nulla eſt cauſa eas concedendi, quæ non ſit omnibus Fidelibus communis, nempe ut liberentur à pœnis Purgatorii: ergo Indulgentiæ omnibus promiſcuè dari poſſunt.

Nego minorem; ejusmodi enim Indulgentiæ conceduntur in ſupplementum pœnitentiæ, cui totum vitæ tempus addixere viri pii & benè meriti. Hæc autem indulgendi cauſa viſa eſt legitima S. Cypriano, & Patribus Nicænis ſuprà laudatis.

Nec obſtat, quòd plures ex iis, qui ætatem exegere in vitiis, vel inertia, ſæpè gaudeant ejuſmodi privilegio; hi quippe obreptitiè & contra intentionem concedentis obtinuerunt gratiam. Unde patet quàm cautè abſtinendum ſit ab oblocutionibus adversùs Indulgentiarum diſpenſatores; hi enim moventur fine, qui in ſe ſpectatus eſt gravis ponderis; quamvis plerumque in ſingularibus deficiat.

Aliud afferri poteſt exemplum Indulgentiarum, quæ conceduntur certa die accedentibus religionis gratia, ad ſacram aliquam ædem. Ejusmodi cauſa reſpectu multorum videtur admodum levis: ſed abſolutè, & juxta intentionem diſpenſatoris ſpectata, eſt magni momenti; multùm quippe conferre poteſt *ut Fidelium augeatur devotio,*

*fides*

*fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementiùs incalescat:* ut loquitur Clemens VI. suprà laudatus.

Q. 3. *Quænam est causa efficiens Indulgentiarum?* Certum est Christum Dominum esse causam principem. De ministeriali duntaxat potest esse quæstio.

R. Jure ordinario & divino soli Episcopi sunt Indulgentiarum dispensatores.

Probatur 1. ex sæpiùs laudatis Christi verbis Matth. 18. *Quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo.* Ex quibus suprà collegimus potestatem concedendi Indulgentias; verba enim illa ad solos Apostolos, & eorum successores Episcopos diriguntur.

Probatur 2. ex Traditione; nam Sancti Patres & Concilia hanc potestatem agnoscunt in solis Episcopis.

Sanctus Cyprianus epistola 9. scribit hactenùs inauditum Presbyteros ad preces Martyrum Indulgentias pœnitentibus concedere; *quod enim*, inquit, *non periculum metuere debemus de offensa Dei, cùm aliqui de Presbyteris, nec Evangelii, nec loci sui memores, sed neque futurum Dei judicium, neque nunc sibi præpositum Episcopum cogitantes, quòd nunquam omninò sub antecessoribus factum est, cum contumelia & contemptum totum sibi vendicant?* Concilium Ancyranum canone 5. ubi agit de Indulgentiis, sic decernit; *Episcopum hanc habere licentiam oportet*, Concilium quoque Nicænum can. 12. *postmodum*, inquit, *licebit Episcopo de his aliquid humaniùs decernere.* Et Martinus V. Constitutione in Concilio Constantiensi edita, vult suspectos de hæresi Wiclefiana interrogari, utrùm credant Papam omnibus Christianis; & singulos Episcopos suis subditis concedere

dere posse Indulgentias in remissionem peccatorum.

Probatur 3. ratione, quam suppeditat S. Thomas; quia ille solus distribuere potest bona Communitatis, qui Communitati præest, & habet forum externum, in quo jurisdictionem exerceat: atqui soli Episcopi præsunt Ecclesiæ, soli habent forum externum, & jurisdictionem exteriorem, ad quam pertinet potestas largiendi Indulgentias, ut scribit Alexander III. ad Episcopum Cantuariensem, cap. *Quòd autem*, tit de pœnit. & remiss. *Quòd autem consuluisti*, inquit, *utrum remissiones . . . . aliis prosint, quàm iis, qui remittentibus subsunt: hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quod cum à non suo Judice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse illis tantummodo arbitramur, quibus ut prosint, proprii judices specialiter indulserunt.*

Ergo summus Pontifex omnibus Christianis, Episcopus verò suis duntaxat Diœcesanis, sive ipse, sive illi à Diœcesi absentes sint, Indulgentias concedere possunt.

Dices: Ex cap. *Nostro*, tit. de pœnit. & remiss. Archiepiscopus dare potest Indulgentias pro omnibus Diœcesibus suæ Provinciæ. *Nostro*, inquit summus Pontifex, *postulasti certificari responso, utrùm per tuam Provinciam possis concedere remissionis Literas generales. Nos igitur tuæ Fraternitati breviter respondemus, quòd per Provinciam tuam liberè potes concedere hujusmodi Literas, ita tamen quòd statutum generalis Concilii non excedas*: atqui Archiepiscopus non habet jurisdictionem in Diœceses suorum Suffraganeorum, nisi in cursu visitationis, aut in casu appellationis. Ergo Indulgentiæ dari possunt absque jurisdictione.

Distin-

Distinguo minorem. Non habet jurisdictionem ordinariam extra recensitos casus, Concedo, extraordinariam, & quoad hunc effectum, Nego minorem; citato enim capite illis tribuitur jurisdictio ad concedendas Indulgentias in tota Provincia, etiamsi actu eam non visitent, ut notat Panormitanus.

Dixi in responsione, *jure ordinario & divino*; nam potestas dandi Indulgentias delegari potest Presbyteris, Diaconis, & simplici Clerico, ut patet ex can. 60. Concilii Lateranensis IV. *Præsenti decreto*, inquiunt Patres, *firmiter prohibemus, ne quis Abbatum ad talia se præsumat extendere* (scilicet Indulgentiarum Literas concedere) *nisi fortè quisquam eorum speciali concessione, vel alia legitima causa super hujusmodi valeat se tueri:* ubi Patres agnoscunt Abbates ex concessione, seu delegatione, dare posse Indulgentias. Et ratio est, quia potestas concedendi Indulgentias non est actus ordinis, sed jurisdictionis, quam Clerici, Presbyteris inferiores, possunt habere; vel delegatam, sicut Legati Summi Pontificis; vel ordinariam, sicut electi & nondum consecrati Episcopi. Ita Sanct. Thomas in 4. dist. 20. & in Suppl. qu. 26. art. 2.

Q. 4. *Possuntne Episcopi concedere quaslibet Indulgentias etiam plenarias?*

R. Jure ordinario usi sunt hac potestate, ut patet ex laudatis textibus S. Cypriani, Concilii Ancyrani, & Nicæni; sed in Concilio Lateranensi IV. detractum est de ea potestate, ex eo quòd plures Episcopi ea abuterentur in detrimentum Ecclesiasticæ Disciplinæ; *quia per indiscretas & superfluas Indulgentias*, inquiunt Patres can. 62. *quas*

*quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur; decernimus, ut, cùm dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ab uno solo, sive à pluribus Episcopis consecretur; ac deinde in anniversario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum Literis præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet causis aliquoties conceduntur.* Refertur canon ille tit. de pœnit. & remiss. *Cum ex eo;* quod ita interpretantur Innocent. IV. Sylvester in Summa, verbo, *Indulgentia;* Fagnanus in illud caput, & alii contra Suarem; dist. 55. sect. 3. num. 15. ut limitentur dumtaxat Episcopales Indulgentiæ, quæ publice ac solemni ritu in foro externo conceduntur, non verò quæ in foro pœnitentiæ dispensantur, in quo censent Episcopos plurium dierum & annorum Indulgentias justa de causa largiri posse.

Q. 5. *Quænam est Indulgentiarum forma?*

Constat apud omnes, Indulgentias essentialiter non constare ex verbis tanquam ex forma, quemadmodum Sacramenta novæ legis; sed eas posse concedi solo nutu voluntatis, & ad eas dumtaxat requiri verba, aut aliud signum sensibile, ut innotescat subditis illas concedi. Difficultas solum est, quæ sit earum ratio constitutiva, & causa formalis, an concedantur per modum absolutionis aut solutionis, aut suffragii & impetrationis.

R. Indulgentia pro vivis concessa, est vera absolutio simul & solutio; pro defunctis verò non potest dari nisi per modum suffragii & impetrationis.

Prima

Prima pars probatur, quia Prælatus concedens Indulgentias, exercet actum jurisdictionis, & tanquam Judex, virtute clavium subditos solvit à pœna temporali, ut patet ex laudato cap. *Cùm autem: cùm à non suo Judice ligari nullus valeat vel absolvi*, inquit summus Pontifex, *Indulgentiæ solis illis prosunt, quibus proprii Judices eas indulserunt.* Ergo sicut Sacerdos, dum reatum culpæ remittit in Sacramento Pœnitentiæ, verè absolvit; ita & Prælatus dum pœnas peccatis debitas per Indulgentias relaxat.

Indulgentia est quoque solutio; quia Prælatus virtute clavium applicat satisfactiones Christi fidejussoris nostri, qui pro nobis plenè satisfecit & solvit. *Faciens Indulgentias*, inquit Sanctus Thomas, Supplem. quæst. 25. artic. 1. ad 3. *solvit pœnam quam debuit* (suscipiens) *de bonis Ecclesiæ communibus.* Et in responsione ad secundum: *Qui indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter à debito pœnæ, sed datur sibi, unde debitum solvat*; hoc est non gratis ei remittitur pœna debita; neque eam ex propriis solvit; sed Ecclesia ipsa per applicationem satisfactionum Christi pro illo solvit. Utrum autem satisfactiones Sanctorum, quæ in thesauro Ecclesiæ includuntur, per modum solutionis aut suffragii dumtaxat applicentur, expendimus §. primo, ad quem remittimus Lectorem.

Dices 1. absolutio potest concedi homini invito, excommunicatus v. g. etiam renitens potest absolvi à vinculo excommunicationis: atqui Indulgentia non potest concedi invitis: ergo non est absolutio.

Distinguo majorem. Absolutio potest concedi invito, nempe cùm non requirit dispositio-

nes in eo qui abſolvitur, ut in excommunicato, Concedo: ſemper, Nego majorem; nullus enim invitus abſolvi poteſt in Sacramento Pœnitentiæ.

Dices 2. Abſolutio neceſſario præſupponit cauſæ cognitionem, ſine qua tamen Indulgentiæ conceduntur: ergo Indulgentiæ non dantur per modum abſolutionis.

Diſtinguo antecedens: abſolutio, quæ datur abſolute & abſque conditione, Tranſeat; abſolutio, quæ datur cum conditione, *ſi ſubditus ſit verè contrtius, & opera injuncta impleverit.* Nego antecedens.

Dixi, *tranſeat*, quia Epiſcopus propter bonum commune, & tranquillitatem ſuæ Diœceſeos, poteſt, nulla conditione appoſita, in communi abſolvere à vinculo ſuſpenſionis, quotquot ex Clericis ſibi ſubditis, in eam inciderint: & ita factitatum fuiſſe ſcio in aliqua Diœceſi, in qua plures ex Parochis Catecheſes ſub pœna ſuſpenſionis *ipſo facto* præſcriptas omiſerant.

Secunda pars, quæ eſt de Indulgentia conceſſa pro defunctis, probatur; quia cum Eccleſia in defunctos non habeat juriſdictionem, non poteſt illos abſolvere; ſed Indulgentiæ illis proſunt dumtaxat per modum impetrationis & ſuffragii, ut infra dicetur.

## §. V.

### *De ſubjecto Indulgentiarum.*

Subjectum Indulgentiarum ſunt ii, quibus Indulgentiæ conceduntur. Difficultas autem eſt, quibus concedi poſſint, an vivis tantùm, an etiam defunctis. De defunctis dicemus §. ſequenti.

Cer-

Certum eſt, Indulgentias non poſſe concedi niſi Fidelibus baptizatis; quia Eccleſia in alios non habet juriſdictionem. Circa verò Fideles baptizatos.

Q. 1. *Fideles baptizati culpæ mortalis rei ſuntne capaces Indulgentiæ?*

R. In ſenſu compoſito, hoc eſt, quandiu reatus culpæ in eis remanet, Indulgentiarum non ſunt capaces; quia Indulgentiæ ſunt remiſſio pœnæ temporalis: atqui pœna peccatis debita remitti nequit, quamdiu reatus culpæ non fuerit remiſſus per Sacramentum Pœnitentiæ, quod eſt neceſſarium neceſſitate medii, ſaltem in voto, ad expungendum reatum culpæ lethalis. Hinc ſummi Pontifices non concedunt Indulgentias, niſi contritis & confeſſis.

Dices: plures è ſummis Pontificibus dicunt ſe Indulgentias concedere in remiſſionem peccatorum; & per eas Fideles abſolvere à vinculis peccatorum: ergo Indulgentiæ valent ad remiſſionem peccatorum.

Diſtinguo antec. In remiſſionem peccatorum quoad pœnam temporalem, Concedo; quoad ipſum reatum culpæ, Nego ant. Addo in conceſſione Indulgentiarum aliquando promitti Indulgentiam tum quoad culpam, tum quoad pœnam; ſed mediatè tantùm quoad culpam hoc eſt, mediantibus laborioſis pœnitentiæ laboribus injunctis, & confeſſione ſacramentali, *ſi in vera pœnitentia deceſſerunt;* inquit Urbanus II. in Concilio Claromontano, *& peccatorum Indulgentiam, & fructum æternæ mercedis ſe non dubitent habituros.*

Q. 2. *Status gratiæ requiriturne tanquam conditio neceſſaria ad ritè perficienda opera in Bullis injuncta?*

 R. 1.

R. 1. Saltem requiritur, cùm ultimum opus impletur; quia eo dumtaxat inſtanti Indulgentia ſortitur effectum. Non ſortitur ante, cùm nondum impletæ ſint conditiones; neque poſtea, quia tempus ad conſequendam Indulgentiam determinatum præteriit.

R. 2. Neceſſe non eſt ut ſingula opera in Bullis præſcripta fiant in ſtatu gratiæ, modò impleantur animo verè pœnitenti, & ab affectu peccati lethalis libero.

Probatur ex veteri Eccleſiæ diſciplina, juxta quam Epiſcopus priùs probabat lapſorum pœnitentiam, lacrymas, jejunia, &c. ac tum demum ad preces Martyrum abſolutionem à peccatis ſimul & indulgentiam impertiebat. *Si precem*, inquit S. Cypr. *toto corde faciat, ſi veris pœnitentiæ lamentationibus & lacrymis ingemiſcat: ſi ad veniam delicti ſui Dominum juſtis & continuis operibus inflectat... roganti poteſt clementer ignoſcere, poteſt acceptum referre quidquid pro talibus & petierint Martyres, & fecerint Sacerdotes.* Hujuſmodi diſciplina clariùs cernitur in Concilio Ancyrano & Nicæno ſæpiùs laudatis. Et ratio eſt, quia preces, quæ pro jubilæo funduntur in ſtationibus, jejunia, & eleemoſynæ juvant ad conciliandam Dei amicitiam, & diſponunt ad concipiendam veram contritionem, abſolutionemque cum fructu recipiendam. Cajetanus tamen & Navarrus aliter ſentiunt, & Sanctus Carolus p. 7. Act. Eccl. Med. conſulit, ut ante ſtationes præmittatur confeſſio ſacramentalis, quod non crediderim extendendum ad eos, qui, cùm criminibus ſint implicati, necdum pœnitentiæ operibus Deum ſibi propitium reddere ſtuduerunt.

Q. 3.

Q. 3. *Qui nullius peccati lethalis est conscius, tenetürne sacramentaliter confiteri, ut fructum Indulgentiæ consequatur?*

R. Sacramentalis confessio præscribitur in Bulla vel tanquam pars operum, sub quorum conditione Indulgentiæ conceduntur; vel tanquam medium necessarium, ut quis in statum gratiæ sanctificantis restituatur? Si primum, sacramentalis confessio est necessaria, utpote conditio sine qua Indulgentia non conceditur. Si secundum, necessaria non est. Suarez autem disp. 52. sect. 3. Sylvius & alii existimant per illa verba, quæ vulgo leguntur in Bulla Indulgentiarum, *contritis & confessis;* designari dumtaxat dispositionem necessariam ad restituendum statum gratiæ sanctificantis, adeo ut qui ante tempus Jubilæi fuit rite confessus & absolutus, nec postea relapsus, non teneatur sacramentaliter confiteri ad lucrandam gratiam Jubilæi, sed in praxi recedendum non est à communi usu Fidelium, qui tempore Jubilæi non omittunt sacramentaliter confiteri.

Q. 4. *Qui implent omnia opera à summo Pontifice injuncta, consequunturne plenariam Indulgentiam?*

R. Consequuntur, si tria concurrunt. 1. causa legitima, propter quam Indulgentiæ conceduntur. Sed subditi præsumere debent causam sufficientem, præsertim Jubilæorum, in quibus nulla potest esse obreptio ex parte postulantium cum summus Pontifex Jubilæum non concedat nisi cognita & ponderata causa, eamque gravem judicaverit. 2. proportio operis cum pœna, quæ remittenda est. Proportionem autem voco, non quæ satis sit ex opere operantis ad totum pœnæ reatum expungendum; aliàs locus non esset In-

dulgentiæ; debitor enim qui plenè solvit, nullam à creditore expectat relaxationem. Sed opus dicitur conveniens gratiæ expetitæ, quando operans, quantùm humana infirmitas patitur, ad promerendam tam copiosam remissionem nihil negligit, quod Cajetanus opere de Indulgentiis explicat accommodato exemplo: *In qualibet bene ordinata Republica*, inquit, *quantumcunque rationabilis adesset quandoque causa dispensandi communem thesaurum in cives gravatos ære alieno, negligentes tamen solvere, indigni censerentur adjutorio thesauri; ex eo enim, quòd possunt de suo solvere, & non curant, indignos se reddunt tali sublevamine.* 3. Necessaria est sufficiens dispositio ex parte subjecti, cui Indulgentia conceditur.

Prima conditio, quæ est de necessitate causæ legitimæ & sufficientis ad largiendam Indulgentiam, constat ex dictis §. IV. ubi ejus necessitatem fusè probavimus.

Secunda conditio, quæ est de proportione operis cum Indulgentia plenaria, probatur.

Bonif. VIII Extravag. *Antiquorum*, ait: *unusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas* (Apostolorum) *amplius & devotius frequentabit.* Ergo in mente summi Pontificis, qui non tam devotè opus injunctum perficit, integram Indulgentiam, quam concedit, non consequitur, cùm illo devotior amplius obtineat.

S. Bonaventura in 4. dist. 20. qu. ult. *Ille*, inquit, *qui dat Indulgentias, cùm eas tribuit, considerat causam, pro qua reputat eum dignum tanta gratia, & secundùm quod plus, vel minùs accedunt homines ad illam causam, plus vel minùs participant de Indulgentia.*

S. Tho-

S. Thomas in 4. Sententiarum, & in Supplem. q. 25. art. 2. ad 3. *Quando*, inquit, *datur Indulgentia indeterminate ei*, *qui dat auxilium ad fabricam Ecclesiæ*, *intelligitur tale auxilium*, *quod sit conveniens ei*, *qui auxilium dat*; *& secundum hoc plus vel minus de indulgentia consequitur*, &c. Textum integrum protulimus §. IV.

Innocentius IV. in cap. *Quod autem*, de pœnitentiis, sic scribit; *Licèt generaliter fiat Indulgentia propter laborem*, *propter devotionem*, *& propter pericula*; *tamen unus plus alio habet intra metam à Prælato constitutam*, *secundùm quod plus devotus est*, *vel plus laborat*, *vel majoribus periculis se exponit*.

Tertia conditio, nempe dispositio eorum, quibus Indulgentiæ conceduntur, tria requirit; 1. veram pœnitentiam, & ex toto corde ad Deum conversionem. 2. animum ab omni peccato veniali alienum. 3. intentionem seu propositum efficax faciendi deinceps fructus dignos pœnitentiæ. Triplicem hanc dispositionem necessariam esse agnoscunt omnes Theologi; sed ubi exponendum est qualis debeat esse pœnitentia, quam inter dispositiones ad lucrandas Indulgentias primo loco numeravimus, acriter inter se pugnant; nam circa secundam & tertiam nulla potest esse difficultas, ut patebit ex earum explicatione.

1. Igitur Bellarminus lib. 1. de Indulgentiis cap. 13. Suarez disp. 52. sect. 11. & alii asserunt cum Canonistis, pœnitentiam ad Indulgentias requisitam necessariò non includere propositum satisfaciendi; quia, inquiunt, Indulgentiæ dantur loco satisfactionis; quando enim quis pro debitore solutionem offert, creditor jus non habet exigendi ab eo, ut ex proprio ære solvat: atqui

Ecclesia in nostra hypothesi aperit suum thesaurum, ut pro pœnitentibus ex satisfactionibus Christi solvat: ergo frustrà ab iis requiritur ut de visceribus suis satisfaciant.

Alii contra, ut Cajetanus, Adrianus VI. Dominicus Soto, & Joannes Hesselius, qui ambo adfuerunt Concilio Tridentino, & post Concilium Tridentinum Navarrus Tract. de Jubilæo Estius, Sylvius; & alii recentiores non pauci, quin & plures Episcopi, ut Catalaunensis, Agennensis, Montispessulani, in Catechismis de Indulgentiis, auctoritate sua editis, docent veram non esse pœnitentiam, etiam tempore Jubilæi, nisi includat animum satisfaciendi Deo; nec Indulgentiam esse fomentum negligentiæ, sed supplementum infirmitatis humanæ. *Cum igitur Ecclesia*, inquit Cajetanus cit. opere, *sit à Deo ordinata, æquum non est ut spiritualis dispensatio thesauri negligentes satisfacere pro dignis habeat; hoc enim vere esset enervare satisfactiones pœnitentiales. Non prosunt igitur Indulgentiæ constitutis in gratia negligentibus satisfacere per ipsos, quoniam indigni sunt Indulgentia.* Et Joannes Hesselius 2. par. Catechismi c. 46. *Si plenariam*, inquit, *Indulgentiam acciperet omnis, qui utcunque contritus est & confessus, qui est in statu gratiæ, malè diceret Bonif. VIII. Extravag.* Antiquorum, *quòd unusquisque plus mereretur, & efficacius consequeretur Indulgentias, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentaret. Quare non est putandum, ut quidam docent, quod quicunque Indulgentiarum particeps fuerit, si statim moreretur absque ulla pœna, continuò ad cæli gaudia transiturus sit.* Quam propositionem cum quidam Concionator paucis abhinc annis in Ecclesia Parisiensi protulisset non sine auditorum offensione, ipse

pro

pro ſua modeſtia & pietate eandem propoſitionem in ſequenti concione temperavit, & clarius mentem ſuam expoſuit, agente Eminentiſſimo Archipræſule Noaillio. *Et revera* (pergit idem auctor) *ſi ad hoc ut plenarias Indulgentias homines acciperent, ſufficeret eos eſſe in ſtatu gratiæ, plurimum evacuaretur ſtudium pœnitentiæ & ſatisfactionis; nec vellent homines ullam ſubire pœnitentiam, ſi putarent ſe alioquin plenarias Indulgentias, & totius promeritæ pœnæ condonationem eſſe accepturos.*

Probatur hæc ſententia 1. auctoritate Veterum.

S. Cyprianus locis ſupra laudatis, docet iis non indulgendum, pro quibus intercedebant Martyres, niſi & ipſi ſtuderent laborioſis pœnitentiæ operibus Deum placare, & juſtitiæ divinæ ſatisfacere: *Peto* inquit epiſt. 13. *ut eos, quos ipſi videtis, quos noſtis, quorum pœnitentiam ſatisfactioni proximam conſpicitis, deſignetis nominatim libello, & ſic ad nos fidei ac diſciplinæ congruentes literas dirigatis.*

Gregorius VII. Lincolnienſi Epiſcopo indulgentiam delictorum petenti ea lege conceſſit, ut pœnitentiam pro viribus ageret, *abſolutionem præterea peccatorum tuorum, ſicut rogaſti, tibi mittere dignum duximus, ſi tamen bonis operibus inhærendo, commiſſos exceſſus plangendo quantùm valueris, corporis tui habitaculum Deo mundum templum exhibueris.* In quæ verba Baronius ad annum 1073. num. 71. ſic ſcribit: *ex quibus apparet Sedi Apoſtolicæ Indulgentias illis communicari, qui, quantùm ſuppetunt vires, benè operari non prætermittunt; non autem ignavis, otioſis, ac negligentia torpeſcentibus.*

S. Antoninus 1. p. tit. 10. cap. 3. §. 3. de patronis hujus ſententiæ ſic habet: *nec credunt quòd pro-*

*propter has Indulgentias generales minùs teneatur agere pœnitentiam in hac vita, & hoc dictum ſatis videtur concordare æquitati, ut notat Innocentius.*

Probatur 2. ratione; quia plurimum intereſt inter eum, quem injuriæ alteri illatæ pœnitet propter pœnam; quam certò non effugiet; & eum, qui dolet de ipſa offenſa utpote illata homini bene de ſe merito, & quem impensè diligit. Prior, ubi liberalitate & beneficio amici à pœnæ debito liber fuerit, tranquillo animo conſiſtit, & ad otium facilè ſe ſe convertit; ſublata quippe eſt pœnitentiæ cauſa. Contra vero poſterior, etiamſi debitum ſolutum fuerit ab alio, nihilominus dolore percellitur, nec pœnitentiæ ſuæ finem facit, quod beneficium impensè dilectum injuria affecerit. Atque ut is animus in juſtis ſit continuus, Deus cum remiſſione peccatorum infundit virtutem pœnitentiæ, quæ otioſa non eſt in juſtis, utpote viva & charitate formata. Et ita corruit fundamentum oppoſitæ ſententiæ.

Dices: Hæc ſententia pugnat contra Indulgentiarum efficaciam, detrahitque de illarum virtute: ergo non eſt admittenda.

Nego ant. Quia, ut ratiocinatur Cajetanus loco cit. *nec aliquid adimitur efficaciæ Indulgentiarum, ſicut nihil adimitur efficaciæ Sacramentorum, ex hoc quòd oportet accedentes ad illa eſſe dignè diſpoſitos, ſi fructuoſas ſibi eſſe volunt; ſoli ſiquidem indigni Indulgentia, ab illius fructu juxta hunc dicendi modum excluduntur:* Igitur ſicut Sacramenta eò efficacius operantur quo ſubjecta fuerint melius diſpoſita; ſic & Indulgentiæ.

2. Ad percipiendum integrum fructum Indulgentiæ animus ſuſcipientis liber eſſe debet ab affectu

fectu cujus peccati etiam venialis, alioquin Indulgentiæ partem tantùm consequetur. Ratio est, quia in omnium sententia relaxatio pœnæ peccatis debitæ necessariò supponit culpam remissam, quæ remitti non potest, nisi displiceat, & animus ab ea sit aversus. Hinc reprobi in inferno pœnas peccatorum venialium dabunt æternas; quia flammæ ignis nunquam abstergent maculam ejusmodi peccatorum: ergo quibus religio non est quo minus peccata venialia committant, semper cupidi, elati, prompti ad iram & rixas, nimiùm sui & voluptatum amantes, post Jubilæum multis nominibus debitores manent justitiæ divinæ, experturi inæstimabilem acerbitatem Purgatorii, ut loquitur Guillelmus Parisiensis Tractatu de Sacramento Ordinis Capite 4.

Ex his colligere licet exquisitas requiri dispositiones ad plenariam Indulgentiam, paucissimosque eam integrè consequi.

3. In subjecto Indulgentiarum requiritur intentio & propositum efficax faciendi fructus dignos pœnitentiæ. 1. quia alioquin per Indulgentias enervaretur Ecclesiastica disciplina, & Fideles procliviores ad peccandum redderentur, ut ait Sixtus IV. supra laudatus. 2. quia Clemens VI. Extravag. sæpius laudata, *Unigenitus*, docet Indulgentias concedi, ut cunctorum Fidelium augeatur devotio, fides splendeat, spes vigeat, charitas vehementiùs incalescat. 3. quia in concessione Indulgentiarum summi Pontifices expresse monent Confessarios, ut injungant pœnitentias salutares: atqui pœnitentia salutaris & medicinalis ea est, ex Concilio Tridentino sessione 14. capitulo 8. quæ a peccato revocat, & quasi fræno

quod-

quodam concupiſcentiam coercet, medetur peccatorum reliquiis, vitioſos habitus contrariis virtutum actionibus tollit, ac demum Chriſto conformes reddit. Porro qui in iis ſe exercet procul dubio facit fructus dignos pœnitentiæ. Ergo.

Q. 5. *Eſtne perfectius non uti Indulgentiis abſque earum contémptu, ſed ex deſiderio plenè ſatisfaciendi juſtitiæ divinæ, ac propterea nolle ut fiat ſibi ullæ pœnæ relaxatio?*

R. Perfectio vitæ Chriſtianæ conſiſtit in charitate, quæ ſi ſit in nobis perfecta, ſicut in Apoſtolo, efficiet, ut dicamus, *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* fervidi enim amantis eſt velle conjungi cum objecto amato, nec unquam eliget differri tam optatam unionem; niſi major Dei gloria id requirat. Porrò qui debitor pœnæ in purgatorio luendæ hinc exit, removetur ad tempus ab optatis ſponſi amplexibus, nec ulla inde Deo accreſcit gloria, & nominis exaltatio, aut proximi utilitas, ergo charitas non inclinat ad ejuſmodi ſeparationem, quin (quod hic maximè notandum) animæ in purgatorio detentæ, licèt in iis charitas ſit perfecta & confirmata, expetunt quam citiſſimè ab illo exilio revocari, officioſumque illis eſt, ut agentes in terris ſua ſuffragia ad hoc interponant, proferatque Eccleſia de theſauro ſuo unde diſſolvantur earum debita, propter quæ in acerbo illo carcere detinentur.

## §. VI.

### *De Indulgentiis quæ pro mortuis conceduntur.*

Q. 1. *Indulgentiæ poſſuntne extendi ad animas in purgatorio detentas?*

Ne-

Negant Pseudoreformati, & cæteri Hæretici, qui non credunt existentiam purgatorii, ut Petrobrussiani, Albigenses, Valdenses. Ex Catholicis etiam negarunt XIII. sæculo Ostiensis, lib. 5. de remiss. XV. sæculo Gabriel Biel in canonem Missæ; sed sententiam retractavit, cùm in ejus notitiam venit plures è summis Pontificibus concessisse Indulgentias pro defunctis, & Sixtum IV. damnasse propositionem, qua Petrus Oxomensis negabat Indulgentias prodesse mortuis. Concilium Tridentinum præsentem quæstionem non attigit, satisque visum est Patribus, si generatim definirent extare in Ecclesia potestatem concedendi Indulgentias. Nihilominus

R. Indulgentiæ extendi possunt ad animas in purgatorio detentas. Quamvis hæc propositio non sit formaliter de fide, utpote nondum ab Ecclesia definita; est tamen certa inter Catholicos, & secundum Sylvium, ad fidem pertinens. Probatur ex usu universalis Ecclesiæ; nam ex S. Augustino ep. 54. aliàs 118. si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est: atqui à pluribus sæculis Ecclesia concessit Indulgentias pro defunctis. Idem Gabriel loco citato refert undecim summos Pontifices confirmasse gratiam pro defunctis concessam à Paschali, sive ille sit I. (ut vult Bellarminus) qui sedit anno 817. sive sit II. qui electus est anno 1099. ut opinatur Sanbovius; quorum auctoritate permotus Gabriel lectione 57. in canonem Missæ sic scribit: *Non jam velut opinionem, sed sententiam certam complecti debere existimo*, (nempe Indulgentias prodesse defunctis per modum suffragii) *tum propter pluralitatem Doctorum eam*

*eam asserentium scilicet Alexandri de Hales, S. Bonaventuræ, B. Thomæ, Ægidii, Durandi, Petri de Tarantasia, Richardi de Mediavilla, Thomæ de Argentina, & aliorum plurimorum: tum maxime & principaliter propter determinationem summorum Pontificum priorum & modernorum.* A tempore Gabrielis similem gratiam fecerunt plures Pontifices Maximi, ut Alexander VI. Clemens VII. Julius III. & Gregorius XIII. in Bullis Jubilæi Leo X. in Constitut. contra Lutheri errores, hunc, inter alios, damnavit articulum: *Sex generibus hominum Indulgentiæ nec sunt necessariæ, nec utiles, videlicet mortuis*, &c. Eundem errorem jam proscripserat Sixtus IV. in Petro Oxomensi: Et Joannes Major, qui scribebat XVI. sæculo ineunte, in 4. dist. 20. qu. 2. testatur eundem errorem à sacra Facultate Parisiensi fuisse damnatum, seque interfuisse deliberationi.

Dices 1. Usus non est in Ecclesia admittendus, nisi fundetur vel in Scriptura, vel in traditione: atqui usus Indulgentiarum pro defunctis neque in Scriptura, neque in Traditione fundatur: non in Scriptura; nullus enim proferri potest locus, qui ejusmodi Indulgentiis faveat: neque etiam in Traditione, quæ ab Apostolis descendat; cùm per sex priora sæcula nullum Concilium, nullusque ex Patribus mentionem fecerit de Indulgentiis pro mortuis.

Nego minor. Namque

Usus ille deduci potest ex verbis Christi Domini, *quodcunque solveris super terram*, &c. Licèt enim animæ non sint super terram, delicta tamen, propter quæ puniuntur, commissa sunt in terra; reus autem sortitur forum ubi deliquit. Deinde animæ in purgatorio existentes solvuntur in terra,

extra

extra quam non eſt locus purgatorii. Denique Chriſti verba poſſunt ſic exponi, *quodcunque exiſtens in terra ſolveris*, &c. Unde Alexander de Hales part. 4. quæſt. 83. art. 2. ſic habet; *ex hoc patet, quòd in collatione clavium maxima fuit homini, ſive ſummo Pontifici collata poteſtas, & probabiliter, vel veriſſime præſumitur quòd theſaurus Eccleſiæ eſt in illius poteſtate, & quòd illis, qui ſunt in Purgatorio; quia ratione charitatis, in qua deceſſerunt, ſunt idonei ad Beneficiorum Eccleſiaſticorum ſuſceptionem, poteſt illis beneficia communicare, & ſic poteſt illis facere Indulgentias & relaxationes.*

2. Uſus ille fundatur etiam in Traditione Apoſtolica, juxta quam Eccleſia à I. ſæculo ſua pro defunctis obtulit ſuffragia, ut conſtat ex S. Auguſtino ſerm. 172. aliàs 32. de verbis Apoſtoli, & libro, quem de cura pro mortuis ſcripſit ad S. Paulinum, qui ab ipſo quæſierat, cur Fideles ſint ſoliciti ſepelire corpora propinquorum in Baſilicis Sanctorum: *Adjungis etiam*, inquit, cap. 1. *vacare non poſſe quòd univerſa pro defunctis Eccleſia ſupplicare conſuevit.* Atque ut hanc S. Paulini ſententiam confirmet, ſubjicit: *in Machabæorum libris legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquam in Scripturis veteribus omnino legeretur, non parva eſt univerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, auctoritas; ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.* Tandem cap. 4. ſolvit propoſitam quæſtionem de cura ſepeliendi corpora apud memorias Sanctorum: *Non video*, inquit, *quæ ſunt adjumenta mortuorum niſi ad hoc, ut dum recolunt ubi ſint poſita eorum, quos diligunt, corpora, eiſdem Sanctis illos tanquam patronis ſuſceptos apud Dominum*

*adjuvandos orando commendent.* Quibus verbis S. Doctor declarat Fideles consuevisse rogare pro defunctis Sanctorum suffragia. Si ergo privati mortuos juvare possunt non solum suis precibus, jejuniis, & aliis bonis operibus, sed etiam Sanctorum suffragiis, ac præsertim oblatione Sanguinis Christi, ut fusè probavimus tom. 5. ubi de Purgatorio, Tractatu de Missæ sacrificio cap. 9. quidni idipsum possit Ecclesia, & successor Petri, cui datæ sunt claves regni cœlorum?

Dices 2. Ecclesia non habet jurisdictionem in animas defunctorum; nam ex sancto Leone epistola 91. quòd Sacerdotale ministerium implere non potuit, Deus suæ justitiæ reservavit: ergo Ecclesia Indulgentias pro defunctis largiri nequit.

Concesso anteced. Respondet S. Thomas in 4. dist. 20. & in Supplem. quæst. 71. art. 10. Ecclesiam directe, & primario vivis Indulgentiam concedere, indirecte verò & secundario defunctis, *principaliter quidem prodest ei qui Indulgentiam accipit, scilicet, qui facit hoc, pro quo Indulgentia datur, ut qui visitat limina alicujus Sancti; unde cùm mortui non possint facere aliquid horum, pro quibus Indulgentiæ dantur, eis directè Indulgentiæ valere non possunt. Secundario autem & indirecte prosunt ei, pro quo aliquis facit illud, quod est Indulgentiæ causa . . . . . non enim est aliqua ratio qua Ecclesia transferre possit communia merita (quibus Indulgentiæ innituntur) in vivos, & non in mortuos. Nec tamen sequitur, quòd Prælatus Ecclesiæ possit pro suo arbitrio animas à Purgatorio liberare; quia ad hoc ut Indulgentiæ valeant, requiritur causa conveniens Indulgentias faciendi.* Sola autem pia affectio in defunctorum animas non est causa sufficiens, ut docet Suarez

Di-

Disput. 53. sect. 3. num. 14. sed clarius solvi potest proposita difficultas. Quare

Respondeo distinguendo aliter conseq. Ecclesia Indulgentias pro defunctis largiri nequit per modum absolutionis, Conc. Quia defuncti non sunt subditi clavibus Ecclesiæ: per modum suffragii, Nego conseq. Quia, ut mox dicebat S. Thomas, nulla est ratio cur Ecclesia non æquè offerat pro defunctis ac pro vivis satisfactiones Christi & Sanctorum.

Indulgentiæ ergo aliter pro vivis, aliter pro defunctis dispensantur. Pro vivis dantur per modum absolutionis & solutionis, ut supra demonstravimus: pro defunctis verò per modum suffragii dumtaxat, ut docent communiter Theologi, & hactenus declararunt Summi Pontifices: *Modernus Pontifex Innocentius Octavus*, inquit Gabriel cit. lectione 57. *Indulgentias hujusmodi olim per Pium Secundum, & Sixtum præfatum visitantibus Ecclesiam Santonensem, & fabricæ ejus contribuentibus ad animas in Purgatorio redimendas per modum suffragii, extensas, & ad contribuentes ad sanctam Cruciatam contra Turcas extendit.*

Nec dicas Ecclesiam mortuos aliquando excommunicatione ligare, aliquando verò ab ea solvere; nam ejusmodi excommunicationibus, vel absolutionibus, mortui nec ligantur, nec solvuntur, sed viventes, quibus Ecclesia, vel prohibet ne Sacrificia offerant, & publicas preces fundant pro defunctis, qui deteguntur objisse in Ecclesiam contumaces, ut Wiclefus in Concilio Constantiensi: vel permittit, ut pro defuncto suffragia ferant, cadaver ejus honorificè in loco sacro sepeliant, quando deprehendit excom-

municationem per errorem fuiſſe in eum latam dum viveret, ac proinde Eccleſia in hujuſmodi actionibus non in mortuos, ſed in viventes juriſdictionem exercet.

At, inquies, Summi Pontifices declarant ſe virtute clavium, & ex poteſtate ſibi à Deo conceſſa Indulgentias ad defunctos extendere: Ergo revera eos abſolvunt.

Nego conſeq. Quia ad abſolvendum ſatis non eſt, quòd Summus Pontifex jus habeat diſpenſandi theſaurum Eccleſiæ; ſed inſuper requiritur ut ii, in quorum gratiam theſaurum aperit, ſint illi ſubditi. Reſponſio illuſtratur exemplo Regis, qui ex ærario ſuo deſumit ad ſolvendos captivos, quorum alii in ejus carceribus detinentur, alii in carceribus alterius Principis. In priores juriſdictionem exercet, eoſque auctoritate judiciaria verè abſolvit: poſteriores vero ſuis dumtaxat ſuffragiis juvat apud Principem, ſi fortè oblatam pro iis pecuniam velit accipere, & liberos eos dimittere. Similiter Summus Pontifex pro poteſtate ſibi divinitus conceſſa, theſaurum Eccleſiæ diſpenſat, tam pro vivis, quàm pro defunctis, ſed diverſimodè; nam vivis, utpotè ſibi ſubditis, illum applicat per modum abſolutionis: defunctis verò per modum ſuffragii, quatenus ſatisfactiones Chriſti & omnium Sanctorum offert Deo, qui animas in Purgatorio tanquam in ſuo carcere detinet. Unde Summus Pontifex per Indulgentiam pro vivis proximè & immediatè remittit pœnam tanquam Miniſter Dei, & locum ejus tenens: per Indulgentiam verò pro defunctis non remittit propriè pœnam; ſed offert Deo pretium æquivalens, ut ipſe remittat.

Q. 2. *Si Indulgentiæ plenariæ extendantur ad animam alicujus defuncti, puta ſi pro ea offeratur Sacrificium ad altare privilegiatum, ut vocant, anima impleto opere injuncto, evolatne ſtatim in cœlum?*

R. Certum eſt non evolare, niſi adſint omnes conditiones: 1. Poteſtas in concedente. 2. Cauſa legitima, propter quam conceduntur Indulgentiæ plenariæ. 3. Opera viventibus injuncta debita modo impleta: quarta vulgo additur conditio, quæ ſe tenet ex parte ipſius animæ, & mox explicanda.

Conſtat de poteſtate Summi Pontificis: cùm autem Epiſcopi non concedant ejuſmodi Indulgentias, Theologi colligunt eorum poteſtatem ex uſu Eccleſiæ reſtrictam eſſe ad Indulgentias pro vivis.

Circa cauſam legitimam poteſt eſſe dubium: nam ex Sanct. Thoma citata quæſt. 71. artic. 10. Supplem. Summus Pontifex non poteſt pro arbitrio liberare animas è Purgatorio, ſed ad hoc requiritur cauſa conveniens: *Non ſufficit autem pro cauſa*, inquit Bellarminus libro 1. de Indulg. cap. 14. *utilitas illarum animarum, vel gloria Dei, quæ redundaret ex animarum illarum liberatione. Non ſi iſta ſufficerent, Chriſtus ipſe jam omnes animas liberaſſet. Itaque requiritur cauſa aliqua particularis pertinens ad honorem Dei, & Eccleſiæ utilitatem, ſicut de Indulgentiis pro viventibus diximus; ita ut Summus Pontifex arbitretur gratiorem eſſe Deo rem illam, cujus gratia Indulgentiæ conceduntur, quàm executionem juſtitiæ; quæ exercetur in expiandis animabus Purgatorii.* Porro Indulgentiæ, quæ non ſunt univerſales pro tota Eccleſia, obreptitiè poſſunt obtineri obtentu magnæ utilitatis, quæ revera non eſt; ac proinde

inde ex hac parte dubitari poteſt de effectu Indulgentiæ, ſeu animarum relaxatione.

Major eſt dubitandi ratio circa tertiam conditionem; num ſcilicet, viventes debito modo opera injuncta perfecerint. Si enim ex dictis nullus poteſt eſſe certus ſe conſecutum fructum Indulgentiæ ſibi conceſſæ; quia neſcit an amore, vel odio dignus ſit, & injuncta opera perfecerit ut oportet: longè major eſt dubitandi ratio, an fructus Indulgentiarum ad animas defunctorum pervenerit? cùm ex S. Thoma citato art. 10. ad eas non transferatur, niſi ſecundario & vivis mediantibus, quam ſententiam ſequuntur non ſolùm plures Theologi, ſed & Summi Pontifices, ut obſervat Illuſtriſſimus Remenſis Archipræſul Carolus Mauritius *le Tellier* in ſuo Mandato de Altaribus Privilegiatis, dato die 16. Octobris anno 1694. in quo integrum exhibet Reſcriptum Innocentii XII. qui teſtatur Innocentium X. Alexandrum VII. & Innocentium XI. certas Indulgentias conceſſiſſe Fidelibus utriuſque ſexus verè pœnitentibus & confeſſis, quas poſſent applicare per modum ſuffragii animabus Fidelium, qui ex hac vita deceſſerunt Deo conjuncti vinculis charitatatis. Ex quibus verbis laudatis Archipræſul ſic docet Fideles ſibi ſubditos in præfato Mandato. *Cette grace qui eſt accordée par l'autoritè legitime de l'Egliſe, ne peut etre recue directement que par les Fideles vivans, qui ſont ſoumis à la juriſdiction de Sa Saintetè. C'eſt ce qu'elle declare nettement par ſon Bref, lorſqu'elle dit qu'elle accorde Indulgence pleniere & remiſſion de tous pechez à tous ceux, qui etant veritablement penitens & confeſſez, recevront la Sainte Euchariſtie*, &c. *Ce n'eſt qu'à eux à qui l'indulgence peut etre offerte & promiſe*

*mise directement, s'ils accomplissent les œuvres de justice, qui sont prescrites par ledit Bref.* Ex quibus liquet Indulgentias mortuis non prodesse, nisi ipsi viventes, qui illas ad mortuos transferunt, sint in statu gratiæ, & opera injuncta debito modo impleant.

Quartam conditionem, quæ se tenet ex parte animæ Indulgentiis sublevandæ addit Cajetanus, nempe ut præter statum gratiæ, studuerit dum in terris ageret, satisfacere pro suis peccatis, & juvare mortuos suos suffragiis. Suarez disp. 53. sect. 4. & plures alii Theologi necessariam negant ejusmodi conditionem. Bellarmin. lib. 1. de Indulgentiis c. 14. sententiam Cajetani ut piam agnoscit & utilem, ut viventes ad bona opera excitentur, eam tamen minùs veram, & ab omnibus passim refelli asserit.

Nihilominus non solus Cajetanus, ut volunt Bellarminus & Suarez, docuit animas defunctorum Indulgentiis plus vel minus juvari pro fervore charitatis, & studio satisfaciendi dum in terris agerent; nam ipse Sanct. Thomas ita sensisse videtur 3. part. qu. 52. art 8. ubi negat Christum suo descensu ad inferos omnes animas à Purgatorio liberasse; & ad auctoritatem S. Augustini, qui epist. 154. aliàs 99. videtur contrarium asserere his verbis: *Nulla causa occurrit, cur ille credatur venisse Salvator, nisi ut ab eisdem doloribus salvos faceret*, sic respondet Angelicus Doctor, *dicendum quod ex illa auctoritate Augustini non potest concludi, quòd omnes illi, qui in Purgatorio erant, fuerint à Purgatorio liberati, sed quòd aliquibus eorum fuerit hoc beneficium collatum: illis scilicet, qui jam sufficienter purgati erant, vel etiam qui dum adhuc viverent, meruerunt*

*per fidem & devotionem ad mortem Christi, ut eo descendente liberarentur à temporali Purgatorii pœna.* Eandem doctrinam, quæ est plurium Recentiorum, laudatus Archipræsul Remensis in suo Mandato tradit; asseritque Indulgentias prodesse defunctis, *à proportio du soin qu'ils ont pris pendant leur vi de se rendre dignes de ce secours.* Et in confirmationem hujusce sententiæ abducit illud S. Augustini testimonium, libro de cura pro mortuis cap. 1. *genere vitæ quod gessit quisque per corpus, efficitur, ut prosint, vel non prosint, quæcumque pro illo pie fiunt, cùm reliq.. rit corpus.*

Q. 3. *Si adsint omnes requisitæ conditiones, estne certum quòd anima, ad quam extenditur Indulgentia plenaria, statim liberetur à Purgatorio?*

Respondet Bellarm. citato lib. cap. 14. quæstionem illam esse omnium difficillimam, quamvis enim dubitare non liceat, quin Indulgentiæ utiliter extendantur ad defunctos, iisque plurimum prodesse possint; non constat tamen apud Catholicos, utrum statim solvantur ab omni pœna. Plures affirmant, plures etiam negant, ut Cajetanus & recentiores non pauci, quibus adstipulatur idem Archipræsul, laudato Mandato: *Quoiqu'il soit vrai que les Fideles qui gagnent les Indulgences, profitent aus ames des Trepassez, dont ils ont en vue de soulager les peines par les œuvres de penitence, qu'ils accomplissent au desir du Bref; il n'est pourtant pas certain, ni par consequent permis d'assurer que par l'Indulgence qu'ils gagnent, & par leurs actiones de penitence & de justice, les armes de Fideles Trepassez solent en particulier entierement delivrees des peines du Purgatoire.* Et infra: *Comme l'Indulgence accordée par Sa Saintete dans cette occasion n'a pas assurement une vertu plus etendue que*

*que le ſacrifice de la Meſſe, quoiqu'il ſoit vrai que l'uſage en eſt très ſalutaire ; il demeure pour conſtat qu'il n'y a aucune certitude du tems fixe & determine, auquel les Indulgences delivrent du Purgatoire les ames des Fideles Trepaſſez par la ſeule application qui leur en eſt faite.* Similia habet Catechiſmus Catalaunenſis.

Ex his, quæ de Indulgentiis in gratiam mortuorum conceſſis diſputata ſunt, intelligunt Clerici quid in Eccleſia certum, quidve ad opiniones Scholæ pertineat. Certum eſt ejuſmodi Indulgentias mortuis eſſe levamina : hanc veritatem teneant, prædicent, & adversùs obtrectatores tueantur. Quomodo autem proſint mortuis, ſobriè ac cautè in hac parte ſe gerant, & ex variis opinionibus circa hancce quæſtionem allatis, ſecuras in praxi eligant; hoc eſt, quæ viventes magis ædificant; mortuis omnium judicio utiliores eſſe poſſunt: tales autem exiſtiment, quas Paſtores gregibus ſuis prædicandas decernunt.

## §. VII.

### *De diviſione Indulgentiarum.*

Q. 1. *Quomodo dividuntur Indulgentiæ?*

R. Dividuntur 1. in eas, quæ conceduntur pro vivis, & eas, quæ extenduntur ad mortuos.

2. In temporarias, quæ dantur ad tempus, v. g. pro una die; & perpetuas.

3. In partiales, quæ ſunt ad relaxandam duntaxat partem pœnæ debitæ ; & plenarias quibus tota pœna remittitur.

4. Plenariæ ſunt duplicis generis; aliæ vocantur ſimpliciter plenariæ; aliæ Jubilæus, vel ad inſtar Jubilæi.

Q. 2. *Quo ſenſu accipiendi ſunt anni, qui in Indulgentia partiali aliquando numerantur uſque ad centum mille, aliquando etiam viginti aut etiam triginta millia?*

R. Quidam opinati ſunt ejuſmodi annorum exaggerationem excogitatam fuiſſe à quæſtuariis, ad facilius emungendas Fidelium pecunias, cùm in litteris Apoſtolicis non legatur tam enormis numerus. Recto tamen ſenſu ejuſmodi numerus quantumcunque enormis intelligi poteſt, nimirum de pœnis canonicis, quas inſignes peccatores exolvere non poſſent, etiam per mille annos, aut per viginti millia annorum; ſi enim pro peccato ſemel commiſſo, puta blaſphemia, ſacrilegio, homicidio, &c. pœna canonica eſt ſeptem vel viginti annorum qui in omnia flagitiorum genera lapſus eſt, eaque per diuturnum tempus, & quàm ſæpiſſimè iteravit, reus eſt pœnæ plurium millium annorum.

Q. 3. *Quid eſt Jubilæus?*

R. Jubilæus, ſecundùm vim nominis Hebraici *Jobal*, idem eſt, ac remiſſio, ſive libertas quia Judæi quolibet anno 50. qui incipiebat die 10. menſis ſeptimi, ſeu Septembris, redibant ad poſſeſſiones ſuas, ſi fortè eas neceſſitate compulſi vendidiſſent à debitis omnibus abſolvebantur, ſervi cum liberis ſuis libertate donabantur; non ſerebant, nec metebant ſponte naſcentia, ut colligitur ex c. 25. Levitici: *Clanges buccina menſe ſeptimo decima die menſis, propitiationis tempore in univerſa terra veſtra, ſanctificabiſque annum quinquageſimum, & vocabis remiſſionem*

*ſionem cunctis habitatoribus terræ tuæ; ipſe enim eſt Jubilæus. Revertetur homo ad poſſeſſionem ſuam..... non ſeretis, neque metetis ſponte in agro naſcentia.....ſi paupertate compulſus vendiderit ſe tibi frater tuus....uſque ad annum Jubilæum operabitur apud te, & poſtea egredietur cum liberis ſuis.*

Clemens VI. anno 1350. ad inſtar Jubilæi legalis annum ſacrum à Bonifacio inſtitutum anno 1300.& deinceps quolibet 100. anno celebrandum, reduxit ad quinquageſimum quemque annum celebri Extravag. *Unigenitus*, in qua ſic habet: *Nos autem attendentes, quòd annus quinquageſimus in Lege Moſaica (quam non venit Dominus ſolvere, ſed ſpiritualiter adimplere) Jubilæus remiſſionis & gaudii, ſacerque dierum numerus, quo lege fit remiſſio, cenſebatur.* Et infrà, *volenteſque quamplurimos hujuſmodi Indulgentiæ fore participes, cùm pauci multorum reſpectu, propter vitæ hominum brevitatem, valeant ad annum centeſimum pervenire, de Fratrum noſtrorum conſilio, prædictam conceſſionem Indulgentiæ ex ſupraſcriptis & aliis juſtis cauſis, ad annum quinquageſimum duximus reducendam.*

Ex auditis tamen Clementis verbis colligere non licet Jubilæum Judæorum inſtitutum fuiſſe in figuram Jubilæi Chriſtianorum, quomodo cæremonia agni Paſchalis v.g. fuit à Deo præcepta in typum Euchariſtiæ; namque figuræ omnes veteris legis implendæ erant in Lege Evangelica: & à Chriſto Domino, qui eſt veritas, revera fuerunt impletæ. Jubilæus autem Chriſtianorum eſt arbitrarius, & lege humana inſtitutus, propterea que nonnunquam mutatus. Urbanus quippe VI. anno 1389. ſtatuit ut annus ſacer ab anno 1390. recurreret trigeſimo tertio quovis anno,

in memoriam 33. annorum, quos vulgo creditur Christus egisse in terris: & Paulus II. anno 1470. Jubilæum reduxit ad vigesimum quintum annum; quam dispositionem confirmavit Sixtus IV. anno 1473. eamque nunc observat Ecclesia.

Annus igitur sacer dicitur Jubilæus, propter analogiam cum Jubilæo legali; illo quippe anno servi peccati redeunt in libertatem filiorum Dei; Debita pœnæ temporalis relaxantur, merita bonis operibus comparata, & per peccatum subsequens extincta, seu, ut loquuntur, mortificata reviviscunt, & ita peccatores ad pristinam possessionem revertentur: vacant quoque Christiani à servilibus peccati operibus, proptereaque annus ille merito sanctus habetur. Quoniam autem Christus prædicavit captivis Indulgentiam, & annum acceptabilem, ut prædixerat Isaias cap. 61. Clemens VI. & cæteri deinceps Summi Pontifices statuerunt; ut sacer ille annus inciperet à primis vesperis Nativitatis Domini ad primas ejusdem Festi vesperas anni proximè secuturi; cautumque est sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ, ne ullæ aliæ Indulgentiæ prædicentur per totum illum annum.

Dantur aliæ Indulgentiæ ad instar Jubilæi, quoties recens Pontifex Maximus inauguratur, & quando Ecclesia magnis calamitatibus premitur. Dicuntur autem illæ Indulgentiæ adinstar Jubilæi; quia iisdem gaudent privilegiis, quibus Jubilæus.

Q. 4. *In quo differt Jubilæus ab Indulgentia, quæ simpliciter dicitur plenaria?*

R. Differt tantum in quibusdam privilegiis, quæ non comitantur Indulgentiam plenariam: in

præ.

præcipuo autem effectu, qui est integra pœnæ debitæ remissio, prorsus conveniunt: utraque enim Indulgentia totam pœnam remittit.

Q. 5. *Quæ sunt Jubilæi privilegia?*

R. 1. Conditiones ad effectum Indulgentiarum requisitæ multo magis elucent in Jubilæo: namque 1. causa propter quam datur Jubilæus, est longè gravior, utpote totam spectans Ecclesiam; nec in ea potest esse subreptio, sicut in Indulgentiis privatis. 2. Ad Jubilæum meliùs disponuntur Fideles, tum propter plura, & majora opera, quæ injunguntur: tum propter communia Christianorum vota, qui veluti junctis viribus vim cœlo inferunt. Quàm autem vis illa Deo sit grata, & efficax ad flectendam ejus misericordiam, nemo est, qui non intelligat.

R. 2. In Indulgentiis, quæ sunt ad instar Jubilæi. 1. Liberum est cuique eligere quem maluerit ex approbatis ab Episcopo Confessarium. 2. Quivis Confessarius ab Episcopo approbatus potest absolvere ab omnibus peccatis & censuris, etiam reservatis, sive Episcopo, sive summo Pontifici; & commutare vota, vel in iis dispensare (exceptis votis Religionis & castitatis perpetuæ) modò tamen sit causa sufficiens, juxta regulas traditas ubi de dispensatione voti; Tract. de Religionis.

Quæ verò observanda sunt tempore Jubilæi, quomodo Confessarii possunt commutare opera injuncta, si fortè pœnitentes præ infirmitate ea perficere nequeant; aut quid observandum, si differenda sit absolutio, ne pœnitentes dilati frustrentur Jubilæi beneficio, superfluè hic exponeremus, cùm isthæc sigillatim in Bullis exprimantur.

Q. 6.

Q. 6. *Moniales beneficio Jubilæi possuntne confiteri cuilibet Sacerdoti ab Episcopo approbato?*

R. Possunt cuilibet ex approbatis ad confessiones Monialium excipiendas, non aliis: quia respectu illarum non sunt approbati. Idem dicendum de Sacerdotibus alterius Diœceseos; quia approbatus in una Diœcesi, non est hoc ipso approbatus in altera; sed indiget approbatione expressa, vel tacita Episcopi, qui est Ordinarius pœnitentis, ut illum valide absolvat.

Aliæ difficultates circa casus reservatos occurrunt occasione Jubilæi, sed iis fecimus satis supra, ubi de casibus reservatis.

# CAPUT XI.

## *De Forma Sacramenti Pœnitentiæ.*

Diximus cap. 1. §. 4. formam hujusce Sacramenti esse absolutionem, seu sententiam, qua Sacerdos, tanquam Judex à Christo institutus, peccatorem confessum, contritum, & satisfacere paratum, solvit à vinculis peccatorum. Quæ sit autem hujusce sententiæ vis & efficacia, demonstravimus cap. 3. Superest nunc ut exponamus 1. quibus verbis absolutio exprimi debeat. 2. Quibus personis sit impertienda, vel deneganda, vel differenda. 3. Nonnullis difficultatibus satisfaciamus.

### §. I.

### *Quibus verbis constat absolutio.*

R. Constat his verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Pro-

Probatur 1. tum ex Decreto Eugenii IV. tum ex Concilio Tridentino seff. 14. cap. 3. in quo sic legitur : *Docet præterea sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse :* Ego te absolvo, *&c. quibus quidem de Ecclesiæ sanctæ more preces quædam laudabiliter adjunguntur : ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti administrationem sunt necessariæ.*

Probatur 2. ratione, & auctoritate S. Thomæ, 3. part. quæst. 84. art. 3. & Catechismi Romani 2. part. §. 19. de Sacramento Pœnitentiæ. Forma Sacramenti novæ legis, inquiunt, debet significare quod in Sacramento geritur, ut in Baptismo, *Ego te baptizo*, absolutionem ; in Eucharistia, *hoc est Corpus meum*, transubstantiationem; atqui laudata verba, *ego te absolvo*, significant effectum Sacramenti Pœnitentiæ, scilicet, remissionem peccatorum, quæ sunt vincula, quibus animæ constrictæ tenentur, juxta illud Prov. 5. *funibus peccatorum suorum quisque constringitur.*

Q. 2. *Valeretne forma bis verbis expressa*, ego remitto, *vel*, condono tibi peccata tua in nomine, *&c.*

R. Valeret; colligitur enim ex Evangelio : Joannis 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Sed sine peccato usurpari non posset, quia in Sacramentis administrandis servandus est ritus ab Ecclesia præscriptus; & quidem ex Christi verbis, Matth. 18. *quæcunque solveritis super terram*, &c.

Q. 3. *Singula verba formæ laudatæ suntne de essentia & necessitate Sacramenti?*

R. Quamvis singula sint ex præcepto exprimenda, ad veritatem tamen Sacramenti duo ista suffi-

ſufficiunt, *te abſolvo*; quia effectum Sacramenti ſatis exprimunt.

Dices 1. per verba illa, *abſolvo te*, æquè ſignificari poteſt abſolutio à cenſuris, ac abſolutio à peccatis: ergo per illa ſatis non exprimitur effectus Sacramenti, niſi eorum ſenſus determinetur per ſequentes voces, *à peccatis tuis.*

Diſtinguo antec. Significari poteſt abſolutio à cenſuris in quibuſdam circumſtantiis, in quibus nempe pœnitens jam à peccatis ſacramentaliter abſolutus confiteretur Superiori ſe ligatum eſſe ſuſpenſione, Conc. Superior enim in hac hypotheſi dicendo, *te abſolvo*, ſignificaret ſe ſolvere duntaxat ſuſpenſionis vinculum: in circumſtantiis, in quibus pœnitens reum ſe peccati cum dolore accuſat, Nego antecedens: In iis enim circumſtantiis verba illa, *te abſolvo*, determinatè ſignificant remiſſionem peccatorum; ſic in Baptiſmo, quamvis, *te baptizo*, ex hominum inſtituto ſignificare poſſit ablutionem corporis, tamen ex Chriſti inſtitutione, & ex circumſtantiis, in quibus verba illa proferuntur, ad ablutionem animæ ſignificandam determinatur.

Dices 2. Forma Baptiſmi eſſet irrita, & prorſus nulla, omiſſis his particulis, *in nomine Patris*, &c. ergo & forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Nego conſeq. & paritatem. Diſparitas eſt, quòd Chriſtus ipſe juſſerit baptizandum *in nomine Patris*, &c. & ita verba ejus ſemper interpretata eſt Eccleſia: at neque ex Scriptura, neque ex Traditione Eccleſiæ habemus in forma abſolutionis neceſſariò exprimendum eſſe myſterium Trinitatis. Addi poteſt ratio convenientiæ, ut ajunt; nempe, quod Baptiſmus, non verò Pœnitentia,

nitentia, sit solemnis professio Religionis Christianæ, cujus sanctissima Trinitas primarium est mysterium.

Q. 4. *Præter laudata verba,* te absolvo, *cetera suntne consentaneè addita?*

R. Affirmativè; namque 1. pronomen, *ego*, auctoritatem quandam sonat, quæ competit Judici sententiam proferenti. 2. Per has voces, *à peccatis tuis*, clariùs exprimitur effectus Sacramenti. 3. Sacerdos, dum addit, *in nomine Patris*, &c. significat Dei virtute, & auctoritate ministeriali dumtaxat se peccata absolvere. Unde sanctus Augustinus serm. 99. aliàs homilia 23. *Ut evidentius*, inquit, *ostenderet Dominus à Spiritu Sancto, quem donavit fidelibus suis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco sic ait resurgens à mortuis:* Accipite Spiritum Sanctum, *& continuò subjecit,* si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei: *hoc est, Spiritus dimittit, non vos: Spiritus autem Deus est: Deus ergo dimittit, non vos. Sed ad Spiritum quid estis vos?* Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis? *Deus ergo habitat in templo sancto suo, hoc est, in sanctis suis fidelibus in Ecclesia sua: per eos dimittit peccata: quia viva templa sunt. Sed qui dimittit per hominem, potest dimittere & præter hominem.* Propterea, inquiunt Patres Tridentini, de Ecclesiæ more preces laudabiter adjunguntur, quibus Sacerdos testatur inane suum fore ministerium, nisi Deus votis ejus annuens, & peccatoris pœnitentia placatus, invisibiliter operetur; quod egregiè explicat Alexander de Hales 4. parte Summæ quæst. 21. his verbis: *Sacerdos per potestatem clavis mediator est Dei ad hominem, & hominis ad Deum. Unde per ipsum*

*peccator ascendit ad Deum, & sic est Sacerdos os peccatoris, sive loquens de peccatore: & per ipsum descendit Deus ad hominem, & sic est Sacerdos os Dei. Secundùm quod ascendit, habet se per modum inferioris & supplicantis; secundùm quod descendit, per modum superioris & judicantis. Secundum primum modum potest gratiam impetrare, & ad hoc est idoneus: secundum alterum modum, potest Ecclesiæ reconciliare; & ideo in signum ejus præmittitur in forma absolutionis oratio per modum deprecativum, & subjungitur absolutio per modum indicativum.*

Q. 5. *Quis est verborum illorum sensus*, ego te absolvo?

R. In mente Sancti Thomæ, cit. articulo 3. quæst. 1. ad 5. significant, *ego Sacramentum absolutionis tibi impendo:* juxta alios verò Theologos, *do tibi, quantum in me est, gratiam reconciliativam seu peccatorum remissivam:* sicque utrolibet sensu vera est forma, etiam respectu illius, qui priùs Deo reconciliatus per absolutionem, iterum peccata clavibus subjicit: tum quia, ut supra diximus, ille recipit gratiam peccati remissivam: tum quia amplius cum Deo reconciliatur, & crescit in ejus amicitia: tum quia ipsi remittitur aliquid pœnæ temporalis.

Q. 6. *Absolutio debetne exprimi verbis absolutis & indicativis, aut deprecativis?*

R. 1. Certum est ratam esse verbis indicativis; namque 1. sanctus Thomas opusculo 22. capite 11. quendam contrarium asserentem, ex eo quòd nullus Veterum ea usus fuerit erroris insimulat: *Miror*, inquit, *qua temeritate aliquis asserat esse solutum, quem habens claves non significat se solvere, sed solùm rogat esse solvendum.* 2. Quia Patres Triden-

dentini citato capite 3. disertè affirmant Sacramenti Pœnitentiæ formam in hisce verbis esse positam, *ego te absolvo*, nec ad eam pertinere preces, quas adjungit Sacerdos.

R. 2. Circa formam deprecatoriam dissentiunt Theologi.

S. Thomas laudato opusculo 22. quem ejus Schola sequitur, absolute negat, validam esse formam deprecatoriam; contenditque eam in Ecclesia nunquam fuisse in usu.

Alia sententia in Scholis evasit communis, nempe formam deprecatoriam ratam & licitam fuisse usque ad initium XII. sæculi in Ecclesia Latina, atque etiamnunc in Græca: à XIII. autem sæculo indicativam ita obtinuisse in Ecclesia Latina, ut forma deprecatoria jam foret nulla. Tres hujus sententiæ sunt partes.

Prima pars probatur 1. ex sanctis Patribus, qui communiter docent peccatores absolvi orationibus Ecclesiæ. S. Augustinus lib. 3. de Baptismo: *Manus impositio*, inquit, *sicut Baptismus, repeti non potest; quid est enim aliud, nisi oratio super hominem?* Et S. Leo Epist. 83. aliàs 91. scribit Deum sic præsidia suæ bonitatis ordinasse, *ut Indulgentia Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri.*

Respondent Thomistæ solemne esse Patribus, ut orationis nomen tribuant formis Sacramentorum, etiam Baptismi, & Eucharistiæ; quia licèt sint indicativæ, precibus solent admisceri. Sed ista solutio evanescet argumento seq. Itaque

Probatur 2. ex omnibus Græcorum Euchologiis, ex Sacramentario sancti Gregorii, Ordine Romano, libro Alcuini de divinis Officiis, &

omnibus Latinorum Ritualibus libris, in quibus ritus Sacramentorum accuratè deſcribuntur: atqui in ejuſmodi libris forma Sacramenti Pœnitentiæ ſemper deprecatoria legitur; cùm aliæ formæ, verbi gratia, Baptiſmi & Euchariſtiæ referantur verbis abſolutis & indicativis: ergo forma Sacramenti Pœnitentiæ eſt formaliter oratio, & non interpretative dumtaxat, ex adjunctis precibus; ſicut forma Baptiſmi & Euchariſtiæ.

Reſpondent Thomiſtæ, Veteres in ſuis libris reticuiſſe verba, quibus Sacramenta perficiuntur, ne myſteria noſtra in profanorum notitiam venirent: *Verba dicere non poſſum*, inquit Innocentius I. de forma Confirmationis, epiſt. ad Docentium, *ne magis prodere videar, quàm ad conſulationem reſpondere.*

Contra: hæc cautio neceſſaria fuerit prioribus ſæculis, quibus Chriſtiani inter Idololatras verſabantur, ſaltem locum non habuit ſeptimo ſæculo & ſeqq. Deinde nulla eſt ratio cur in laudatis Euchologiis & Sacramentariis, ſeu ritualibus libris referantur abſque ullo ſcrupulo formæ aliorum Sacramentorum, omittatur vero forma Sacramenti Pœnitentiæ.

Secunda pars, nempe formam deprecatoriam etiamnunc in Eccleſia Græca eſſe validam & licitam, probatur 1. quia cùm Latini ignorare non potuerint eam apud Græcos eſſe in uſu, ea tamen de re in Concilio Lugdunenſi II. & in Florentino nullatenus conqueſti ſunt, aut quæſtionem moverunt. 2. Clemens VIII. in Inſtructione, quam anno 1595. edidit ſuper ritibus Græcorum, quos in Collegio Romano ſuis ſumptibus alebat, permiſit ipſis uſum formæ deprecatoriæ, ea tamen

men

men conditione, ut ſi caſu neceſſitatis Catholicos Latinos abſolvant, forma indicativa utantur. Verba illius ſunt: *In caſu neceſſitatis Presbyteri Græci Catholici poſſunt Latinos abſolvere. Utantur forma abſolutionis in generali Concilio Florentino præſcripta, & poſtea, ſi voluerint, dicant orationem illam deprecativam, quam pro forma ejuſmodi abſolutionis dicere tantùm conſueverunt.*

Dices: Forma Sacramenti Pœnitentiæ debet proferri per modum ſententiæ; eſt enim actus judicialis: atqui oratio non profertur per modum ſententiæ, cùm ſit actus ſupplicis, non Judicis: ergo forma Sacramenti Pœnitentiæ non poteſt eſſe oratio.

Diſtinguo minor. Oratio non profertur per modum ſententiæ, quando Judex agit proprio nomine & auctoritate, Conc. Quando agit nomine Superioris, & tanquam cauſa inſtrumentalis, Nego min. Cum enim orat cauſam principem ut abſolvat confeſſum & pœnitentem, ſatis indicat judicare ſe eum abſolvendum.

Confirmatur reſponſio. Abſolutio ab excommunicatione eſt actus judicialis: atqui in omnium Theologorum ſententia poteſt proferri verbis deprecatoriis: *Alia ratio eſt*, inquit S. Thomas cit. opuſculo 22. *de abſolutione ab excommunicatione, quæ non eſt ſacramentalis, ſed magis judiciaria juriſdictionem conſequens; illa enim verba efficaciam habent ab intentione dicentis: unde non refert quibuſcunque verbis utatur ad exprimendam ſuam intentionem.*

Tertia pars, nempe formam deprecatoriam hodie non valere in Eccleſia Latina, probatur 1. auctoritate Theologorum Pariſienſium, qui à quingentis circiter annis ita cenſuerunt, ut refert

Sanct. Thomas laudato opusc. 22. ubi refellens adversarium, qui pro forma deprecatoria opponebat auctoritatem Thologorum duodecimi sæculi sic habet: *Inducit quoque sic sensisse quosdam antiquos & famosos Magistros; scilicet Magistrum Guillelmum de Altissiodore, & Magistrum Guillelmum quondam Parisiensem Episcopum, & Dominum Huganem quondam Cardinalem, de quibus quod ita senserint non constat. Sed etsi sic senserunt........ nunquid si nunc viverent, præjudicare possent communi sententiæ Magistrorum Parisiis regentium, qui contra sentiunt, decernentes absque his verbis*, ego te absolvo, *absolutionem non esse per solam deprecativam orationem?* 2. Franciscus Maironis decimo quarto ineunte sæculo scribens in 4. asserit dist. 14. quæst. 1. ad 3. quosdam in Provincia uti solidos esse forma deprecativa: *Sed*, inquit, *improbata fuit ista forma.* 3. Eugenius Quartus in suo Decreto non tradit aliam formam, quam indicativam. 4. Concilium Tridentinum sess. 14. cap. 3. disertè docet formam Sacramenti Pœnitentiæ positam esse in illis verbis, *ego te absolvo*, & adjunctas preces nequaquam pertinere ad ipsius essentiam, neque ad Sacramenti administrationem.

Dices: Ecclesia nihil mutare potest circa substantiam Sacramentorum, ex dictis cap. 7. de Sacramentis in genere: ergo non potuit efficere, ut forma deprecativa, quæ obtinut ubique usque ad duodecimum sæculum, & etiamnunc valet apud Græcos, sit hodie nulla & irrita apud Latinos.

Nego conseq. 1. Quia ex dictis citat. cap. 7. Christus non determinavit omnium Sacramentorum formas, sicut materias; sed plerasque Ecclesiæ reliquit determinandas. 2. Quia in quibusdam

busdam Sacramentis, puta Matrimonii, & Pœnitentiæ, est aliquid morale dependens à lege humana: in Matrimonio quidem contractus civilis; & in Pœnitentia actus judicialis: ad contractum autem & actum judicialem requiruntur quædam solemnitates & conditiones ab Ecclesia apponendæ, sine quibus non erunt validi. Christus igitur pro materia Sacramenti Matrimonii instituit contractum validum, & pro forma Sacramenti Pœnitentiæ actum judicialem, & juridicè exercendum: conditiones autem tum contractus, tum actus judicialis, permisit determinandas per legem humanam. Hinc est, quòd contractus clandestinus, qui ante Concilium Tridentinum erat validus, ac proinde idonea materia Sacramenti Matrimonii, per idem Concilium factus sit irritus, & consequenter insufficiens materia Sacramenti, quemadmodum aqua naturalis substantialiter corrupta desinit esse materia Baptismi. Similiter ex dispositione Ecclesiæ absolutio validè, & juridicè proferri non potest, cùm antea posset, verbis deprecativis, aut à Sacerdote per Episcopum non approbato, nisi curam animarum habet.

## §. II.

## *De iis, quibus concedenda, vel deneganda est absolutio.*

Q. I. *Sacerdotes acceperuntne à Deo potestatem tum concedendi, tum denegandi, seu differendi absolutionem?*

R. De fide est accepisse; ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. 14. can. 15. in quo sic habet: *Si quis dixerit claves Ecclesiæ esse datas tan-*

*tùm ab absolvendum, non etiam ad ligandum .... anathema sit.*

Probatur 1. ex Scriptura, ubi Christus utramque potestatem Apostolis simul concessit, Matth. 18 *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo: & quæcunque solveritis*, &c. Joan. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.*

Probatur 2. ex constanti Traditione, cujus testes sunt antiqui Patres, & Concilia à nobis laudata, ubi de necessitate satisfactionis, & de Pœnitentia publica. Quin ex S. Hieronymo in cap. 16. Matth. explicita peccatorum confessio eò tendit, ut Sacerdos, *cùm audierit peccatorum varietates*, sciat, *quis ligandus sit, quisve solvendus.* Unde egregium sæculi decimi sexti lumen S. Thomas à Villa nova, Caroli V. à concionibus, & ad Archiepiscopatum Valentinum renitens, sed miraculo quodam assumptus, Confessarios, qui indiscriminatim absolvunt, his gravissimis verbis insectatur sermone quem habuit feria sexta post Dominicam quartam Quadragesimæ: *ò Medice, cur fœtentem solvis? cur indigno veniam promittis? cur, cui absolutionis beneficium exhibeas, non discernis? duas tibi claves Dominus dedit, unam discernendi, alteram judicandi; absolvendi, scilicet, & ligandi; & tu sine discretionis examine neminem ligas, omnes absolvis; una tantùm clave, neque integra quidem uteris.* Ergo non sine manifesta hæresi contumaciter assereretur nunquam denegandam esse absolutionem.

Q. 2. *Tenenturne Sacerdotes uti aliquando potestate ligandi, seu denegandi, aut differendi absolutionem?*

R. Certum est aliquando teneri, sequiturque necessariò ex præcedenti responsione; non enim Chri-

Christus frustra eis concessit hanc potestatem, sed ut ea utantur quoties opus fuerit. Quare meritò Clerus Gallicanus anno 1700. erroneam declaravit hancce propositionem, olim ab Innocentio XI. & ab Academia Lovaniensi damnatam : *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est deneganda, nec differenda absolutio, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.* Judicium autem illustrissimi Conventus tale fuit: *Hæc propositio est erronea, & ad finalem impœnitentiam inducens;* Namque propositio erronea dicitur, quæ pugnat contra conclusionem clarè, & necessariò elicitam ex propositione fidei; atqui ejusmodi est damnata illa propositio : Ergo.

Q. 3. *Estne grave peccatum confessos indiscriminatim & sine delectu absolvere?*

R. Affirmativè; namque per infidam illam administrationem gravis injuria infertur Deo, Ecclesiæ, & ipsismet pœnitentibus.

Ac 1. quidem infidus Confessarius reus est apud Deum violati Sacramenti : atqui profanatio Sacramentorum, ex S. Thoma 2. 2. qu. 99. art. 3. ex peccatis sacrilegii gravissimum. Liceat ergo nobis hìc cum sancto Thoma à Villa nova citato sermone usurpare verba Prophetæ, *in domo Dei horrendum vidi*, nempe ipsosmet mysteriorum Dei dispensatores, sanctum dare canibus, sanguinem novi testamenti pollutum ducere, & tradere in manus peccatorum, eo sanè Juda pejores, quòd ille facti pœnitens dixerit, *peccavi tradens sanguinem justum;* illi contra in hoc arbitrentur obsequium se præstare Deo, post ejusmodi prævaricationes ad altare accedant intrepidi,

quasi gens, quæ fecerit justitiam; audeantque convitiis lacessere, qui eos non fuerint imitati. Sed *in Evangelio legimus esse prædictum*, inquit S. Cyprianus epist. 55. *magis domesticos inimicos futuros .... neque nobis ignominia est pati à fratribus, quod passus est Christus, nec illis gloria est facere quod fecerit Judas.*

2. Ejusmodi Confessariorum prævaricatio est Ecclesia adeo noxia, ut idem sanctus Thomas à Villa-nova cit. serm. asserere non dubitet inde scaturire omnia vitia, quæ agrum Domini invadunt. *Quid*, inquit, *Ecclesiam Domini hodie perdit, nisi Confessariorum & Pastorum blandiens adulatio, deliniens, demulcensque assentatio? væ miseris! non ægritudinem, sed contritionem ac confusionem peccatorum curant* (hoc est expungunt) *quàm augere debuissent, promittentes pacem, quibus non est pax: & veniam, quibus æterna damnatio parata est. Parvum est, inquiunt, nimirum humanum est peccare. Quis est homo qui non peccat? facilis est venia .... Confessus es, absolutus es, sufficit tibi ad salutem, vive lætus ..... sic vulnera liniunt, vermem conscientiæ extinquunt, stimulum peccati auferunt, & securos peccatores ad inferna demittunt.* Quin visum est S. Cypriano serm. de lapsis, Ecclesiam minùs passam fuisse à crudelissimis tyrannis, quàm ab infidis illis Confessariis: *emersit*, inquit, *novum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sævierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies.* Et nonnullis interjectis, dicit ejusmodi Sacerdotes id esse in Ecclesia, *quod* (est) *grando frugibus, turbidum sidus arboribus, quod armentis pestilens vastitas, quod navigiis sæva tempestas.* Ne cui autem videantur hæc prolata Rhetorum more, & per quandam exag-

exaggerationem, audiendi ſunt Patres in ſecundo Concilio Lateranenſi, numero mille congregati; cùm enim Concilium illud ſit œcumenicum, dubitare fas non eſt quin verba illius ſint ad pondus ſanctuarii exacta, & Spiritus Sanctus locutus ſit can. 22. in quo ſic habetur: *Sanè quia inter cætera unum eſt quod ſanctam maximè perturbat Eccleſiam, falſa videlicet pœnitentia, Confratres noſtros & Presbyteros admonemus, ne falſis pœnitentiis Laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falſam autem pœnitentiam eſſe conſtat; cùm ſpretis pluribus ne uno ſolo pœnitentia agitur, aut cùm ſic agitur de uno, ut non diſcedatur ab alio . . . . . falſa etiam ſit pœnitentia cùm pœnitens ab officio vel curiali vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet.* Enimverò facilitas illa, qua omnes confeſſi abſolvuntur, modò ore proferant ipſos pœnitere, cupiditatibus habenas laxat, legum divinarum humanarumque repagula ſubvertit, timorem Dei indignantis ac minantis excludit, & peccandi addit fiduciam, quaſi domus Dei ſit ſpelunca latronum, ut Deus ipſe conqueritur Jeremiæ 7. v. 11.

3. Nihil pernicioſum magis ipſiſmet pœnitentibus, quàm inofficioſa illa Confeſſariorum indulgentia: tum quia eorum vulnera non ſanat, ſed operit, & diſſimulando exaſperat: tum quia ſpem vitæ æternæ ipſis adimit, & ad impœnitentiam finalem certiſſimè inducit; qui enim per confeſſionem abſolutum ſe credit, alia remedia non quærit, ſecurus vivit & moritur. Contra verò qui fortioribus Confeſſarii conſiliis monitus eſt de morbi periculo; vel diſciplinæ illius curandum ſe tradit, vel, ſi ſe ſubducat impatiens, ſaltem conſcientiæ ſtimulis exagitatus non quieſcit,

ſed

ſed conſentanea remedia aliquando tandem ſibi quæret: fera enim, ut obſervat S. Aug. etſi non cadat ſub ictu, & ubi vulnerata eſt, manus tamen venatoris non aufugit. Propterea Ezech. 13. *hæc dicit Dominus Deus, væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus . . . . ad capiendas animas; & cùm caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum.* Et *violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas, quæ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, mentientes populo meo credenti mendaciis.* Et Jer. 6. *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, pax, pax, & non erat pax . . . . Quamobrem cadent inter ruentes.* In quæ verba ſic exclamat S. Thomas à Villanova cit. ſerm. *o miſeri animarum non curatores, ſed interfectores; non conſultores, ſed deceptores! quid reſpondebitis Domino pro grege, quem veſtris blanditiis decepiſtis, veſtris conſiliis jugulaſtis?* Quàm autem iſthæc agendi ratio aliena ſit à pia matre Eccleſia teſtatur Clerus Romanus epiſt. quæ eſt 31. inter epiſt. Sanct. Cyprian. *Abſit*, inquit, *ab Eccleſia Romana vigorem ſuum tam profana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis everſa fidei majeſtate diſſolvere, ut . . . . nova per miſericordiam falſam vulnera veteribus tranſgreſſionis vulneribus imprimantur, ut miſeris ad everſionem majorem eripiatur & pœnitentia. Ubi enim Indulgentiæ poterit Medicina proficere, ſi etiam ipſe Medicus intercepta pœnitentia indulgèt periculis, ſi tantummodò operit vulnus, nec ſinit neceſſaria temporis remedia obducere cicatricem? hoc non eſt curare, ſed, ſi dicere verum volumus, occidere.* Simili zelo S. Cyprianus ſer. de lapſis adversùs ejuſmodi infidos Sacerdotes invehitur; *contra Evangelii vigorem*, inquit, *contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam*

*dam largitur incautis communicatio .... Operiuntur morientium vulnera, & plaga lethalis altis & profundis visceribus infixa, dissimulato dolore contegitur ...... non est pax illa, sed bellum, nec Ecclesiæ jungitur, qui ab Evangelio separatur. Quid injuriam beneficium vocant? quid impietatem vocabulo pietatis appellant?* S. Ambr. scribit lib. 2 de pœnit. cap. 9. *Nonnulli*, inquit, *ideo poscunt pœnitentiam, ut statim sibi reddi communionem velint. Hi non tam se solvere cupiunt, quàm Sacerdotem ligare; suam enim conscientiam non exuunt, & Sacerdotis induunt.* Et serm. 4. in Psal. 118. *Citò refricatur vulnus, quod sanatum medicinæ lege non fuerit, imò etiam securiorem curatio sentit profectum. Ideoque si virus in interiora proserpit, medicamenta foris apposita* (Empyricorum more) *non sentit. Exigit ergo medicinæ ratio, ut aut sectione, aut adustione curetur. Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur, frustra medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Ideoque bonus Medicus hujusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum, ut possit medicina proficere. Lege ergo miseretur,* (juxta illud, *Et de lege tua miserere mei*) *qui cum justitia sapientiaque miseretur, ut ea dimittat, quæ scit Jure posse dimitti, ne cum alterius miseretur, seipsum legi faciat obnoxium ..... Consideremus etiam ne ipsum deteriorem faciamus, cujus miseremur injustè; plerumque enim non coercere delinquentes, majoris austeritatis est, quàm si ulciscaris.*

Ex iis planè demonstratur Confessarios, de quibus est sermo, *piè impios, & impie pios*, ut loquitur S. Thomas à Villa-nova cit. ser. graviter peccare, & æternæ damnationis reos constituit. Ne autem Clerici, quibus inservimus, in tantam ruant perniciem, monendi sunt quid imprimis cavere debeant. Itaque

Q. 4.

Q. 4. *Quot timenda sunt Confessariis, ne inducantur in ejusmodi prævaricationem?*

R. Quinque, scilicet inscitia, negligentia, naturalis compassio, timor mundanus, & laxiores opiniones.

Ac 1. quidem nemo nisi expertus crederet quàm multi ex Confessariis ignorant rationes curandi morbos animi, & tritas medicinæ spiritualis regulas. Illud persæpè probant, qui eorum peritiam tentant juxta Concilii Tridentini decretum, in ejusmodi quippe examine si Examinator Pœnitentis personam suscipiat, & per umbratilem confessionem conscientiam à pluribus annis vitiatam, puta per diuturnam inimicitiam, aut injustam rei alienæ detentionem ipsis exhibeat, ut exploret quæ sit eorum agendi ratio in frequentioribus illis casibus; deprehenduntur ne rudiora hujusce spiritualis medicinæ rudimenta tenere, sed in iis ita cæcutire, ut meritò judicentur non solùm inepti ad illam exercendam, sed etiam rei quòd illam tam imperitè hactenus exercuerint; nam cæcus cæco ducatum præstans in peccati foveam cadit cum illo qui ducitur.

Ministerii difficultas negligentia patere solet; cùm enim curare animarum vulnera res sit multæ operæ, Confessarius laboris impatiens, conscientias altius perscrutari refugit, ne latentem morbum detegat, qui negotium ipsi facescat, moramque interponat in Confessione, quàm citissimè concludi expetit; & ita vulnera palpat, eaque per absolutionem magis tegit, quàm sanet.

3. Præter commiserationem, quæ ex charitate efflorescit, & supernaturali conditur sapientia, Confessario apprimè necessariam, est alia naturalis,

lis, veriùs dicam animalis commiſeratio, quam caro gignit, & ipſa in Confeſſario maximè noxia, utpote quæ nervos omnes mentis & corporis frangat; qui enim hujuſmodi affectione ducitur, mollis eſt, &, ut ait Tullius, parum vir, hoc eſt, imbecillis animi, quem ratio non regit, ſed ſenſus; & ideo neceſſarium dolorem cuiquam inferri non ſuſtinet, quin commoventur ejus viſcera, ſi vel avicula ſub oculis ejus occidatur, & quodammodo deliquium patitur, ubi ſecundùm artis leges ſectio aut aduſtio eſt adhibenda. Quis autem pronuntiare dubitaverit hominem ſic affectum ad curandos tam corporis quàm animi morbos minimè idoneum? Vix enim vim ſibi inferet, ut vulnus aperiat, putredines amputet, ne æger vociferetur & conqueratur per dolorem impatiens; ſicque Pœnitentes, qui ejus fidei ſe committunt, ſub blando miſericordiæ tit. decipit, *hoc enim non eſt curare, ſed, ſi verum dicere, volumus perimere*, ut ſcribit Clerus Romanus ad Sanct. Cyprianum.

4. Nihil potentius ad frangendum animum Confeſſarii, quàm timor mundanus: nec graviorem hucuſque in miniſterio Sacerdotali expertus ſum tentationem, quàm cùm nonnulla occurrunt improbanda & reſecanda, utpote legi divinæ diſſentanea, quæ tamen pœnitentes licita arbitrantur, nec ab iis avelli ſe patiuntur; niſi enim Confeſſarius iis morem gerat, & benignis ſed falſis interpretationibus legem flectat ad pervicaces eorum voluntates, ſtatim excidit à gratia, præſertim potentum, propter quos in exiſtimatione fuit apud homines; pro magno ſiquidem habetur honore, eſſe à Confeſſionibus Magnatum & coli veluti

veluti patrem in nobili familia. Atqui non ſolùm honorificis ejuſmodi titulis protinus ſpoliabitur, ſed inſuper priſtinus amor in odium & celebris fama in contemptum convertentur, malè audiet apud vulgus, patebitque oblocutionibus, interdum & perſecutionibus. Qui ineluctabiles illas tentationum procellas providet intrepidus, vel ſuſtinet inconcuſſus, magnus eſt ille vir, & judicio Sanct. Bernardi ſingularis; *eſt enim vitium*, inquit ſcribens ad Eugenium Summum Pontificem, *cujus, ſi te immunem ſentis, inter omnes quos novi ex his qui cathedras aſcenderunt, ſedebis, me judice, ſolitarius, quia ſingulariter levaſti te ſupra te. Hujus callidiſſimæ vulpeculæ magnorum neminem comperi ſatis caviſſe verſutias.*

5. Denique laxiores opiniones ſuggeſtu ſatanæ, qui ſe transfigurat in Angelum lucis, excogitatæ, ut blandiuntur pœnitentium cupiditatibus, ita molles, & laboris impatientes Confeſſarios facilè decipiunt, ne ſit illis religio Sacramentum conferre indignis, & ſolvere quos ligare tenentur. Sed adversùs iſthæc erroris pericula certam Confeſſariis fixere regulam Summus Pontifex Innocentius XI. & Clerus Gallicanus, nempe illicitum eſſe in ſacramento Pœnitentiæ, aliiſque Sacramentis conferendis, ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.

Patent jam ſcopuli ad quos plures è Confeſſariis ſalutis naufragium patiuntur: faxit Deus Optimus, ut ii, pro quibus ſcribimus, illos qua par eſt diligentia declinent, & depoſito omni humano affectu, ſolvant, aut ligent juxta legem ſibi à Deo præſcriptam.

Q. 3. *Quibus impertienda eſt aut neganda abſolutio?*

R. Generatim loquendo iis ſtatim impertienda eſt, quos Confeſſarius prudenter judicat verè eſſe contritos: iis verò deneganda, quos moraliter certus eſt, aut eſſe poteſt & debet, carere ſufficienti contritione: tum denique differenda ad tempus, ſi poſſit, cum meritò dubitari debet de veritate contritionis. Tres reſponſionis ſunt partes.

Prima, quæ eſt de concedenda ſtatim abſolutione confeſſis & diſpoſitis, probatur; quia illi jus habent ad abſolutionem; confeſſio quippe fit ad obtinendam abſolutionem, ſi nihil obſtet ex parte confitentis; & Confeſſarius eam excipit hac tacitá conditione: ergo impleta conditione ex patre confitentis, Confeſſarius eum abſolvere tenetur.

Dixi *generatim loquendo*; quia ſi pœnitens verſetur in morali ac veluti proximo labendi periculo, quantumcunque contritus appareat, differenda tamen eſt abſolutio, donec removerit peccandi occaſionem, v. g. fornicariam emiſerit, controverſiam inimicitiarum cauſam diremerit, aut ſi id fieri nequeat, ſaltem confirmatus ſit in novæ vitæ propoſito; paratus enim debet eſſe pœnitens, non ſolùm ad recipiendum, ſed etiam conſervandum abſolutionis beneficium, ut patet ex Eccleſiæ diſciplina, juxta quam non licet baptizare parvulos, quandiu manent in poteſtate parentum infidelium, ut diximus Tractatu de Baptiſmo; quia gratiam Sacramenti, quam haud dubiè reciperent, certò prævidentur amiſſuri.

Secunda pars probatur 1. his omnibus momen-

tis, quibus ſupra demónſtravimus ſine gravi peccato non abſolvi manifeſtè indignos. 2. auctoritate Innoc. XI. & Cleri Gallicani, qui proſcripſerunt hanc propoſitionem, *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, nec eſt deneganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem.* 3. ratione, quia nunquam licet, ſub quovis neceſſitatis prætextu, celebrare Sacramenta alio ritu, & in alia materia, quàm Chriſtus inſtituit, v. gr. Euchariſtiam conficere alio pane, quam triticeo; baptizare alia aqua, quam elementari, ut vocant, putà roſacea; nam præterquam quod irritum eſſet Sacramentum, & planè nullum, Miniſter reum ſe graviſſimi ſacrilegii conſtitueret: atqui vera contritio eſt à Chriſto inſtituta eſſentialis materia Sacramenti Pœnitentiæ; ergo nefas eſt illud adminiſtrare, ſi evidenter deſit vera contritio.

Hæc ratio probat iis quoque denegandam abſolutionem, qui licèt non niſi peccata venialia exponant, ne vel unum tamen ex illis vitare curant; ſemper torpent otio, data quavis occaſione mentiuntur, rixantur, verbis aſperioribus proximum lædunt; de quibus qualibet hebdomada bis etiam aliquando apud Sacerdotem ſe accuſant: *aſſiduè ſe dicunt peccatores*, inquit S. Auguſt. vel quivis Auctor ſerm. 7. de tempore, nunc in appendice 117. *& tamen adhuc illos peccare delectat: profeſſio eſt, non emendatio; pronuntiatur offenſa, non tollitur:* nam ex Sanct. Thoma 3. p. qu. 87. art. 1. *ſicut peccatum mortale remitti non poteſt, quandiu voluntas peccato adhæret; ita etiam nec peccatum veniale.*

Nec

Nec dicas peccata venialia non esse materiam necessariam confessionis, inde enim sequitur duntaxat liberum esse ea clavibus non subjicere; sed nullatenus inde concludi potest licitum esse sacramentaliter ea confiteri absque vera contritione; sicut ex eo quòd Sacerdos non teneatur ex præcepto hodie Sacrum facere, non sequitur eum absque gravi peccato posse non assumere panem triticeum ad sacrificium; vera enim contritio non est minùs necessaria Sacramento Pœnitentiæ, quam panis triticeus Eucharistiæ.

Ergo, inquies, consultius est peccata venialia non confiteri; cum sine peccato omitti possint, nec sine morali periculo gravioris delicti exponantur: atqui absurdum est illud consequens, cum adversetur laudatis piorum moribus, qui peccata quotidiana non solùm qualibet hebdomada, sed nonnunquam singulis fere diebus, ut de Sancto Carolo, & aliis non paucis legitur, confessione sacramentali abstergere consueverunt.

R. 1. Ad eos restringi responsionem nostram, qui peccata venialia ita confitentur, ut de nullo eorum veram habeant contritionem; si enim vel de uno ex iis sincerè doleant cum vero emendationis proposito, rei non sunt violati Sacramenti, cum unum peccatum veniale sine aliis solvi ac remitti possit, quanquam facilè non præsumitur eum, qui voluntate deliberata Deum offendere proponit, pœnitentiæ donum ab ipso accipere.

R. 2. distinguendo majorem, peccata venialia non confiteri consultius est illi, qui iis omnibus plena voluntate adhæret, Concedo: illi, qui ea detestatur, deflet, & pro humana fragilitate

impugnat, quotidie vim ſibi inferens quemadmodum viri pii, quorum exemplum objicitur, Nego majorem. Abſit ergo ut ſcrupulum juſtis injiciat iſthæc noſtra reſponſio, illoſque anxios reddat, cum ſcriptum ſit Prov. 14. *Ne quæras impietatem in domo juſti, neque vaſtes requiem ejus,* quia etſi in multis offendat, in malo non perſiſtit, ſed ſtatim reſipiſcit, & per pœnitentiam reſurgit. *Peccatum,* inquit Sanct. Chryſoſtomus hom. 21. in 1. ad Corinth. *ſi quando ad animam* (ejus) *divertit, hoſpes eſt non incola;* quia compunctio citiùs diſcedere compellit; *ſepties enim in die cadet juſtus, & reſurget.* Prov. 24. Quis autem hominem ſic affectum dubitabit quotidie cum fructu poſſe abſolvi? ſed quid iſta pœnitentiæ & pietatis exempla ad frigidam eorum agendi rationem, qui contra impetum ſuperbiæ, cupiditatis, iræ conari neſciunt? Qui voluntate deliberata, aut ſupina negligentia quotidie cadere frequenter ſe accuſant, & in iis ſimiliter perſiſtunt? Quis meritò non dixerit ſcenam eſſe & ludum ejuſmodi confeſſiones, quibus ſimulant ſe dolere, & ſatisfactionem Deo exhibere ob tam multiplices offenſas, cùm interim iis omnibus inſiſtere in animo habeant? *irriſor eſt, & non pœnitens,* inquit S. Iſidorus lib. 7. Sent. c. 16. *qui adhuc agit quæ pœnitet, nec Deum videtur placare ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus.* Non nego tamen ignorantiam, modò ſupina non ſit, plures excuſare à crimine violati Sacramenti.

Ex iis ſequitur abſolutionem iis eſſe denegandam,

1. Qui cum proximo inimicitias exercent, nec cum eo reconciliari volunt, nec odium deponere.

2. Qui

2. Qui cum æs alienum detineant, aut proximi famam læserint, restituere vel satisfacere detrectant. Quòd si polliceantur se facturos satis, (nisi sint in periculo mortis constituti) nihilominus remitti debent, quando in superiori confessione jam moniti, Confessarii præcepto non paruerunt. Ita primum Concilium Mediolanense: *Caveant Confessores, ne ante debitam satisfactionem illos absolvant, quibus cùm facultas adsit restituendi, vel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persolvendi, illisque, ut id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt, exceptis iis, qui periculosè ægrotant, quos tamen moneant, ut quæ debent quamprimùm solvant.* Similia habet Concilium Burdigalense anno 1583. & alia quamplurima. Idem judicium feret Confessarius de iis, 1. qui debita solvere negligunt, unde creditores, artifices, mercatores grave patiuntur detrimentum: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te úsque mane*, ait Dominus Levit. 19. v. 13. 2. qui nimio vestium ornatu, & aliis sumptibus superfluis, debita contrahunt, quibus solvendis pares non sunt. Ita S. Carolus in Instruct. Confess. *nec eos etiam absolvat*, inquit, *qui in vestium splendore, aut superfluo corporis ornatu, mortaliter peccant. Et quia hodie sæculi pompæ & vanitates ad summum creverunt, potissimum ex culpa & negligentia Confessariorum . . . . . . aliquos hic casus designare placuit, in quibus mortaliter peccat, cui cordi est nimius ille luxus. Quisquis igitur utitur hac pompa, ut alios ad peccatum mortale pelliciat, reus ipse fit mortalis peccati, aut si ex illius occasione violat ipse, vel aliis auctor est & causa, cur violent Dei vel Ecclesiæ præcepta. Si quæ uxor maritum ad nimios sumptus cogat, quos sciat aut probabiliter suspicetur odia, dissensio-*

*nesque domesticas parere, maritum vel alios compellere ad blasphema verba, ad turpes, & illicitos quæstus vel contractus, ad resecandas eleemosynas, quas alioqui erogare tenetur, ad novum æs alienum contrahendum, cui solvendo stato tempore par esse non possit (quod nusquam contingit sine gravi proximi detrimento) si impediat ne filiæ jam nubiles collocentur ..... generatim hoc judicium ferri potest, hujusmodi homines esse in statu peccati mortalis, nisi habito diligenti cum pœnitente examine, Confessario constet de contrario ob particulares quasdam rationes. Reum etiam peccati mortalis facit modus se ornandi: etiamsi non excedat statum & facultates personæ; nempe si lasciviam inspiret, vel ex se, vel secundum communem hominum opinionem: vel si videat, dubitetve probabiliter ex occasione illius (quòd inter honestos conditionis suæ viros ac mulieres nondum sit usitatus) non defuturos, qui amorem impudicum concipiant.*

3. Qui artes illicitas & prohibitas profitentur, ut Lenones, Comœdi, Usurarii, & quicumque artibus quidem per se licitis, utuntur ad illicita, ut Pictores, qui pingunt tabellas obscœnas, & ad libidinem provocantes; Bibliopolæ, qui divendunt libellos famosos, & alios in quibus nonnulla habentur Religioni & bonis moribus contraria. Idem judicium esto de iis, qui apud se expositas habent ejusmodi tabellas, & prohibitos libros retinent ac legunt. Quid verò sentiendum sit de aleatoribus; de iis, qui impensius ludo indulgent, qui spectacula & choreas frequentant, fusè exposuimus Tract. de Justitia & Jure, ubi de ludo.

4. Qui ex negligentia culpabili ignorant prima fidei rudimenta, ut mysteria sanctissimæ Trinitatis,

nitatis, & Incarnationis. Ita Innocentius XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. in censura sequentium propositionum. Prima: *Non nisi fides unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicata remuneratoris.* Secunda: *Absolutionis capax est homo quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum fidei, & etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis & Incarnationis Domini.* Verba censuræ sunt: *Hæ propositiones in Deum remuneratorem, & in Christi mediatoris nomen contumeliosæ sunt, erroneæ & hæreticæ.* Hinc Concilium Mediolanense V. præcipit ut Confessarius antequam rudiorum confessiones excipiat, ab iis exigat ut recitent Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apostolorum, & Decalogum. *Ita ut*, inquit S. Carolus in Instr. pœnit. *explicite & intelligenter sciant, non autem quasi recitantes tantùm.* Et in Instr. Confess. *Si verò ea de re nusquam antea monitus fuerit, ipsum absolvat, præmissa semper instructione de his rebus necessaria, ut sit impræsentiarum absolutionis capax.* Et infra *Patres ac matres familias, qui suos filios filias, servos & ancillas (qua de re particulatim interrogabantur) supradicta doctrinæ Christianæ capita addiscere non compellunt, vel non invigilant, & procurant, ut Dei Ecclesiæque præcepta observentur, aut, quod pejus est, eorum observationem impediunt . . . . . . tempus non concedunt, quo illi juxta Ecclesia præceptum Missam audire possint: aut nescientes quinam è sua familia legitimo teneantur impedimento, cœnare eos sinunt tempore Quadragesimali, & aliis jejuniorum diebus, aut ante statam horam prandere, aut eos non admonent & corrigunt, quando hæc præcepta transgrediuntur . . . . si in his casibus officio non satisfaciant, nec de negligentia hactenus in familiæ suæ admini-*

 *mini-*

*miniſtratione commiſſa emendentur, non abſolvantur. Quòd ſi id ſe præſtituros polliceantur, neque his de rebus moniti antea fuerint à Confeſſario aut Parocho; poterit eos abſolvere. Sèd ſi ſæpius moniti, nullatenus emendati fuerint, proroget illis abſolutionem, donec ſinceræ emendationis argumenta aliquo temporis ſpatio dederint.*

5. Qui verſantur in proxima peccandi occaſione, quam facilè removere poſſunt, ut conſtat ex cenſura, qua Innoc. XI. anno 1679. & Clerus Gallicanus anno 1700. perſtrinxerunt ſequentes propoſitiones, Prima, *Poteſt aliquando abſolvi, qui in proxima occaſione peccandi verſatur, quam poteſt & non vult omittere: quin imo directè & ex propoſito quærit, aut ei ſe ingerit.* Secunda, *Proxima occaſio peccandi non eſt fugienda, quando cauſa aliqua utilis, aut honeſta non fugiendi occurrit.* De quibus propoſitionibus ſic cenſuit ſacer Conventus: *Hæ propoſitiones ſcandaloſæ ſunt, pernicioſæ, hæreticæ, apertè repugnantes præcepto Chriſti jubentis manum, pedem, oculum quoque dextrum ſcandalizantem abſcindere & projicere.*

Dixi, *quam removere poteſt*, quia ſi Pœnitens eam removere non poſſit, ut filia familias, quæ non poteſt diſcedere è domo paterna, quæ eſt illi proxima peccandi occaſio; tunc ſalutaribus conſiliis eſt muniendus, & priuſquam abſolvatur, probandus, donec occaſio, quæ hactenus proxima fuit, evadat remota.

Peccati autem mortalis occaſiones aliæ ex natura ſua ad peccandum inducunt, aliæ per accidens, & ex infirmitate pœnitentis, qui in iis poſitus ita peccare conſuevit, ut probabile ſit illum in eadem peccata lapſurum, ſi in ejuſmodi occaſione perſeveret.

Occaſiones, quæ ex natura ſua inducunt, ad

pecca-

peccatum, ex Sancto Carolo, sunt, aleatorios ludos profiteri, domum hunc in finem paratam habere, ac aleatores recipere; domi retinere personam quacum peccatur, aut alio modo cum ipsa cohabitare, in eadem conversatione, colloquiis, aspectibus, amorisque impudici significationibus & incentivis perseverare. Pænitentem ergò aliqua ex his occasionibus aut similibus irretitum Confessarius absolvere non debet.

Occasiones porrò secundi generis sunt eæ, quæ, etsi ex natura sua sint licitœ & honestæ, ex personæ tamen infirmitate multis peccatis implicant; *sic plerisque sunt hodie seculi nostri vitio* (inquit idem S. Præsul) *bellum, negotiatio, Magistratus, Advocatorum, Procuratorumque professio. Qua in re invigilare eo majus operæ pretium est, quòd Confessariorum hac in parte incuria in omnibus artibus & professionibus regnent plures abusus, gravissimaque peccata, sine quibus jam videtur à multis ne justissimas quidem professiones exerceri posse. Sic v. g. in Magistratuum & aliorum officiorum institutione ea solemni sæpè Sacramento promittuntur, quæ nunquam observantur. Apud Jurisconsultos, Advocatos, & Procuratores clientum improbitati & injustitiæ contra propriam conscientiam servitur. In militia, duello, odiis, homicidiis, alea, blasphemiis, rapinis, & impudicitiis peccari solet. Mercatores usuras palàm exercent, pro sinceris fucatas merces plerumque proponunt, pretiis longè justo majoribus omnia vendunt, frequentia sunt apud eos perjuria, fraudesque in solvendis pedagiis, aliisque.* Præter ista, quæ in artificibus sæpè occurrunt, plura alia, & quidem graviora sunt in ipsis reprehendenda; nempe opera malè conficiunt sive ex negligentia, sive ex imperitia, ex iis quæ fidei eorum committuntur,

ut panni, injuſtè apud ſe retinent; feſtis diebus laborant ita ut vix cultui divino unquam vacent, & Dei verbum audiant, & familiam ſuam eodem modo teneant occupatam. Propter quæ & alia ſimilia, ut obſervat idem Sanct. Carolus, plerique ex iis, quos recenſuimus, numquam rectè ac validè ſunt confeſſi. Iis merito annumerantur, Confeſſarii imperiti, & ignavi Paſtores, quos Propheta increpat tanquam canes mutos, qui latrare non valent præ imperitia, animi imbecillitate, aut negligentia; qui paſcunt ſeipſos, & non gregem; quod in eo infirmum eſt non conſolidant, quod ægrotum non ſanant, & quod perit non quærunt; quo fit ut vitam omnem in peccatis mortalibus traducant, & ideo non ſunt abſolvendi, niſi aut profeſſionem ſuam deſeruerint, ſi illius incapaces ſint propter imperitiam, vel animi imbecillitatem; aut emendationis ſigna dederint; ſi ex ſola negligentia & ſocordia quæ erant ſuæ profeſſionis non implevèrint; nam ex Concilio generali Lateranenſi ſecundo, can. 22. *falſa fit pœnitentia, cum pœnitens ab officio vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet.* Et ex S. Bern. ſer. 1. de Reſurrect. *non ſatis cecidiſſe piget hominem, qui adhuc manere diſponit in lubrico: aut erraſſe, qui ducem non quærit. Veræ compunctionis indicium opportunitatis fuga, ſubtractio occaſionis.*

Tertia pars, nempe abſolutionem differendam ad tempus: excepto tamen caſu neceſſitatis, cùm merito dubitatur, num in pœnitente adſit ſufficiens contritio, probatur; quia in Sacramentis conficiendis non licet uti materia dubia, præſertim ubi haberi poteſt certa; peccaretque graviter

viter Sacerdos, qui ad ſacrificium v.g. adhiberet panem hordeaceum. Quin Innoc. XI. & Clerus Gallicanus damnarunt hanc quorumdam Modernorum propoſitionem : *Non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore.* Atqui contritio, de qua merito hic dubitatur, vel dubitare oportet, eſt materia neceſſaria Sacramenti Pœnitentiæ, ſine qua eſſet irritum, & plane nullum : ergo abſolutio non eſt concedenda ſed differenda, ſi adſit ratio dubitandi de veritate contritionis.

Dixi, *excepto caſu neceſſitatis;* quia in extremis periculis Medicus, cui deſunt remedia indubitata, utitur dubiis, quibus ſpes ſalutis utcunque affulgere poteſt; melius enim eſt periclitantem ægrotum aliqua ſpe recreari, quam omnino deſperare. Sic ex præcepto Eccleſiæ parvulus nondum plene natus, & in vitæ periculo conſtitutus, ſacra abluitur unda in ea quæ patet corporis parte, etiam minima, quamvis dubitetur, num validus ſit Batiſmus ita collatus, & ideo ſub conditione iterandus ex eodem Eccleſiæ præcepto, ſi parvulus contra ſpem evaſerit. Idem cenſet S. Aug. de Sacram. Pœnit. ſic enim loquitur ſerm. 393. alias homil. 47. de peccatore, qui ad ultimam ægritudinem pœnitentiam diſtulit. *Si quis*, inquit, *poſitus in ultima neceſſitate ægritudinis voluerit accipere pœnitentiam, & accipit, & mox reconciliatur, & tunc vadit; fateor vobis, non illi negamus quod petit, ſed non præſumimus quòd bene hinc exit . . . . nunquid dico, damnabitur? non dico, ſed non dico etiam, liberabitur . . . Ideo do tibi pœnitentiam, quia neſcio; nam ſi ſcirem nihil tibi prodeſſe, non tibi darem. Item ſi ſcirem tibi prodeſſe,*

*non*

*non te admonerem, non te terrerem.* Nihil quippe terribilius excogitari poteſt, quam in evidens æternæ damnationis periculum ſe conjicere. Unde S. Doctor ſic pergit. *Duæ res ſunt: aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur: quid horum tibi futurum ſit, neſcio: ergo: dimitte incertum, tene certum.*

Porrò contritio debet eſſe dubia Confeſſario, quando pœnitens peccandi conſuetudine implicatus profert in teſtificationem ſuæ converſionis, non preces fuſas cum lacrymis; non opera, non mores emendatiores, ſed verba duntaxat, quibus pollicetur, ſicut in aliis confeſſionibus fruſtra jam pollicitus eſt, ſe ampliùs non peccaturum, cùm ex Tertulliano lib. de pœnit. c. 6. Sacramenta, etiam Baptiſmi, non ideo præciſe conferantur ut homines peccare deſinant, ſed quia jam deſierunt. *Non ideo abluimur*, inquit, *ut delinquere deſinamus, ſed quia deſiimus, quoniam jam corde loti ſumus. Ceterum ſi ab aquis peccare deſiſtimus, neceſſitate, non ſponte innocentiam induimus. Quis ergo in bonitate præcellens? cui non licet, an cui diſplicet malum eſſe? qui jubetur, an qui delectatur à crimine vacare?* Et cap. 11. *Deliqui, dicito in Deum, & periclitor in æternum perire: itaque nunc pendeo, & maceror, & excrucior, ut Deum reconciliem mihi, quem delinquendo læſi.* Quibus verbis perſpicuum eſt ſecundo & tertio ſæculo, quibus floruit Tertullianus, Sacrorum Antiſtites in ſignum veræ contritionis exegiſſe opera, & morum emendationem.

Sanct. Ambroſ. lib. 2. de pœnitentia, cap. 5. ſcribit peccatores ſua ætate, hoc eſt quarto ſæculo, non alio modo teſtatam feciſſe ſuam converſionem: *Qui agit pœnitentiam*, inquit, *non ſolùm dilue-*

*diluere lacrymis debet peccatum suum; sed etiam emendatioribus factis operire & tegere delicta sua.* Et cap. 6. *homo es, & vis rogari ut ignoscas, & putas Deum tibi non roganti ignoscere?*

Sanct. August. quinto sæculo testatur Enchyrid. cap. 65. eandem disciplinam tunc in Ecclesia fuisse universalem, *neque de ipsis criminibus, quamvis magnis, remittendis in sancta Ecclesia, Dei misericordia desperanda est agentibus pœnitentiam secundum modum sui cujusque peccati: in actione autem pœnitentiæ, ubi tale commissum est, ut is qui commisit à Christi etiam corpore separetur; non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris, cor enim contritum & humiliatum Deus non spernit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, neque in aliorum notitiam per verba, aut quæcunque signa procedit .... rectè constituuntur ab iis, qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ ut fiat satis etiam Ecclesiæ.* Et laudato serm. 393. peccatorem alloquens, qui petit pœnitentiam, & mox absolvitur, quia differri non potest, *si scirem tibi nihil prodesse, non tibi darem. Item si scirem tibi prodesse, non te admonerem, non te terrerem: ergo dimitte incertum, tene certum.*

Sanct. Gregorius, qui Ecclesiam rexit sexto & septimo sæculo, homilia 26. in Evang. ait: *videndum quæ culpa præcessit, & quæ sit pœnitentia secuta post culpam, ut quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos Pastoris sententia absolvat. Tunc enim vera est absolutio præsidentis, cum æterni sequitur arbitrium Judicis.* Et lib. 6. in 1. Reg. (si tamen illius operis est auctor) *signum veræ conversionis non est in oris confessione, sed in afflictione pœnitentiæ. Tunc namque benè conversum peccatorem cernimus, cùm digna afflictionis austeritate delere nititur quod*

*loquen-*

*loquendo confitetur.* Enimverò si fides esset semper adhibenda verbis confitentium, omnes, etiam evidenter indigni, essent absolvendi: quis enim eorum ore non proferat dolere se, & emendationem proponere? atqui scandalosum est, ex Innocentio XI. & erroneum ex Clero Gallicano, supra laudatis, asserere, pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, etsi emendationis spes nulla appareat, nec denegandam, nec differendam absolutionem, dummodo ore proferat se dolere, & proponere emendationem.

Ivo Carnotensis, ep. 228. quærenti Presbytero quomodo Ecclesiæ disciplina, juxta quam pœnitentes aliquandiu separantur à Corpore Christi, conciliari possit cum Prophetica sententia quæ dicit, *In quacunque hora peccator ingemuerit, salvus erit;* respondet sicut S. August. supra: *quæ quæstio*, inquit, *facile solvitur, si interni Judicis animadversio & humanæ fragilitatis consideratio diligentius attendatur. Cùm enim criminalis culpa delinquentem separet à capite & corpore, rationis ordo hoc exigit, ut internus Judex tanto remittat celeriùs, quanto solus magis videt interius: Judex verò, qui tantum videt in facie, usque adeo delinquentes sub peccati pœna detineat, donec per manifestum pœnitentiæ fructum quis sit pœnitentis affectus intelligat. Per internum enim gemitum satisfacit interno Judici, & idcirco indilata datur ab eo peccati remissio: Ecclesia verò, quia occulta cordis ignorat, non solvit ligatum, licet resuscitatum, nisi de monumento elatum, id est, publica satisfactione purgatum.*

S. Carolus in Instructionibus Confessariorum (quas tanquam certas regulas tradiderunt Innoc. XIII. Sanct. Franciscus Salesius, vir suo sæculo om-

omnium mitiſſimus, in Conſtitutionibus Synodalibus tit. 9. cap. 5. num. 3. & Clerus Gallicanus anno 1655.) ſic habet: *Confeſſarios monitos volumus, ut donec emendationem perſpexerint, abſolutionem iis pœnitentibus procraſtinent, quos veriſimile eſt ad peccata iterum lapſuros, quantumvis polliceantur, ac ſpondeant ea ſe dimiſſuros. Hujuſmodi verò ſunt adoleſcentes, otio ut plurimum dediti, qui in ludis, comeſſationibus, ebrietatibus, & impudicitiis majorem vitæ partem impendunt. Iis pariter accenſeri debent blaſphemi, detractores, turpiloquio addicti, innumerique alii impii, qui ſemel tantùm quotannis, tempore Quadrageſimali labente, ſeſe Sacerdoti ſiſtunt ad confeſſionem; ſicut univerſim omnes, qui per multos annos in eadem péccata prolapſi fuerunt, adjecto debitæ correctionis ſtudio.*

Si quis autem obſtinato animo, quod abſit, locupletiſſimis hiſce teſtimoniis refragaretur, cùm ad experientiam provocaremus, exemplo periti Medici, quem æmuli tanquam circunforaneum Pharmacopolam, Gallicè, *Charlatan*, injuſtè traducunt, concedamus, inquit ille, quod ad ſanitatem perduxit veſtra curatio & mea. Febris hujus & illius adoleſcentis eſt libido, iracundi ira, ebrioſi vinolentia? quis horum veſtra curandi ratione convaluit? Ad ſummum peſtiferas illas febres, cum eſſent continuæ, aliquando in tertianas & quartanas convertiſtis, ſed ex toto non quieverunt, donec mihi ſe regendos præbuerint. Profero eoſdem adoleſcentes jam victores libidinis, uxorem bene precantem Confeſſario, qui conjugem ad ſobrietatem reduxit, totam familiam, quæ nunc ſumma pace fruitur, quam iracundus ille turbabat. Quæ cùm ita ſint, quis dubitabit illorum fidei animam ſuam committere, apud

apud quos ea ſunt experimenta, qualia ſi Medicus corporum proferre poſſet, omnes catervatim ad eum confluerent?

Dices: Hæc curandi ratio ſæpe morbum exaſperat, & pœnitentes hujus diſciplinæ impatientes aliquando à ſeipſis deſperati, Religionis officia abjiciunt, & in omnia flagitia ruunt præcipites. Ergo.

R. 1. Hoc argumentum nimis probat; ex eo enim concludere licet etiam manifeſtè indignis abſolutionem eſſe concedendam, ne deteriores evadant: atqui indignum ea ſe probat, qui æquis Confeſſarii præceptis non acquieſcit; nam inter conditiones confeſſionis ſacramentalis requiritur ut ſit parere parata. Præterea non ſunt facienda mala, ut eveniant bona: atqui malum eſt eum abſolvere extra caſum neceſſitatis, de cujus converſione dubitatur.

R. 2. Diſtinguo antecedens: exaſperat, ſi aſperiùs dimittantur pœnitentes: Concedo: ſi blandè ac clementer, Nego antecedens. Itaque animarum vulnera non ſecus ac corporum quàm molliſſimè ſunt contrectanda; ſatis eſt lanio, ut carnes ſecet ac dividat: ac peritus Medicus imprimis ſolicitus eſt quomodo vulneris dolorem mulceat, & ſumma artis illius eſt, ut dextre & quam minimo doloris ſenſu putredines amputet. In lanio inclementem & ineptum Confeſſarium cogita, qui durè & aſperè indignos repellit: in Medico vero Confeſſarium, qui ſcit compati infirmitatibus pœnitentis, & ligat eum vinculis charitatis. Quodſi ille tanquam furens vincula abrumpat, Confeſſarius nihilominus blandis verbis

bis illum dimittet; ſpero, inquit, te ſanis conſiliis aſſenſum aliquando daturum, & ut Deus hanc tibi gratiam concedat, obnixè illum deprecabor.

Nec eſt cur Confeſſarium ita ſe gerentem quis nimiæ ſeveritatis incuſet: *ute enim*, inquit Sanctus Chryſoſtomus homil. 14. in 2. ad Cor. *febrè ac phrœneſi laborantem miſericordia proſequitur, isne qui in lecto eum ſternit, ac vinculis aſtringit, atque à noxiis cibis & potionibus arcet? an qui ei mero ſe ingurgitandi facultatem præbet, ac ſui juris & arbitrii eum eſſe jubet, omniaque facere, quæ ab homine ſano atque incolumi valetudine fieri debent? an non morbum quoque hic exulcerat, qui humanitatis officio fungi ſibi videtur, cum contrà ille morbum pellat ac profliget? eodem modo hic quoque judicamus. Humanitatis enim eſt, ægrotis non ubiquè indulgere, ac præpoſteris ipſorum cupiditatibus adblandiri. Nemo eum, qui apud Corinthios ſtupri crimine ſè obſtrinxerat, tàm amabat, quàm Paulus, qui eum ſatanæ tradi jubebat. Nemo rurſus tam eum oderat, quam ii, qui peccanti applaudèbant & obſequebantur . . . . illi quidem malum, quod jam erat, auxerunt: hic verò id quoque, quod primum contractum fuerat, evulſit. Proinde non eſt quod hanc rem crudelitatis & ſævitiæ eſſe arbitreris, ſed ſummæ clementiæ ac benignitatis, præſtantiſſimæque medendi rationis, nec vulgaris erga peccatoris ſalutem curæ.*

Alia quamplurima ſolent objici adversùs tertiam hancce noſtram reſponſionem, quibus cumulatè ſatisfecimus in noſtra Praxi pœnitentiaria, ad quam Lectorem remittimus, ne in immenſum creſcat iſte Tractatus, qui longe eſt productior, quàm propoſueramus.

Q. 6. *Quousque differenda est absolutio pœnitentibus, de quorum conversione dubitatur?*

R. S. Chrysost. loco cit. *Temporis moram non quæro, sed animæ correctionem. Hoc itaque fac demonstres, sintne compuncti, sintne in melius immutati, & res tota confecta est. Quod nisi ita sit, nihil profecto temporis diuturnitas emolumenti attulerit; neque enim sæpiusne obligatum vulnus fuerit quærimus; sed an obligatio illa quicquam profuerit. Ac siquidem etiam ad exiguum tempus adhibita profuit, non jam adhibeatur: si autem nondum eam adhibuisse juvit, etiam post decem annos adhibeatur. Denique hic tibi ejus, qui vinctus est, solvendi præscriptus terminus esto, nempe ipsius utilitas.*

Monuimus jam pœnitentes, quorum absolutio differtur ad tempus, puta ad mensem, interim fulciendos consiliis Confessarii, eoque frequentiùs, quo sunt infirmiores, & vehementioribus pulsantur tentationibus; alioquin brevi conciderint animo, & ad ingenium redirent, absolutionisque dilatio ipsis esset inutilis, ne dicam perniciosa.

## §. III.

### *Satisfit reliquis difficultatibus circa absolutionem.*

Q. 1. *Confessarius, ut sit fidelis Christi Minister, neve indignos absolvat, teneturne scrutari pœnitentium dispositiones, & inquirere, quæ interdum premunt silentio?*

R. S. Thomas in 4. dist. 19. eum teneri. *Sacerdos*, inquit, *debet scrutari conscientiam peccatoris in confessione, quasi Medicus vulnus, & Judex causam; quia*

*quia frequenter præ confusione confitens taceret, interrogatus revelat.* Enimverò Medici est introspicere altitudinem vulneris quod denudat æger, corporis vires & habitum explorare, ut convenientia præscribat remedia. Est quoque Judicis percontari, num confessio sit plena & integra, tum maximè cùm reus ipse est sui accusator; periculum enim est, ne amore sui excæcatus, & communi aliorum usu deceptus, plura excuset, quæ tamen damnanda sunt; *Væ peccatis hominum, quæ sola inusitata exhorrescimus; usitata verò .... quamvis tam magna sint, ut omnino claudi contra sese faciant regnum Dei, sæpè videndo ea tolerare, sæpe tolerando nonnulla etiam facere cogimur*, S. Aug. Enchir. cap. 80. Et S. Greg. *Sæpe*, inquit, *de se mens ipsa mentitur, fitque ut aliud in intimis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat, fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat.* Denique Clerus Gallicanus propositionem jam ab Innocentio XI. proscriptam, *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem*, declaravit anno 1700. falsam, sacrilegiis faventem, Ministrorum Christi judiciariæ potestati, confessionis integritati, atque ipsius Sacramenti institutioni ac fini derogantem.

Monet tamen Angelicus Doctor citato loco, cavendum ne ejusmodi inquisitio pœnitenti sit offendiculo. Esset autem,

1. Si interroget, de peccatis à quibus immunem pœnitentem satis ostendunt ejus vivendi institutum, & confessio, in qua non accusat nisi venialia peccata ex mera fragilitate & sine deliberata voluntate commissa; insulsæ enim & ab-

ſurdæ illæ interrogationes, præterquamquod confeſſionem ſacramentalem in odium adducunt, ipſum miniſterium contemptui exponunt, & indignationem provocant.

2. Si percontationibus ſuis flagitia detegat, quæ alioqui pœnitens in hominem cadere non credidiſſet; ejuſmodi enim patefactio incendit ad ea committenda, nec deſunt exempla eorum, qui in libidinis inſanias prolapſi ſunt, à quibus priùs ſani vixerant, quam à Confeſſario eas edocerentur. Sacerdos igitur directe & aperte non quæret à juvene, num ſe contaminaverit nefandis illis criminibus, quibus violantur jura naturæ; ſed interrogabit de iis, quæ ſunt communia, & omnibus nota, num ſcilicet, turpibus delectatus fuerit, ſive aſpectu, ſive auditu, ſive tactu, vel ſola cogitatione. Si pœnitens reſpondeat ſe horum non eſſe conſcium, ulterius non progrediatur percontatio. Si verò pœnitens ſe in iis deliquiſſe confiteatur, perget Confeſſarius non docendo, ſed quærendo quid fecerit, aut paſſus fuerit, an ſolus, an cum aliquo, ac denique quomodo illud perpetraverit; & ex reſponſis pœnitentis facilè intelliget, an ille reus ſit, necne, mollitiei, ſodomiæ, &c. *Non fiat explicita interrogatio*, inquit Sanct. Thomas loco citato, *de peccatis, niſi de illis, quæ omnibus manifeſta ſunt: de aliis autem adinventionibus peccatorum ita debet à longinquo fieri interrogatio, ut ſi commiſit, dicat; ſi non commiſit, non addiſcat.*

Q. 2. *Quandonam tenetur Confeſſarius interrogare pœnitentem?*

R. Tenetur

1. Quoties advertit eum præ ignorantia, inadvertentia, aut alio quovis defectu, non explicare peccatorum species, circumstantias, & numerum; de fide enim est ea esse explicanda, pertinereque ad integritatem confessionis: Minister autem Sacramenti cavere debet, ne quid desit integritati Sacramenti quod administrat; peccaretque graviter, si illius negligentia Sacramentum conficeretur mutilum.

2. Quando pœnitens non exponit peccata lethalia, quorum ipse Confessarius aliunde certò novit illum esse reum; quæ frequentius occurrunt, in exemplum adduco. Pœnitens aliquando nullis conscientiæ stimulis pungitur, quòd usuras exerceat, libros venditet, in quibus multa continentur contra fidem, vel bonos mores; onera Reipublicæ injustè distribuat; larga munera ab iis accipiat, qui ab ipso, vel vexari timent, vel sublevari sperant, sive per fas, sive per nefas: Parochianos verbo Dei rarissime pascit, si sit Pastor. Iis accenseri debent, qui cum per annum in omni genere scelerum cum aliorum scandalo volutentur, instante Paschate, apud extraneum Sacerdotem peccata deponunt in fraudem disciplinæ, & aliquot post dies proprio Sacerdoti nonnisi levia confitentur. Confessarius in omnibus his & aliis similibus exemplis tenetur sciscitari à pœnitente, cur gravium illorum peccatorum nullam faciat mentionem; pronuntiare illum absolutione indignum, nisi pro illis satisfaciat, & in melius mutetur, imo præteritas confessiones esse sacrilegas, & ideò iterandas, utpote quæ fuerint sine emendationis proposito. Hujusce autem responsionis ratio patet ex dictis; nimirum nun-

 quam

quam, ſub quovis prætextu, licet indignis conferre Sacramenta, maximè ſi petantur ſecreto: atqui in allatis exemplis pœnitentes ſunt evidenter indigni, & abſolutionem ſecreto petunt: ergo Confeſſarius eam ſub gravi peccato denegare tenetur, quandiu ſufficientia emendationis ſigna non dederint.

3. Quamvis Confeſſario non cônſtet pœnitentem peccata lethalia reticere, quoties tamen adeſt legitima ratio dubitandi num reticeat, tenetur illum interrogare, tum quia cavere debet, ut diximus, ne confeſſioni integritas deſit; tum maximè quia morale periculum eſt, ne pœnitens contritione careat, & ex vincibili ſaltem ignorantia, gravi alicui peccato adhæreſcat.

Eſt autem Confeſſario dubitandi locus,

1. Quando in civitate, v. g. in aliqua arte, aut in quovis vitæ genere dominantur certa vitia, puta uſuræ, fraudes in Artificibus, injuſtitiæ in diſtribuendis Reipublicæ oneribus, in venditionibus, graves & publicæ negligentiæ, ſeu prævaricationes in Miniſtris Eccleſiæ; cùm enim conſtet Confeſſario gravia illa peccata in loco vigere & perpetrari à pluribus, procul dubio timere debet, ne hic pœnitens, quem non novit, ſit unus ex illis, ac proinde illius conſcientiam perſcrutari tenetur: *Interrogetur peccator*, inquit ſanctus Thomas loco citato, *de peccatis quæ conſueverunt in hominibus illius conditionis abundare.*

2. Quando pœnitens ſæpius in idem crimen lapſus eſt, aut ſi ſemel, vel quia unica illius criminis committendi occurrit occaſio, vel quia à paucis diebus abſolutionis beneficium percepit. Singulis propoſitionis partes expono.

Ac

Ac 1. quidem cum pœnitens ſæpius in idem crimen lapſus eſt, ſuſpicionem injicit, ne ſuperior confeſſio contritione caruerit; ideoque Confeſſarius inquirat neceſſe eſt, utrùm pœnitens aliquamdiu poſt confeſſionem dignos pœnitentiæ fructus fecerit, hoc eſt, ſtrenuè adverſus tentationes, & peccandi occaſiones pugnaverit, aut paulo poſt confeſſionem, ſeu data prima occaſione lapſus fuerit. Si primum, ratam judicabit confeſſionem, ibique ſiſtet percontatio. Si ſecundum, irritam & ſacrilegam pronuntiabit confeſſionem, pergetque inquirens utrum idem defectus in ſuperioribus confeſſionibus occurrerit, & ita fortè deteget innumera crimina, quæ reticebat pœnitens, propter quæ iterandæ ſunt confeſſiones, poſtquam ſufficientia pœnitentiæ & emendationis ſigna dederit. Idem ferendum judicium de eo, qui ſemel aut bis lapſus eſt, quia una, aut altera dumtaxat peccandi occurrit occaſio; pœnitens v. g. confitetur in ſolemniis nativitatis B. Virginis a feſto ſancti Petri jejunium Eccleſiaſticum ſemel ſe ſolviſſe, & quidem ſine legitima cauſa; Confeſſarius timere debet, ne ejuſmodi pœnitens ſoleat tranſgredi præcepta jejunii; propterea que ſciſcitabitur quæ ſit ejus agendi ratio occurrente jejunii præcepto. Eandem adhibebit cautionem erga eum, qui Paſchate confitetur ſe ſine cauſa non jejunaſſe, niſi ter quavis Quadrageſimæ hebdomada; aut ſolviſſe jejunium quoties ad comeſſationes ab amicis invitatus fuit, aut eos, juxta mundanorum morem, à ſe invitandos exiſtimavit: aut denique antevertiſſe horam prandii, & in cœnula famem expleviſſe. Extra caſus recenſitos interrogatio non ſolùm eſt ſuper-

 flua,

flua, ſed pœnitenti moleſta, magiſque obeſt, quam proſit.

Q. 5. *Eſtne monendus pœnitens, qui ex ignorantia legem non obſervat?*

R. Si laborat ignorantia vincibili, monendus eſt; quia ejuſmodi ignorantia non excuſat à peccato. Cùm igitur concluſiones primariæ juris naturalis invicibiliter ignorari nequeant, ut ſuo loco probavimus, monendi ſunt Magiſtratus, Paſtores, Confeſſarii, &c. quibus religio non eſt, quominus graviora ſui muneris negligant, irritas eſſe abſolutiones ipſis ita indormientibus conceſſas.

R. 2. Quando ignorantia eſt invincibilis, monendus eſt pœnitens, 1. ſi illa ignorantia vergat in damnum proximi. Talis eſt ignorantia illius, qui bona fide lucrum percipit vi mutui; quamvis enim poſſit quis invincibiliter ignorare fœnus eſſe illicitum, cùm non pugnet niſi contra remotiores concluſiones legis naturalis; quia tamen ex iniquo illo contractu proximus læditur, Confeſſarius tenetur religionem ejuſmodi uſurario injicere, ac præcipere, ut contractus illos reſcindat. 2. Si error pœnitentis ſit publicus; Confeſſarius enim non poſſet illum diſſimulare ſine aliorum offenſione, & ſcandalo. 3. Si ſit occultus, & ex commonitione ſperandum ſit commodum, nedum timendum incommodum; quia Confeſſarius, utpotè Dei Miniſter, & Judex ab eo conſtitutus, tenetur vindicare legem, præſertim ad verſus eos, in quos juriſdictionem exercet. Aliquando tamen commonitio differenda eſt ad tempus opportunum, ut videre eſt in exemplo con-

jugatæ,

jugatæ, quæ contraxit cum impedimento ex crimine occulto, puta ex fornicatione cum consanguineo conjugis; Confessarius enim inconsiderate admodum ipsi detegeret illico impedimentum, quod illa invincibiliter ignorat; quia removet bonam fidem, qua utitur matrimonio, eamque conjiceret in occasionem proximam fornicationis & incestus, cùm non possit separari ab eo, quem hactenus credidit suum legitimum conjugem. Confessarius igitur in iis & similibus circunstantiis pœnitentem prætextu gravioris delicti dimittet ad tempus, dissimulabitque impedimentum, donec ab Episcopo facultatem obtinuerit restituendi matrimonium in integrum. Quomodo vero id fieri debeat, dicetur ubi de matrimonio.

Dixi: *Si ex commonicatione commodum sit sperandum*: Quia si adversus malum occultum & invincibiliter ignoratum, nullum appareat remedium, & gravia incommoda prævideantur secutura, monita conjux, v.g. divortium faceret cum scandalo, & magno liberorum detrimento, dissimulandum est impedimentum, & illa bona fide relinquenda.

Q. 4. *Licetne impertire absolutionem moribundo vocis & rationis usu destituto?*

Certum est 1. impertiendam, si ex aliorum testimonio habeatur ipsum prius signa dedisse pœnitentiæ, & Sacerdotem postulasse; ita enim præcipiunt Concil. Carthaginense IV. can. 76. Arausicanum I. can. 12. Toletanum XII. can. 2. S. Leo, ep. 83. alias 91. & omnes libri Rituales.

Certum est 2. si quis in ipso actu criminis, v. g. in duello, vel ebrietate, sensibus destituatur,

moxque moriturus credatur, absolvendum non esse, nec sacro oleo ungendum, cùm crimen manifestum per pœnitentiam non retractaverit. Unde meritò sacra Facultas Parisiensis anno 1665. contrariam opinionem declaravit falsam, temerariam, scandalosam, & Sacramento Pœnitentiæ injuriosam. Quæstio itaque solùm esse potest de eo, qui Christiane vixit, vel post peccatum pœnitendi spatium habuit, sed nullum signum doloris dedit, an in extremo illo vitæ periculo possit absolvi?

R. Duæ sunt oppositæ Theologorum sententiæ.

Prima affirmat non solum posse, sed etiam debere absolvi; nititurque 1. auctoritate S. Augustini, qui libro 1. de adulterinis conjugiis, cap. 28. scribit, catechumenos, vel pœnitentes, qui adulterina retinent consortia, baptizandos, vel reconciliandos esse, si in infirmitate positi vocis & rationis usum subitò amiserint: *Baptizandos puto*, inquit, *ut etiam hoc peccatum* (adulteri) *cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit, utrum fortassis adulterinæ carnis illecebra usque ad Baptismum statuerant detineri? . . . . . quæ autem Baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit: nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

2. Auctoritate quarundam Ecclesiarum, ut Ecclesiæ Lemovicensis in Statutis Synodalibus anno 1620. cap. 21. in quo sic habetur: *Poterit quoque idem applicari remedium ei, qui judicio, omniumque sensuum usu statim captus est, non petita pœnitentia, nulloque signo contritionis edito . . . . . . licet hoc in*

*casu nihil de absolutionis effectu promittere possimus. Sed animarum salvandarum causa nullum remedium ommittere debemus, quod Deus potestati nostræ commisit.*

3. Ratione; quia in casu extremæ necessitatis, si desit remedium indubitatum, adhibendum est dubium: atqui Sacramentum Pœnitentiæ in nostra hypothesi est remedium dubium: ergo est adhibendum.

Major constat apud omnes & supra à nobis est probata. Minorem negant patroni oppositæ sententiæ, contenduntque Sacramentum in iis circumstantiis collatum non esse dubium, sed prorsus irritum. Quare

Minor probatur: ideo Sacramentum Pœnitentiæ in ejusmodi circumstantiis collatum esset irritum & nullum; quia deesset materia ejus essentialis: nempe contritio sensibilis: atqui 1. non constat apud omnes Theologos contritionem esse partem essentialem Sacramenti, cùm tota Scotistarum Schola doceat eam esse dumtaxat dispositionem præviam & necessariam: ergo Sacerdos ex illa opinione, quam tot celebres Theologi propugnant, saltem dubitare potest an valeat Sacramentum; & in ejusmodi dubio æque tenetur illud conferre, ac Sacramentum Extremæ Unctionis, quod juxta universalem Ecclesiæ disciplinam, in nostra hypothesi administrandum est. 2. Certum non est in illo moribundo deesse contritionem; nisi enim conjectaretur, Sacramentum Extremæ Unctionis non esset ei conferendum, sicut revera non convertur illi, qui in ipso actu criminis sensibus destitutus est.

Nec

Nec dicas neceſſum non eſſe ad Sacramentum Extremæ Unctionis, ut contritio ſit ſenſibilis, ſicut ad Sacramentum Pœnitentiæ, cujus eſt pars eſſentialis, ac proinde debet eſſe ſignum ſenſibile. Namque 1. plures Theologi, ut Scotiſtæ, negant contritionem eſſe partem Sacramenti. 2. Neceſſe non eſt ut pars Sacramenti actu percipiatur ſenſibus; ſed ſatis eſt ut percipi poſſit, Sacerdos v. g. qui conjectaret adeſſe panem, qui revera adeſt, proferretque verba conſecratoria, validè conſecraret, quamvis nec viſu nec tactu panem perciperet. Quis autem affirmaverit iſtum moribundum, dum eſſet rationis compos, pro peccatis ſuis Deum non oraſſe, genua non flexiſſe, pectus non tutudiſſe in ſignum doloris? Quot ergo rationes ſperandi, licet cum aliqua formidine, validam fore abſolutionem, ideoque impertiendam, cum in extremis dubia adhiberi debeant remedia, ſi deſint indubitata.

Oppoſita ſententia negans in propoſito caſu concedendam abſolutionem, hæc profert momenta.

1. Nullum extat veſtigium in Traditione, abſolutionis conceſſæ homini, qui nullum dedit pœnitentiæ ſignum, quin Concilia & Patres ſupra laudati, omneſque libri Rituales communiter præſcribunt ejuſmodi moribundos eſſe reconciliandos, modò adſint teſtes, qui Sacerdotem certiorem faciant eos Sacramentum poſtulaſſe. Nec teſtimonium Sanct. Auguſtini à patronis oppoſitæ ſententiæ laudatum ipſis favet; agit enim S. Doctor de peccatoribus, qui per publicam pœnitentiam expiabantur, vultque piè credendum eos omnem carnalem affectum è cordibus expuliſſe, quam-

quamvis nondum concubinas actu & de facto è domibus suis ejecissent.

2. Sacramentum Pœnitentiæ celebratur in forma judicii reconciliativi, quod necessario constat ex sententia Judicis, & peccatoris confessione, ac contritione : atqui in moribundo, de quo est sermo, nulla confessio, nequidem implicita, nulla contritio sensibilis, ergo Sacramentum Pœnitentiæ non potest illi conferri.

3. Cum sequens propositio ad sacram Facultatem Parisiensem delata fuisset an. 1665. *Talis infirmus, qui amisit loquelam, vel usum rationis, si bene vivebat, & frequentabat confessionem, communionem, quamvis non petierit Sacramenta, quia ex insperato talia acciderunt, debet præsumi contritus, & faciente aliquo confessionem generalem pro eo, sicut fit in populo, Sacerdos faciat absolutionem ab omni sententia & peccato :* Sic autem de ista propositione censuit sacer Ordo, *Doctrina hujus propositionis universim & absolute sumpta, est in praxi periculosa.* Quibus verbis videtur non excludere quosdam particulares casus, in quibus ejusmodi moribundi absolvi fortè possent absque periculo, v. g. si plures naufragio perirent ; dubium quippe non est quia ex iis aliqui absolutionem exoptent, peccatores se confiteantur, & à Deo veniam petant.

Quæ ex oppositis sententiis in praxi sit præferenda, nostrum non est definire, maxime, cum experti simus Episcopos, eosque Parisienses Theologos non unius esse sententiæ circa præsentem quæstionem ac mandasse Sacerdotibus sibi subditis, alios ut in casu de quo est sermo impertirent absolutionem, alios ut denegarent; maxime cum

præ-

præſto ſit Extrema Unctio, quæ vim habet delendi peccata, etiam lethalia, ſi per abſolutionem remitti nequeant.

# CAPUT XII.

## *De Effectibus Sacramenti Pœnitentiæ.*

Q. 1. *Qui ſunt effectus Sacramenti Pœnitentiæ?* R. Quinque numerantur. 1. Remiſſio peccati & pœnæ æternæ. 2. Immunitio pœnæ temporalis pro majori, vel minori diſpoſitione pœnitentis. 3. Redintegratio amicitiæ cum Deo per peccatum violatæ. 4. Reſtitutio & reviviſcientia, ut loquuntur, virtutum ac meritorum, quæ per peccatum fuerant deperdita. 5. Auxilia actualia, ſeu jus ad illa accipienda tempore opportuno, quibus peccator juſtificatus poſſit deinceps vitare peccata, & in bono proficere, ac perſeverare.

Primus & ſecundus effectus probantur ex iis, quæ in hocce Tractatu diſputata ſunt; nihilque nobis occurrit, quod adjici debeat.

De tertio effectu plura, & quidem gravis momenti hic eſſent dicenda, ut eluceat ſtupenda mutatio, quæ per abſolutionem validam fit in peccatore, dum recipitur in priſtinam Dei amicitiam; niſi iſta maximo quo potuimus ſtudio expoſuiſſemus, Tractatu de Gratia, ubi de juſtificatione à pag. 390. ad pag. 430. ad quæ operæ pretium eſt recurrat Lector, qui perſpectam hujus Sacramenti virtutem habere, eamque Fideles docere voluerit. Ibi quoque à pagina 451. & ſeq. ſup-

ſuppeditantur indicia, quibus conjectare liceat utrum collata, vel percepta abſolutio effectum conſecuta fuerit.

Circa quartum autem & quintum effectum nonnulla ſunt elucidanda. Itaque

Q. 2. *Reviviſcuntne virtute abſolutionis bonorum operum merita per ſubſequens peccatum mortificata?*

Nota triplex à Theologis operum genus diſtingui; alia ſcilicet ſunt mortifera, alia mortua, alia mortificata.

Opera mortifera ſunt peccata mortalia, quæ ſeparant à Deo, & charitatem excludunt, qua vivit anima: *Vita corporis anima eſt*, inquit Sanctus Auguſtinus ſerm. 65. *vita animæ Deus eſt. Sicut adeſt vita corporis, id eſt, anima, ne moriatur corpus: ſic debet adeſſe vita animæ, hoc eſt Deus, ne moriatur anima.*

Opera mortua ea ſunt, quæ homo ex gratia elicit in ſtatu peccati mortalis; cùm enim opera illa careant habituali gratia; ſeu charitate, quæ eſt vita animæ, rectè dicuntur opera mortua.

Opera mortificata dicuntur ea, quæ ex gratia, facta ſunt ab homine juſto priuſquam lapſus eſſet in peccatum mortale, quo ejuſmodi operibus vita adimitur.

Non agitur hic de operibus mortiferis, cùm vitæ ſint incapacia, illamque formaliter excludant.

Certum eſt opera mortua non reviviſcere; quod enim nunquam vixit, reviviſcere non poteſt: atqui opera mortua nunquam vixerunt, cùm facta ſint ſine charitate.

Quæſtio igitur eſt dumtaxat de operibus mortifica-

tificatis, utrum ſcilicet per abſolutionem reviviſcant?

Negarunt quidam Veteres, ut refert ſanctus Thomas 3. parte, quæſt. 89. artic. 5. ſed cum Theologorum turba

R. Opera mortificata per veram abſolutionem reviviſcunt, non quidem quaſi actio ipſa tranſiens, ſecundum ſuum eſſe redeat, quod eſt impoſſibile; ſed quod meritum illius à Deo imputetur pœnitenti ad ſalutem.

Probatur ex Scriptura & Sanctis Patribus.

Joelis 2. ait Dominus: *Convertimini ad me in toto corde veſtro . . . . . & reddam vobis annos, quos comedit locuſta, bruchus, & rubigo, & eruca;* quod Sanct. Hieronymus interpretatur de meritis per pœnitentiam recuperatis: *Annos*, inquit, *quos perturbationibus ante regnantibus perdideratis in vobis, quando opera veſtra locuſta, bruchus, rubigo, erucaque conſumpſerant, Deus vobis perire non paſſus eſt; tunc comedetis fructus juſtitiæ, & ſanabimini, & laudabitis nomen Domini Dei veſtri, qui fecit vobiſcum mirabilia*. Galat. 3. *Tanta paſſi eſtis ſine cauſa, ſi tamen ſine cauſa.* Quibus poſterioribus verbis ſignificat Apoſtolus, Galatas, qui à fide defecerant, præmium priſtinorum laborum recepturos, ſi ad ſaniorem mentem redirent, ut advertit S. Hioronymus in hunc locum, ubi ſic habet: *Quicumque ob Chriſti fidem laboraverit, & poſtea lapſus fuerit in peccatum, ſicut priora dicitur paſſus fuiſſe, dum peccat; ſic rurſum non perdet ea, ſi ad priſtinam fidem, & antiquum ſtudium revertatur.*

S. Ambroſius de filio prodigo: *Vide*, inquit, *quam bonus Deus, & facilis indulgere peccatis, non ſolum ablata reſtituit, ſed etiam inſperata concedit.*

Dices:

Dices : Ezech. 18. *Si averterit se justus à justitia sua . . . . omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur :* Ergo.

Distinguo antec. Si averterit se, & impœnitens in iniquitate sua moriatur, ut ibidem dicitur, Conc. Si averterit se, & facti pœnitens ad Deum convertatur, Nego antec. Habetur enim vers. 22. *Omnium iniquitatum ejus quas operatus est, non recordabor, in Justitia sua, quam operatus est, vivet.*

Q. 3. *Reviviscentia bonorum operum estne proprietas à justificatione inseparabilis, quemadmodum risivum à rationali, & virtutes infusæ à gratia sanctificante?*

R. Minimè ; ex eo enim quod Deus veniam peccatori concedat, eumque in suam amicitiam recipiat, non necessario sequitur ipsi imputanda piorum operum merita, ut patet exemplo Aulici, qui post offensam redit in gratiam Principis, & consuetam familiaritatem, nec tamen in pristinam dignitatem, alteri jam forte collatam, restituitur; novumque censetur Regis beneficium, si ipsi alia similis conferatur. Sic Ecclesiæ Pastores constituerunt, ne quisquam post publicam alicujus criminis pœnitentiam Clericatum accipiat, vel ad Clericatum redeat, ut observat S. Augustinus epist. 185. alias 50. Mera est igitur Dei liberalitas, quod ita absolvat peccatorem, ut ei imputet ad vitam æternam merita, quæ ante peccatum comparaverat.

Q. 4. *Reviviscuntne merita in eodem perfectionis gradu?*

Certum est merita non posse redire in eodem perfectionis gradu, quin simul gratia sanctificans, & virtutum dona quibus pœnitens ante lapsum

ornatus fuerat, in eodem gradu reſtituantur, quia major gloria reſpondet majori gratiæ & charitati; nec poteſt fieri, ut quis habeat merita ac gloriam ampliorem cum minori ſanctitate, & charitate.

Ut igitur huic quæſtioni fiat ſatis, expendendum eſt, utrum gratia ſanctificans, virtutum dona, & bonorum operum merita per abſolutionem reviviſcant in ea perfectione, quæ lapſum præceſſerat. Cùm autem nec Scriptura, nec Traditio quæſtionem dilucidè definiant, Theologi in varias abeunt partes, & unuſquiſque opinatur ut veriſimilius ſibi videtur, ne dicam, prout affectus eſt.

Prima ſententia contendit gratiam ſanctificantem, virtutes, & bonorum operum merita per quamcunque Pœnitentiam, modo ſufficiens ſit ad obtinendam abſolutionem, ſemper reviviſcere in eadem perfectione.

Secunda priori formaliter contraria, negat gratiam ſanctificantem & virtutes per præcedens peccatum deperditas ullatenus reviviſcere; vultque pœnitentem virtute abſolutionis gratiam recipere duntaxat pro modo ſuæ diſpoſitionis. Quod ſi quæras à patronis hujuſce opinionis, quomodo ergo bonorum operum merita reviviſcant ad vitam æternam (ut omnes Theologi communiter aſſerunt) ſiquidem viſio beatifica, quæ eſt vita æterna, Joan. 17. Reſp. gratia ſanctificanti, nec poterit quis eſſe major in gloria, ſi ante mortem in charitate minor fuerit, ut jam obſervavimus. Reſpondent non reviviſcere merita ad gloriam eſſentialem, quæ in viſione beatifica conſiſtit; ſed ad accidentalem duntaxat, quam reponunt

in

in gaudio ſpeciali, quod pœnitens percipiet ex bonis operibus, quæ lapſum præceſſerunt.

Sed iſta expoſitio adverſatur communi Theologorum ſententiæ de reviviſcentia bonorum operum virtute abſolutionis; nam pœnitens nondum reconciliatus, imo quivis peccator delectatur conſcientia recte facti. Unde ſic conficitur argumentum. Abſolutio ſacramentalis mortificata opera vivificat, & merita per peccatum ſubſequens amiſſa reſtituit: atqui per peccatum nec conſcientia bonorum operum, nec gaudium naturaliter inde conſequens perdita ſunt; ergo in illis reponenda non eſt reviviſcentia, quam Patres & Theologi laudant tanquam ſingulare Dei beneficium, & mirabilem abſolutionis effectum.

Tertia ſententia, quæ via incendit media inter duo illa extrema, docet pœnitentem, præter gratiam ſanctificantem, quæ reſpondet ejus pœnitentiæ, accipere inſuper gradus gratiæ & virtutum quas per lapſum amiſerat; & bonorum operum præcedentia merita ei imputari ad vitam æternam, & præmium eſſentiale pro intenſiori, vel remiſſiori pœnitentia: cui ſententiæ ſubſcribendum videtur. Quare ad propoſitam quæſtionem

R. Gratia ſanctificans, virtutum dona, & bonorum operum merita, per abſolutionem reviviſcunt, pro majori, vel minori peccatoris pœnitentia, ita ut ſi pœnitentia ejus fuerit maxime vehemens & intenſa, per abſolutionem recuperet quidquid gratiæ & meriti per peccatum amiſerat; ſi verò fuerit admodum remiſſa, parum, vel etiam forte nihil, ex iis reparet.

Probatur 1. auctoritate Concilii Tridentini, sess. 14. cap. 2. ubi expressè docet lapsos post baptismum, non nisi per acrem & incensam pœnitentiam resurgere ad integram sanitatem, à qua per peccatum exciderunt: *Ad quam*, inquit, *novitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus & laboribus divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus.*

Probatur 2. ex S. Thoma 3. part. quæst. 89. art. 2. in quo sic habet: *Contingit autem intensionem motus pœnitentis quandoque proportionatam esse majori gratiæ, quam illa, à qua exciderat per peccatum: quandoque autem æquali, quandoque vero minori. Et ideo pœnitens quandoque resurgit in majori gratia, quam prius habuerat, quandoque autem in æquali, quandoque etiam in minori.* Et in responsione ad secundum: *Pœnitentia, quantum est de se, habet virtutem reparandi defectus ad perfectum, & etiam promovendi in ulteriorem statum. Sed hoc quandoque impeditur ex parte hominis, qui remissius movetur in Deum, & in detestationem peccati.* Et artic. 5. ad 3. *Qui per pœnitentiam resurgit in minori charitate, consequetur quidem præmium essentiale, secundum quantitatem charitatis, in qua invenitur. Habebit tamen gaudium majus de operibus in prima charitate factis, quam de operibus, quæ in secunda fecit; quod pertinet ad præmium accidentale.*

Probatur 3. ratione triplici. 1. Opposita sententia in praxi est perniciosa; fovet enim pœnitentium inertiam, è pectoribus excludit voluntariam sui dejectionem, ac consequenter veram pœnitentiam cap. 9. *Est prosternendi & humilificandi hominis disciplina*: ut quid enim mœrore animum dejiceret, apud Deum ingemisceret, jejuniis preces aleret,

aleret, qui præsumit sibi brevi lacrymula, & præteritorum flagitiorum displicentia etiam remissa restituendam ingentem meritorum copiam, quam ante horrendos lapsus comparaverat, & ideo anteponendum fore pluribus aliis: qui non ita fœde in voluptatum cœno volutati sunt? Illud absurdum amplius patefiet sequenti ratione.

2. Igitur supponamus duos homines justos, quorum alter vitam arctiorem, & asperiorem profitetur, alter paulo laxiorem, & ambos in laudabili agendi instituto per decennium perseverasse, quo elapso, posterior moriatur, prior verò omni flagitiorum generi se addicat, donec morti proximus per remissam pœnitentiam ad Deum revertatur. Ille, juxta oppositam sententiam, subito evadit altero longe sanctior, Deo acceptior, propter intensas virtutes & copiosa merita, quæ lapsum præcesserunt, & integre revivifcunt, ac consequenter majori gloria, ac felicitate est donandus. Atqui illud, omnium judicio, est longè absurdissimum; ergo virtutes & merita integre non revivifcunt, nisi per intensam contritionem, & dignos pœnitentiæ fructus. De iis, qui post gravia delicta sic ad Deum redeunt, intelligendum scribit Sanct. Gregorius hom. 34. in Evangel. quod legitur, Luc. 15. majus gaudium esse in cœlo de peccato pœnitente, quam de justo stante: *Quia*, inquit, *Dux in prælio plus eum militem diligit, qui post fugam reversus, hostem fortiter premit, quam illum, qui nunquam terga præbuit & nunquam aliquid fortiter gessit. Sic agricola illam amplius terram amat, quæ post spinas, uberes fruges profert, quam eam, quæ nunquam spinas habuit, & nunquam fertilem messem producit.*

Tertia ratio ducitur ab experientia eorum, qui per pœnitentiam ſurgunt è cœno vitiorum, in quod è ſtatu eximiæ virtutis, veluti è cœlo turpiter ſe immerſerant, ut ſtatus Religioſi deſertores. Si quorundam ex iis pœnitentia fuit intenſa ac vehemens, vel ipſo ſenſu percipitur in illis priſtinam charitatem, cæteraſque virtutes revixiſſe, ideoque meliores eſſe pluribus juſtis, qui non indigent pœnitentia: *Ex ipſo enim ſuo dolore compuncti*, inquit S. Gregorius citata homilia 34. *inardeſcunt in amorem Dei, ſeſeque in magnis virtutibus exercent, honores fugiunt, acceptis contumeliis lætantur, flagrant deſiderio, ad cœleſtem patriam anhelant;* concupiſcentiam, cui habenas laxaverant, fortiter comprimunt, & vitioſos habitus longa conſuetudine contractos, quaſi ſentes in animo radicatas, ſolicite evellunt contrariis operibus. Qui verò fuerunt in pœnitentia remiſſi, cernuntur ægre ad pietatis opera ferri, calcaribus indigent vixque diſciplina eos ab aſſuetis coercet, rara illorum compunctio, oratio ſine devotione, tepida converſatio, animalis cogitatio, ut loquitur ſanctus Bernardus. Quis autem ejuſmodi pœnitentes illis anteponat juſtis, *qui tanto ſibi in rebus licitis uſum præbent*, inquit ſanctus Gregorius citata homilia, *quanto ſe perpetraſſe nulla illicita meminerunt;* audeatque aſſerere in iis præter charitatem reſpondentem remiſſæ illorum pœnitentiæ, priorem revixiſſe in eodem perfectionis gradu, cùm certum ſit magnam charitatem otioſam non eſſe, ſed magna operari?

Q. 5. *Si quis poſt pœnitentiam iterum labatur, reviviſcuntne etiam peccata per abſolutionem remiſſa?*

R. Non

R. Non redeunt formaliter, ſed virtualiter dumtaxat.

Prima pars probatur; Quia in peccato tria ſpectari poſſunt. Primum, actio ipſa inordinata. Secundum, reatus culpæ, ſeu macula peccati ex actione inordinata in anima remanens. Tertium, reatus pœnæ æternæ, atqui nihil horum formaliter reviviſcit per lapſum recidivum: ergo.

Minoris veritas elucebit in hypotheſi quod pœnitens poſtea lapſus ſit ex præſumptione, & peccatum ejus prius per abſolutionem deletum fuerit deſperatio; in illa quippe hypotheſi præſumptio 1. Revocare non poteſt actum deſperationis, cum illum formaliter excludat. 2. Non inducit maculam deſperationis, utpote peccati ſibi oppoſiti; abſurdum enim eſt dicere eum, qui præſumpſit, reum eſſe deſperationis. 3. Non ſuſcitat prioris peccati dimiſſi reatum pœnæ æternæ; quia reatus ille eſt inſeparabilis à reatu culpæ repugnatque eum, qui immunis eſt à macula peccati deſperationis, reum eſſe pœnæ æternæ peccato deſperationis debitæ: ergo peccata per abſolutionem dimiſſa, formaliter non redeunt per lapſum recidivum.

Nec dicas lapſum recidivum non eſſe quidem cauſam phyſicam reviviſcentiæ, propter rationem allatam; ſed poſſe dici cauſam moralem, quatenus lapſus recidivus meretur, ut Deus revocet gratiam ſub conditione conceſſam; modo pœnitens iterum non labatur. Ne, inquam, hoc dicas; quia Deus non poteſt reſtituere peccatum deletum, ſicut reſtituit virtutes per ſubſequens peccatum extinctas, alioquin eſſet auctor peccati.

 Secun-

Secunda pars, nempe peccata per absolutionem remissa, virtualiter seu æquivalenter redire per lapsum recidivum, probatur; quia, ut peccatum dimissum verè dicatur virtualiter revivìscere, satis est quod subsequens contrahat ex illo circumstantiam, quæ malitiam ejus multum aggravet, & peccatorem obnoxium reddat acerbiori supplicio. Sic in judiciis humanis fur jam mulctatus, si furtum iteret, pejor judicatur, nec virgis cæditur sicut prius, sed suspendio suffocatur. Atqui lapsus recidivus ex peccatis per absolutionem dimissis contrahit specialem malitiam graviori pœna plectendam, & quidem triplici de causa.

Primo, qui iterum labitur, non potest obtendere ignorantiam, quæ peccatum non parum minuit, nec habet partem in oratione Domini nostri: *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt*, Luc. 23. in pœnitentia quippe intellexit quam amarum sit dereliquisse Dominum, quam fallaces voluptatum terrenarum illecebræ, propriam exhorruit insaniam, ingemuit, coram Deo se dejecit, & lacrymatus est; veniam non solum concessit pius Pater, sed insuper stolam sanctitatis & omnium virtutum ornamenta statim protulit, & ad spirituales delicias admisit, ut non fide tantùm, sed & experimento disceret quanta sit felicitas adhærere Deo & mandatis ejus. His momentis Apostolorum Princeps epist. 2. cap. 2. exagitat eos, qui post actam pœnitentiam peccatis se iterum implicant: *melius enim erat illis*, inquit, *non cognoscere viam justitiæ, quàm post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato; contigit enim eis illud veri proverbii: Canis reversus*

*ſus ad vomitum, & ſus lota in volutabro luti.* Apoſtolus quoque Paulus Hebr. 6. valde exaggerat hancce peccati recidivi circunſtantiam : *Impoſſibile eſt enim*, inquit, *eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus Sancti . . . . . & prolapſi ſunt; rurſus renovari ad pœnitentiam.* Explicuimus ſuo loco, quo ſenſu vox, *impoſſibile*, ſit accipienda.

Secundo, S. Thomas & omnes Theologi in peccato recidivo agnoſcunt ingratitudinem ex peccatis dimiſſis exurgentem, quæ illud multum aggravat: *Dicendum*, inquit Angelicus Doctor 3. part. quæſt. 88. art. 2. *quod peccata dimiſſa per pœnitentiam redire dicuntur, in quantum reatus eorum, ratione ingratitudinis; virtualiter continetur in peccato ſequenti.* Et in 4. diſt. 21. artic. 2. quæſt. 3. ait: *Quanto fuerunt peccata dimiſſa graviora, tanto fuit beneficium remiſſionis majus, & quanto beneficium fuit majus, tanto ingratitudo major; & ſic aliquo modo quantitas reatus præcedentium peccatorum manet in ingratitudine recidivi.*

Tertio, ex peccatis dimiſſis exurgit in iterata prolapſione contemptus Dei, cujus pondus Tertullian. appendit lib. de pœnit. cap. 5. graviſſimis hiſce verbis : *Dei dono contumeliam facit: deſpicit datorem, cum datum deſerit: negat beneficium, cum beneficium non honorat . . . . . . Cæterum non leviter in Dominum peccat, qui cùm æmulo ejus diabolo pœnitentia renuntiaſſet, & hoc nomine illum Domino ſubjeciſſet, rurſus eundem regreſſu ſuo exigit, & exultationem ejus ſeipſum facit, ut denuo Malus, recuperata præda ſua; adverſus Dominum gaudeat. Nonne (quod dicere quo-*

*que periculosum est, sed ad ædificationem proferendum est) diabolum Domino præponit? Comparationem enim videtur egisse, qui utrumque cognoverit, & judicato pronuntiasse eum meliorem, cujus se rursus esse maluerit. Ita qui per delictorum pœnitentiam instituerat Domino satisfacere, diabolo per aliam pœnitentiæ pœnitentiam satisfaciet, eritque tanto magis perosus Deo, quanto æmulo ejus acceptus.*

Porro cum pro modo culpæ debeat esse pœnæ modus, mirum non est, quod Scriptura graviora minetur eis, qui post pœnitentiam iterant peccata, quam iis, qui primo peccaverunt, ut 2. Petr. cap. 2. *Facta sunt eis posteriora pejora prioribus.* Et ipse Dominus ad Paralyticum, cui sanitatem corporis simul & animæ restituerat. Jo. 5. *Vade, noli amplius peccare, ne deterius tibi contingat.* Et Luc. 11. aperit quæ pœna ejusmodi relabentem maneat non solum in futuro sæculo, sed etiam in præsenti, nimirum longe durior servitus sub tyrannide dæmonis, qui, Deo permittente & deserente, revertitur cum septem spiritibus nequioribus se, *& fiunt novissima hominis illius pejora prioribus.* Enimvero experientia quotidiana docet idem fere ei contingere quod Samsoni, à quo pristina fortitudo discesserat, Judic. 16. v. 20. nova illa vincula ægre admodum dissolvere, nec posse ea facilitate, qua prius moveri ad pœnitentiam; quia *ingratitudo*, inquit Sanct. Bernardus serm. 51. in Cantica, *inimica est animæ, exinanitio meritorum, virtutum dispersio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus urens, siccans sibi fontem pietatis, rorem misericordiæ, fluenta gratiæ.* Denique ex Apostolo, Hebr. 6. *impossibile est enim eos* (saltem

mora-

moraliter) *qui ſemel ſunt illuminati . . . . , & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.*

Q. 6. *Utrum per lapſum recidivum ſemper conſurgat tantus reatus, quantus fuerat peccatorum prius dimiſſorum?*

Reſp. Sanct. Thomas 3. p. quæſt. 88. art. 3. quoſdam ita cenſuiſſe, ſed immerito; quia *quandoque peccatum mortale ſequens eſt multo minus quolibet peccatorum prius dimiſſorum* adulterium, v. g. præceſſerat, & ſimplex fornicatio ſubſequitur: atqui ſimplex fornicatio conjuncta cum ingrati animi vitio, non eſt peccatum æque grave, ac adulterium: *Unde manifeſtum eſt*, inquit, *quod non eſt neceſſe, quod propter ingratitudinem ſemper per peccatum ſequens redeat tantus reatus, quantus fuit præcedentium peccatorum: ſed neceſſe eſt quod proportionaliter, quanto peccata prius dimiſſa plura fuerunt & majora, tanto redeat major reatus per qualecunque ſequens mortale peccatum.*

Ex his colliges quid ſentiendum ſit de iis, qui propter iteratam prolapſionem mutant Confeſſarium, rati eum propterea difficilius conceſſurum abſolutionem, nimirum eos teneri, ſaltem in hujuſmodi circumſtantiis, aperire ingrati animi vitium ex lapſu recidivo contractum. Ita Suarez ſect. 1. ad articulum quartum hujuſce quæſtionis 88. ſancti Thomæ, quamvis exiſtimet hocce ingrati animi vitium non ita aggravare, ut ſemper neceſſe ſit illud Confeſſario exponere; quia in noſtra hypotheſi intereſt Confeſſarii noſcere ſtatum pœnitentis, ut judicet an differenda ſit abſolutio, necne, aut injungenda fortiora remedia contra recidivum peccatum. Unde Innocentius Undecimus,

cimus, & Clerus Gallicanus supra laudati; damnarunt quorundam Modernorum sententiam, qua asserebant pœnitentem non teneri aperire peccandi consuetudinem.

Dices 1. Libri 3. Regum cap. 17. mulier Sareptana Eliam sic alloquitur: *Quid mihi & tibi, vir Dei, ingressus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ?* ergo reatus peccatorum remissorum integre reviviscit per peccatum subsequens.

Nego conseq. Namque 1. verba illa commode intelligi possunt de peccatis nondum dimissis, quorum pœna fuerat dilata; sicut Deus ad preces Moysis distulit vindictam peccati idololatriæ Judæorum, Exodi 32. vers. 14. & 24. adeo ut verborum illorum sensus sit, quid à me peccatum est in te, vir Dei, ut Deus interficeret filium meum, & apparerent iniquitates meæ quasi oppositæ lumini sanctitatis tuæ, ac divinis oculis intolerabiles redderentur? Sic Sanctus Petrus agnoscens divinam Christi potentiam in captura piscium, Luc. 5. tremore correptus ad genua ejus procidit exclamans: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine.*

Si verba illa accipiantur de peccatis dimissis, loquitur mulier de pœna temporali iis debita, & & ad præsentiam Eliæ accelerata.

Instabis: Si Deus animadvertit pœna temporali propter peccatum jam dimissum, quidni, & pœna æterna puniret eum, qui, cum nondum plene satisfecisset pro peccatis per absolutionem dimissis, iterum lapsus est, & sine pœnitentia defunctus?

R. Du-

R. Duplex est Theologorum ſententia circa pœnas temporales, quæ ſuperſunt ab illo eluendæ. Alii cenſent peccatum dimiſſum in illa hypoteſi in æternum caſtigatum iri, ſed per accidens, non vero per ſe, quemadmodum ſupra diximus propter peccatum veniale, cui non debetur niſi pœna temporalis, conjunctum tamen cum mortali, damnatum pœnas æternas eſſe daturum, quia in inferno nulla fit remiſſio. Alii contra probabilius exiſtimant illud reſiduum pœnæ temporalis æque in inferno ac in Purgatorio poſſe deleri; quia pœnæ ſive Purgatorii, ſive inferni non ſunt ſatisfactiones, ſed ſatiſpaſſiones. Unde ſi damnatus ſatis paſſus ſit quoad reatum pœnæ temporalis, non fit ei remiſſio, ſi pœna ſub iſto reſpectu deſinat, quando ſatis paſſus eſt, nec quidquam abſurdi videtur Sancti Thomæ in 4. diſt. 22. quæſt. 1. art. 1. ad 5. *Quod quantum ad aliquid accidentale, pœna inferni minuatur usque ad diem judicii.* Alia eſt ratio peccati venialis; quia cum ejus macula & rubigo calore ignis inferni detergi nequeat, neceſſe eſt ut in æternum puniatur.

Dices 2. Matth. 18. Dominus debitum jam à ſe dimiſſum repetit à ſervo crudeli in conſervum ſuum, minaturque ſe idem præſtiturum nobis, niſi fratribus culpas condonemus: *Ex quibus dictis,* inquit Sanctus Gregorius lib. 4. Dial. cap. ult. *conſtat, ſi hoc quod in nos delinquitur, ex corde non dimittimus, & illud rurſus exigitur quod jam per pœnitentiam dimiſſum gaudebamus.* Et Sanct. Auguſtinus ſer. 83. alias 15. de verbis Domini cap. 6. *dicit enim Deus: Dimitte, & dimittetur tibi. Sed ego prior dimiſi, dimitte, vel poſtea. Nam ſi non dimiſeris, revocabo te,*

*&*

*& quidquid tibi dimiſeram replicabo tibi. Non enim mentitur Veritas, non enim fallit, aut fallitur Chriſtus.* Ergo.

Diſtinguo antec. Quidquid dimiſſum fuerat, exigitur, replicatur & revocatur virtualiter & æquivalenter, Conc. Formaliter, Nego antec. Itaque ſi quis ex corde fratri ſuo acceptam injuriam non dimittit, Deus quidem delatam peccati maculam non reſtituit; illud enim eſſe impoſſibile jam demonſtravimus; ſed propter ingrati ejus animi duritiam abſolutionis ſententiam aliquo ſenſu eoque vero revocat. Nimirum dixerat pœnitenti, non morieris; nunc illum damnat ad mortem: ſolverat ejus vincula, nunc illum addicit tortoribus in æternum cruciandum: illi præſtiterat quo deinceps non peccaret, ſi vellet; Sacramentum enim jus tribuit ad ſpecialia auxilia, quibus pœnitens facilius in bono perſeverare poſſit: nunc aufert illi opportuniora illa ſubſidia, eumque in tot ſcelera nonnunquam labi patitur, ut reus evadat non ſecus ac ſi præteritorum criminum veniam non eſſet aſſecutus. Et ita non immerito dicitur Deum propter lapſum recidivum revocare conceſſam gratiam, exigere, ac repetere debitum prius à ſe remiſſum.

Dixi Sacramentum pœnitentiæ jus tribuere ad ſpecialia auxilia, quibus pœnitens in bono perſeverare poſſit; ut enim ait S. Auguſtinus lib. de nat. & grat. cap. 26. *Sanat Deus non ſolùm ut deleat quod peccavimus, ſed ut præſtet etiam ne peccemus*, & hic eſt inſignis effectus Sacramenti, quod non ſolùm animæ febres depellat, ſed etiam arceat, quod

quod præcipuum eſt in arte medica; febrem enim ad tempus ſiſtere poteſt circunforaneus Medicus: at ſervare ex toto à novis ejus acceſſionibus, ſolius eſt periti Medici. *Duo ſunt officia medicinæ; unum quo ſanatur infirmitas, alterum quo ſanitas cuſtoditur. Ibi infirmus, ut liberetur; hic ſanus, ne corrumpatur, orat*, Sanct. Auguſtinus in Pſalm. 7. Atqui ex S. Thoma 3. p. quæſt. 65. art. 1. Chriſtus inſtituit Sacramentum Pœnitentiæ uti ſpiritualem medicinam contra animæ morbos, in quos illa quantocius recideret, niſi virtute Sacramenti muniretur; quia *licet per gratiam ſanetur quantum ad mentem*, inquit Sanctus Thomas 1. 2. quæſt. 109. art. 9. *remanet tamen in ea corruptio & infectio quantum ad carnem ..... Et ideo neceſſe eſt nobis, ut à Deo dirigamur & protegamur.* Jus autem confert Sacramentum ad ſpecialia auxilia tempore opportuno accipienda; unde vocatur à Sancto Auguſtino in Pſalm. 7. juſtum adjutorium, *hic juſtum auxilium eſt, quod jam juſto tribuitur.* Sed cum fundetur in gratia ſanctificante, ut probavimus tractatu de Sacramentis in genere, cap. 17. &c. amittitur, dum pœnitens per peccatum mortale ab ea excidit.

Neque vero inde colligas peccatorem per lapſum recidivum omni prorſus gratia deſtitui, & in veram peccandi neceſſitatem induci; namque Tractatu de Gratia cap. 6. §. 7. fusè oſtendimus infideles negativos, & fideles induratos totaliter à Deo non deſeri; nec peccare neceſſariò. Deſeritur ergo dumtaxat commodioribus auxiliis, ſine quibus diu non perſeverabit abſque novo peccato, juxta tritum illud Sancti Gregorii effatum hom. 11. in Ezech. *Peccatum quod per pœnitentiam*

*tiam non deletur, ſuo pondere ad aliud trahit;* cui concinit S. Thomas 1. 2. q. 109. art. 8. *in ſtatu naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali ſanante naturam, ad hoc ut omnino à peccato abſtineat.*

Quod in prima editione hic objiciebatur, nunc habetur Tract. de Grat. cap. 6. §. 7. ubi agitur de gratia per ſe efficaci, quam objectio directè impetit.



Tra-



# Tractatus DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

Circa Sacramentum Extremæ Unctionis expendemus, 1. an exiſtat: 2. quæ ſit ejus materia: 3. quæ forma: 4. quis Miniſter: 5. quod ejus ſubjectum: 6. qui ejus effectus: 7. quæ ejus neceſſitas.

## CAPUT PRIMUM.

### De exiſtentia Sacramenti Extremæ Unctionis.

Q. 1. *Quinam erraverunt circa Sacramentum Extremæ Unctionis?*

R. 1. Waldenses XII. sæculo, Wiclefus XIV. & Joannes Hus, à quo Hussitæ XV. erraverunt quidem circa ritum Extremæ Unctionis; sed illam non expunxerunt ex albo Sacramentorum.

Probatur 1. Waldenses in Professione Fidei, quam obtulerunt Regi Uladislao, septem Sacramenta confitentur: *Sacramenta*, inquiunt, *septenario inclusa numero Ecclesiæ Christi utilia esse pandimus:* & in hac fide permanserunt donec à Calvinistis seducti fuere, quemadmodum probat Meldensis Episcopus Bossuetius. 2. Errores Wiclefi & Joannis Hus recensentur & damnantur in Concilio Constantiensi absque ulla mentione erroris, de quo hic agitur.

Errarunt ergo dumtaxat illi hæretici circa ritum, quo sacra illa unctione administratur in Ecclesia, nonnullaque carpserunt tanquam abusus, propter quos ipsum Sacramentum contemnebant.

Reynerius ait lib. de Valdensibus c. 5. *Sacramentum Unctionis reprobant, quia tantum divitibus datur, & propter plures Sacerdotes ibi necessarios.* Philedorfius lib. contra Valdenses, cap. 25. *Reprobant Valdenses Hæretici*, inquit, *consecrationes vestium Sacerdotalium .... aquæ baptismalis*, *chrismatis*, &c. Sed sicut non sequitur Calvinistas rejicere Baptismum, ex eo quòd improbent benedictionem aquæ baptismalis, & ritum, quo in Ecclesia celebratur; ita nec Valdenses rejecisse Sacramentum Extremæ Unctionis, quia reprehenderunt olei benedictionem, & alios ritus, quos Ecclesia observat in ejus administratione. Unde Innocentius III. epist. 65. præscripsit tantùm, ut Valdenses ab hæresi redeuntes hanc fidei professionem ederent *Unctionem infirmorum cum oleo consecrato veneramur.*

Nec

Nec aliud exigit Concilium Constantiense sessione ultima ab eo, qui suspectus esset de Hussitarum hæresi; sic enim illum interrogari jubet, *utrum credat quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum Confirmationis, Extremæ Unctionis, aut solemnizationis Matrimonii, peccet mortaliter?*

R. 2. Lutherus & Calvinus primi apertè negarunt XVI. sæculo Extremam unctionem esse Sacramentum propriè dictum; de ea enim sic scribit Lutherus lib. de captivitate Babylonica; *omitto enim quod hanc epistolam non esse Apostoli Jacobi, nec Apostolico spiritu dignam multi valde probabiliter asserant, licèt consuetudine auctoritatem, cujuscunque sit, obtinuerit. Tamen sit etiam esset Apostoli, dicerem non licere Apostolis sua auctoritate Sacramentum instituere, hoc enim ad Christum solum pertinebat.*

Calvinus lib. 4. Instit. c. 19. §. 18. *Fictitium* inquit, *Sacramentum est Extrema unctio, histrionica hypocrisis, quam citra rationem & sine fructu ad Apostolos referre volunt.* Nimirum contendit Hæreticus ille unctionem, de qua S. Jacobus, pertinuisse ad donum curationum, quod Apostoli non transmiserunt ad suos successores; ex quo concludit Sacerdotes hodiernos nimia temeritate & arrogantia uti ejusmodi unctione ad sanandos infirmos. Pudet Dallæum Pseudoministrum Calvinistam in Gallia Veteres insimulare hujusmodi præsumptæ hypocrisis, propterea que multis probare conatur in usu non fuisse apud eos Extremam unctionem. Sed Chamierius etiam Pseudominister in Gallia, lib. 4. de Sacram. c. 21. fatetur negari non posse, quin unctio a Veteribus adhibita fuerit infirmis, sed ut mera cæremonia propter mysticas significationes, *non imus inficias*, inquit, *neque enim tam*

*ignota nobis historia Ecclesiæ, sed quæstiones distinguimus: & quamvis credamus perperam continuatum usum post sublatum donum sanationum, sicut perperam continuata lumina medio die ex primo usu nocturno, & linguæ Latinæ ex Latinorum consuetudine: tamen non tam sumus faciles, ut persuaderi possimus omnes ritus usurpatos in Christianorum usu fuisse Sacramenta, vel eorum luminum exemplo, quorum necessitate manifeste sublata, necesse fuit allegorias comminisci.*

Q. 2. *Extrema unctio estne Sacramentum proprie dictum?*

R. Affirmative; idque fide divina credendum definit Concilium Tridentinum sess. 14. de Extrema unctione tribus canonibus, quibus proscribit tam Veterum, quam recentiorum errores. Primo quidem canone sic habet: *Si quis dixerit: Extremam unctionem non esse vere & proprie Sacramentum à Christo Domino institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit.* Secundo canone. *Si quis dixerit sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos, sed jam cessasse, quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.* Tertio canone: *Si quis dixerit Extremæ unctionis ritum & usum, quem observat sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ Beati Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum, posseque à Christianis absque peccato contemni, anathema sit.*

Probatur 1. Concilii definitio ex Scriptura, Jac. 5. *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini; & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei.* Ex quibus verbis sic conficitur argumentum: Quatuor

tuor sunt necessaria ad Sacramentum proprie dictum. 1. signum sensibile : 2. promissio gratiæ huic signo annexa : 3. institutio divina : 4. mandatum hujus signi, seu ritus observandi; atqui quatuor ista reperiuntur in laudatis Apostoli verbis, ergo in illis denotatur verum & proprie dictum Sacramentum.

Minor probatur quoad singula.

1. Habetur signum sensibile, nimirum unctio cum oratione.

2. Promissio gratiæ, *alleviabit eum Dominus*; scilicet, ut, interpretibus Patribus Tridentinis c.2. morbi incommoda ac labores levius ferat, & contra timorem mortis & conscientiæ stimulos fiduciam in misericordia Dei collocet; denique, *si in peccatis fuerit*, *remittentur ei.*

3. Institutionem divinam denotat Apostolus, cum tam fidenter promittit sacra illa unctione alleviandum infirmum, & peccata ejus dimittenda; virtus enim humana tantam efficaciam signo exteriori tribuere non potuit.

Nec aliud senserunt Magister Sententiarum, & Sanctus Bonaventura, cum lib. 4. Sentent. distinct. 24. docuerunt, sicut ante eos Hugo à Sancto Victore, hoc Sacramentum fuisse ab Apostolis institutum; mens quippe illorum fuit Christum non per se immediate, sed per Apostolos Sacramentum illud instituisse; ideoque existimandum non est eorum doctrinam laudato primo canone, fuisse proscriptam.

Communis tamen est Theologorum sententia, Sacramentum Extremæ unctionis à Christo Domino immediate fuisse institutum, & à Sancto Jacobo solummodo promulgatum; & ita docent

Patres Tridentini ejusdem sessionis 14. c. 1. de Extrema unctione: *instituta est*, inquiunt *sacra hæc Unctio infirmorum tanquam vere & proprie Sacramentum novi testamenti à Christo Domino nostro*, *apud Marcum quidem insinuatum*; *per Jacobum autem Apostolum*, *ac Domini fratrem Fidelibus commendatum*, *ac promulgatum*.

Patres consulto dicunt Sacramentum hoc fuisse insinuatum Marci sexto, non vero institutum, ut immerito contendunt nonnulli Theologi: tum quia Apostoli nondum erant Sacerdotes ut Sacramentum illud conferrent; tum quia ungebant ægros nondum baptizatos, aliquando necdum credentes, ut signa curationum essent ipsis motiva credibilitatis; sic cæcus natus Joan. 9. & claudus Act. 3. & innumeri alii tum crediderunt in Christum, cùm divina ejus virtute sanatos se senserunt. Sacramentum igitur Extremæ unctionis institutum creditur post Resurrectionem, sicut Sacramentum Pœnitentiæ & Confirmationis.

4. Divinum mandatum retinendi in Ecclesia sacrum unctionis ritum, elucet in verbis Apostoli; qui eo loci totus est, ut doceat Fideles quid agere debeant in variis vitæ eventis: *Tristatur aliquis vestrum?* inquit, *oret: æquo animo est? psallat: infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ*, &c. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*, *& orate pro invicem*, *ut salvemini*. Procul dubio ista usque ad consummationem sæculi sunt observanda, & hactenus observavit Ecclesia, ut mox dicetur. Ergo ex ipso contextu perspicuum est Apostolum loqui de unctione perpetuo servanda.

Ad id autem, quod Lutherus supra opponebat, multos probabiliter asserere hanc epistolam non esse canonicam; nec Apostolico spiritu dignam,

gnam, Respondeo: etiamsi primis sæculis quidam de ejus auctoritate dubitaverint, ab utraque tamen Ecclesia, Latina scilicet & Græca, semper fuisse laudatam uti sacram ac divinam. Illud patet ex Concilio Laodiceno; & Cartaginensi tertio, ex Origene hom. 7. in Josue; ex S. Athanasio in synopsi, Epiphanio hæresi 76. Hieronymo ad Paulinum, Aug. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8 Innocentio I. epist. ad Decentium, Gelasio I. qui quinto sæculo in Concilio septuaginta Episcoporum Romæ confecit canonem genuinorum librorum sacræ Scripturæ, & à spuriis eos distinxit.

Dices: Ex S. Aug. Enchir. c. 66. Sacramenta *magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adoptionem præsentium pertinent*: atqui unctio, de qua loquitur S. Jacobus primario tendit ad sanitatem corporis restituendam, secundario vero tantum ad salutem animæ, *si in peccatis fuerit*, inquit; quæ conditionata locutio insinuat infirmum, etiamsi in peccatis non fuerit; nihilominus inungendum propter infirmitatem corporis, ac proinde unctionem illam esse remedium mere corporeum, non vero Sacramentum proprie dictum.

Nego minorem; namque Apostolus absolute promittit infirmum alleviandum, quatenus hæc unctio magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitat, & confirmat ad levius ferendos morbi dolores, & tentationibus dæmonis tum maxime sævientis facilius resistendum, ut interpretantur Patres Tridentini citato capite 2. & semper intellexit Ecclesia, ut mox patebit. Nec refert, quod sanitas corporis primo loco recenseatur à Sancto Jacobo; id enim postulabat contextus oratio-

nis; cum enim dixiſſet Apoſtolus, *infirmatur quis in vobis?* conſequens erat, ut ſtatim loqueretur de ſanitate corporis per ſacram illam unctionem recuperanda, ſi ad animæ ſalutem conduceret. Sic Chriſtus Matth. 19. interroganti Petro v. 27. quid eſſet ſperandum ei, qui omnia propter Chriſtum reliquiſſet, reſpondet Chriſtus v. 29. *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres,* &c. *propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Et clarius Lucæ capite 18. recipiet *multò plura in hoc tempore, & in ſæculo venturo vitam æternam.* Ubi primo loco bona temporalia promittuntur, utpote quæ interrogationi directè reſpondeant; nec tamen inde ſequitur, quod primario illorum intuitu omnia propter Chriſtum ſint dimittenda.

Probatur 2. ex conſtanti Traditione, cujus fidem facit Innocentius I. uſque ad ſuam ætatem, hoc eſt, ad quintum ſæculum, quo ineunte electus eſt ſummus Pontifex. Sic enim epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum ſolvit ejus dubia: *Sane,* inquit, *quoniam de hoc ſicut de cæteris conſulere voluit dilectio tua:* (ſcilicet de infirmis inungendis per Presbyteros Eccleſiæ, ut habetur Jacobi 5.) *quod non eſt dubium de Fidelibus ægrotantibus accipi vel intelligi debere, qui ſacro oleo chriſmatis perungi poſſunt: quo, ab Epiſcopo confecto, non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus uti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſſitate inungendo. Cæterum illud ſuperfluum videmus adjectum, ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt. Nam idcirco de Presbyteris dictum eſt, quia Epiſcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos non ire poſſunt. Cæterum ſi Epiſcopus aut poteſt, aut dignum ducit aliquem à ſe viſitandum, & benedicere, & tangere chriſmate, ſine cunctatione poteſt,*

*test, cujus est ipsum chrisma conficere. Nam pœnitentibus istud infundi non potest; quia genus est Sacramenti. Nam quibus reliqua Sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi?* Integrum testimonium proferre operæ pretium fuit; quia in eo plura observanda sunt.

Primo, Decentius Episcopus non dubitat de veritate Sacramenti Extremæ Unctionis, ut garriunt Hæretici; sed ortas difficultates circa illud Sacramentum pro more Episcoporum proponit sedi Apostolicæ, quæritque 1. an verba Sancti Jacobi intelligi debeant de infirmis dumtaxat per Sacerdotes inungendis; nam Græci sanos etiam & bene valentes inungunt, ut infra dicetur. 2. Utrum Laici oleo per Episcopum consecrato seipsos inungere possint ad depellendos corporis morbos, quemadmodum abluunt sese aqua ad usum Baptismatis consecrata. 3. Num Sanctus Jacobus ita doceat Presbyteros esse Ministros Extremæ unctionis, ut excludat Episcopos. 4. Utrum conferenda sit sacra illa unctio pœnitentibus, qui adhuc stadium pœnitentiæ decurrunt, necdum per absolutionem sunt reconciliati. Ad singula autem respondet Summus Pontifex. Ad primum, dubium non esse S. Jacobum intelligendum de Fidelibus ægrotantibus. Ad secundum, posse Laicos fideles in suis necessitatibus uti oleo per Episcopum sanctificato: eo Græci etiamnunc deliniunt Fideles, qui divinis Officiis intersunt. Verum usus ille sacramentum non est, sicut nec usus aquæ lustralis, quam Fideles quotannis hauriunt ex fonte baptismali, & domum secum deferunt. Ad tertium, Apostolum non excludere Episcopos, & ideo Presbyteros potius appellasse,

 quia

quia Episcopi solent detineri publicis ac gravioribus negotiis. Ad quartum (quod spectat controversiam in qua versamur) sacram unctionem non esse adhibendam pœnitentibus nondum reconciliatis; quia est genus seu species Sacramentorum, quæ non conferuntur pœnitentibus, priusquam à vinculis peccatorum soluti fuerint.

Observandum 2. Innocentium iis posterioriqus verbis non loqui de Sacramento latè sumpto, seu de cæremonia ab Ecclesia instituta & usurpata propter mysticas significationes, ut vult Chamierius; sed de Sacramento proprie dicto; ait enim sacram unctionem esse genus seu speciem Sacramenti eamque reponit in numero eorum Sacramentorum, quæ non debent conferri pœnitentibus nondum reconciliatis: atqui ejusmodi pœnitentibus non denegantur cæremoniæ Ecclesiasticæ, quæ vulgo dicuntur Sacramentalia, cinere benedicto consperguntur, crebris manuum impositionibus substernuntur, plures super eis funduntur orationes, solis Sacramentis propriè dictis defraudantur. Unde concludit Summus Pontifex, certum esse ac indubitatum in cclesia, sacram unctionem iis non posse concedi, *nam quibus reliqua Sacramenta negantur*, inquit, *quomodo unum genus putatur posse concedi?* Nihil clarius.

Observandum 3. Innocentium non instituere novam disciplinam, sed explicare, quæ hactenus observata fuerit in universa Ecclesia. Edant adversarii, si possunt, ejus originem. Certè Origenes testatur sacrum hunc ritum ante suam ætatem, hoc est, ante tertium seculum obtinuisse; sic enim scribit hom. 2. in Levit. *Est adhuc septima, licet dura & laboriosa per pœnitentiam remissio peccatorum,*

*catorum, cum lavat peccator in lacrymis ſtratum ſuum.... & cum non erubeſcit Sacerdoti Domini indicare peccatum ſuum, & quærere medicinam ſecundum eum, qui ait,* Dixi pronuntiabo adverſum me injuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem cordis mei. *In quo impletur & illud, quod Apoſtolus dicit;* Si quis autem infirmatur, vocet Presbyteros Eccleſiæ, & imponant ei manus, ungentes eum oleo in nomine Domini. Origenes conjungit Extremam unctionem cum Sacramento Pœnitentiæ: tum quia, ex Patribus Tridentinis ſeſſ. 14. in Prologo de Sacramento Extremæ unctionis, hoc Sacramentum *non modo pœnitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ (quæ perpetua pœnitentia eſſe debet) conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus:* tum quia Græci iſta duo Sacramenta ſimul conferre ſolent. Unde Sanctus Chryſoſtomus illa duo Sacramenta non ſeparat lib. 3. de Sacerdotio, in quo ſic habet: *neque enim ſolum cum nos regenerant* (Sacerdotes) *ſed poſtea etiam condonandorum nobis peccatorum facultatem obtinent*, infirmatur, *inquit*, inter vos aliquis? accerſat Presbyteros.

Obſervaudum 4. vel hoc uno Innocentii reſponſo corruere omnia argumenta, quæ congerit Dallæus ad ſuadendum ritum Extremæ unctionis eſſe inventum humanum poſterioribus ſæculis excogitatum; ſcilicet opponit Hæreticus ille 1. Veteres, qui myſteria Religionis Chriſtianæ accurate expoſuerunt, ut S. Dionyſium libro de Eccleſ. Hierarch. S. Clementem libro Conſtitut. S. Juſtinum in Apologia, Tertullianum in Apologetico, S. Cyrillum in Catecheſibus, nullam mentionem facere Extremæ unctionis. 2. Hiſtoricos Scriptores, qui licet ſigillatim referant quæ con-

contigerunt in priorum obitu, nuſquam commemorant eos fuiſſe ſacra unctione delibutos, ut S. Gregorius Nazianzenus in Orationibus de ſorore Gorgonia, de patre Gregorio, de amico ſuo Baſilio; S. Hieronymus de obitu Marcellæ, Aſellæ, Paulæ; Sanctus Auguſt. lib. 9. Confeſſionum de iis, quæ contigerunt in morte piiſſimæ matris Monicæ. Hæc, inquam, argumenta, & alia ſimilia tanquam umbræ evaneſcunt ad lucem teſtimonii, quod habemus præ manibus.

Enimverò in Jure duo teſtes affirmantes prævalent centum negativis; & apud Philoſophos argumentum negativum nullius eſt roboris adverſus argumentum poſitivum, ut vocant. Atqui habemus hic duos teſtes locupletiſſimos, Decentium ſcilicet Epiſcopum Eugubinum, & Innocentium Summum Pontificem. Decentius inquirit an Epiſcopus æque ac Presbyter infirmos ungere poſſit. Hæc autem quæſtio non movetur fruſtra de re, quæ nunquam fuit, nec eſſe poteſt; ſed de praxi, quæ in Diœceſi Eugubina obtinebat Presbyterorum miniſterio: ambigitque Decentius, an poſſit & ab Epiſcopo adhiberi illa unctio etiam pœnitentibus nondum reconciliatis. Innocentius reſpondet, 1. videri ſuperfluum, *ut de Epiſcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium eſt*, 2. hoc Sacramentum non debere conferri pœnitentibus, quia eſt ejuſdem generis cum aliis Sacramentis, puta Euchariſtia, quæ ejuſmodi pœnitentibus non conceduntur.

Quid efficit ſilentium aliorum Patrum adverſus duos illos locupletiſſimos teſtes? quanquam ſoli non ſunt; nam duo coætanei idem teſtantur, ſcilicet S. Chryſoſtomus ſupra laudatus, & Sanct. Augu-

Augustinus lib. de Speculo, ubi inter plura in novo Testamento retinenda & observanda, recenset præceptum S. Jacobi, *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros, &c.* Simile testimonium tulerat Origenes cit. hom. 2. in Levit. ante ducentos fere annos.

Ideo autem alii Patres priorum seculorum non scripserunt de Extrema Unctione; quin illius defuit scribendi necessitas, aut occasio, nullus Hæreticus Sacramentum illud impugnabat; abusus nondum irrepserant in ejus celebratione, cùm non soleat conferri nisi periculose decumbentibus, qui tunc pro virili saluti suæ consulunt: administratur, non in publicis Fidelium conventibus, in quibus multa occurrunt ordinanda, corrigenda, ut sacris mysteriis debita reverentia habeatur, sed in privatis ædibus; unde necessum semper fuit, ut Patres plura dicerent aut scriberent de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia, & Pœnitentia; vixque se dabat occasio sermonem habendi de Extrema unctione, nec nisi casu Innocentius I. testimonium, quo Novatores convincimus, posteris reliquit. Adde plures è Veteribus sub nomine Pœnitentiæ, Extremam unctionem complexos fuisse tanquam ejus complementum, ut patet ex laudatis textibus Origenis & Sancti Chrysostomi.

Non magis nocet catholico dogmati silentium eorum, qui historiam Sanctorum adornarunt; si enim Sanctus Gregorius Nazianzenus, & Sanct. Augustinus nihil referunt de sacro viatico, quod procul dubio collatum est Sanctæ Gorgoniæ, S. Basilio, & S. Monicæ; quid mirum si de Extrema unctione pariter sileant? Sed & illud præser-

tim

tim notatu dignum eſt, plures Hiſtoricos, qui res geſtas & deceſſum Sanctorum, quos tulit poſterior ætas, accurate ſcripſerunt, non meminiſſe, Extremam unctionem illis fuiſſe adminiſtratam, hanc circunſtantiam prætermiſerunt Scriptores vitæ Sancti Bernardi, niſi eam nomine Pœnitentiæ complexi ſint propter rationem ſupra allatam, cum tamen adverſarii, teſtimoniis mox proferendis fateri cogantur illud Sacramentum fuiſſe in uſu à quinto ſæculo; & ipſe Sanctus Bernardus in vita Sancti Malachiæ cap. 31. de illo in extremis poſito ſic ſcribat, *jubet ſe ſacro oleo ungi ..... ungitur, & ſumpto viatico, Fratrum ſe orationibus, & Fratres Deo commendans ad lectum revertitur.*

Igitur uſum Extremæ unctionis in Eccleſia Latina à quinto ſæculo teſtatur Sacramentarium S. Gregorii, qui Eccleſiæ præfuit ſexto ſæculo exeunte, & ſeptimo ineunte; in eo quippe deſcribitur ritus, quo oleum infirmorum conſecratur feria quinta in cœna Domini. Teſtatur Concilium Cabilonenſe ſecundum an. 813. *Secundum Beati Jacobi documentum*, inquiunt Patres can. 48. *cui etiam documenta Patrum conſentiunt, infirmi oleo, quod ab Epiſcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent; ſic enim ait:* infirmatur quis in vobis? &c. *Non eſt itaque parvipendenda hujuſmodi medicina, quæ animæ corporiſque medetur languoribus.* Eadem habent Concilium Aquiſgranenſe canone 5. anno 836. Moguntinum anno 847. *Ab infirmis*, inquit can. 26. *in mortis periculo poſitis per Presbyteros pura inquirenda eſt confeſſio. Et ideo ſecundum canonicam auctoritatem, ne illis clauſa janua pietatis videatur, orationibus & conſolationibus. Eccleſiaſticis ſacra cum unctione Dei animati ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum, communione viatici*

*reficiantur.* Hic præmittitur unctio ſacra viatico. Ita obſervatum fuiſſe erga Leonem IX. refert Wibertus lib. 2. cap. 16. *Decernit*, inquit, *ut .... ungeretur ſacri olei liquore, ſuper quo facto exhilaratus uſquequaque, munituſque corporis & ſanguinis Domini communione*, &c. Obiit autem Leo nonus anno 1054.

Quæ de Waldenſibus 12. ſæculo, & de aliis Hæreticis initio hujus capitis retulimus, evidenter demonſtrant, Extremam unctionem deinceps ſicut prius uſque ad Concilium Tridentinum in Eccleſia Latina fuiſſe uſurpatam.

Conſenſionem Eccleſiæ Græcæ cum Latina circa Sacramentum Extremæ unctionis probant 1. eorum Euchologia, in quibus præſcribitur ritus conſecrandi oleum infirmorum, & uſus illius. 2. cenſura, qua Jeremias Patriarcha Conſtantinopolitanus perſtrinxit Confeſſionem Auguſtanam Lutheranorum, in qua Extrema unctio expungitur è numero Sacramentorum: quam cenſuram confirmavit Concilium Conſtantinopolitanum ſub Parthenio anno 1642. & Concilium Bethlehemiticum anno 1672. 3. redintegrata unio utriuſque Eccleſiæ in Conciliis Lugdunenſi ſecundo, & Florentino, in quibus viſi ſunt Græci ab initio ſchiſmatis (cujus ſemina jecit Photius nono ſæculo) non diſcrepaſſe à Latinis in re tanti momenti, cum de ea nulla fuerit inter illos diſcrepatio.

Ergo ab Apoſtolis uſque ad hodiernam diem ſemper & ubique in Eccleſia creditum eſt, nemine refragante, niſi ſolis Pſeudoreformatis, Extremam unctionem eſſe Sacramentum proprie dictum.

CA-

# CAPUT II.

## De materia Sacramenti Extremæ unctionis.

Materia, ex ſæpe dictis, duplex eſt; alia remota, alia proxima.

Q. 1. *Quænam eſt materia remota Extremæ unctionis?*

Reſpondent Patres Tridentini cap. 1. de Extrema unctione, eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum: quia deſignatur à Sancto Jacobo, cit. cap. 5. *ungentes eum oleo in nomine Domini:* & ſemper adhibitum eſt ab Eccleſia, ut conſtat ex omnibus textibus ſuperiori capite allatis. Quod autem oleum ſit idonea hujus Sacramenti materia, docent iidem Tridentini Patres; quia *aptiſſime Spiritus ſancti gratiam, qua inviſibiliter anima ægrotantis inungitur; repræſentat;* cum enim oleum naturaliter 1. leniat corporis dolores; 2. roboret, ac defatigatas vires recreet; 3. lumini pabulum præbeat: aptiſſime ſignificat Extremæ unctionis virtutem, qua ægroti animam alleviat, exhilarat, & confirmat; peccatorum reliquias abſtergit, fidem nutrit, fiduciam in Dei miſericordia excitat, & ſanitatem corporis reſtituit, ſi ſaluti animæ expediat.

Q. 2. *Quale genus olei eſt materia Extrema unctionis?*

R. Solum oleum ex Olivarum baccis expreſſum; quia oleum aliunde eductum, v. gr. ex nucibus non dicitur proprie & ſimpliciter oleum, ſed cum addito & ſecundùm quandam ſimilitudinem. Sicut ergo aqua ex floribus aut herbis educta non eſt materia idonea Baptiſmi, nec alius panis quam triti-

triticeus Euchariſtiæ ; ita nec aliud oleum quam ex olivis expreſſum, Extremæ unctionis.

Q. 3. *Oleum illud eſtne alteri liquori miſcendum, ut ſit idonea hujus Sacramenti materia?*

R. Minimè; neque enim ex Scriptura, neque ex Traditione, ullius mixtionis neceſſitas colligitur; imo Pontificalia Latina & Euchologia Græca oleum ſimplex requirunt.

Dices : Innocentius I. ſæpius laudata epiſtola ad Decentium ſcribit ægrotantes ſacro oleo chriſmatis perungi, & Epiſcopi eſſe illud chriſma conficere : ergo alius liquor eſt admiſcendus oleo.

Nego conſeq. quia chriſma idem ſonat apud Græcos, quod unctio apud Latinos, quæ peragitur quolibet pingui liquore. Unde S. Auguſtinus tract. 33. in Joan. oleum olivarum vocat unguentum & chriſma.

Q. 4. *Benedictio olei eſtne neceſſaria?*

R. Certum eſt neceſſariam eſſe neceſſitate ſaltem præcepti Eccleſiaſtici; eam enim requirunt Eugenius IV. in Decreto pro Armenis; & Concilium Tridentinum c. 1. ſupra laudato : conſtatque ex teſtimoniis præcedenti capite laudatis, oleum infirmorum in Eccleſia Latina & Græca ſolemni benedictione ſemper fuiſſe præparatum. Sed difficultas eſt, utrum ejuſmodi benedictio ſit de neceſſitate Sacramenti?

Affirmant plures Theologi, ut Bellarminus, Eſtius, Suarez, Sylvius, & alii; cui ſententiæ videtur favere Sanctus Thomas in 4. diſt. 23. & in Supplem. quæſt. 29. art. 5. ubi diſtinguit inter aquam Baptiſmi & oleum infirmorum, ſcribitque aquam non eſſe benedictione neceſſario conſecrandam ſicut oleum; quia ſanctificata eſt contactu

corporis Christi, quando baptizatus est: atqui Sanctus Thomas non loquitur de benedictione præcepti Ecclesiastici, & Sacramento accidentaria; cum ipsum non latuerit extare Ecclesiæ præceptum solemniter benedicendi fontem baptismalem in pervigilio Paschæ & Pentecostes: ergo revera intelligendus est de benedictione essentiali Sacramento Extremæ unctionis, minime vero Sacramento Baptismi. Nititur autem illa sententia tum Traditione universalis Ecclesiæ, quæ pro materia Extremæ unctionis semper assignavit oleum benedictione consecratum: tum auctoritate Eugenii IV. in Decreto pro Armenis, & Patrum Tridentinorum, qui conceptis verbis docent materiam hujus Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum. Quod autem benedictio illa non sit accidentaria Sacramento, & præcepti dumtaxat Ecclesiastici in mente Conciliorum & Sanctorum Patrum inde patet, quod aliter loquantur de materia Baptismi; simpliciter enim enuntiant esse aquam, & raro mentionem faciunt benedictionis, qua præsanctificatur.

Negant vero benedictionem esse præcepti divini, & Sacramento essentialem; Victoria, Cajetanus, Maldonatus, Sanbovius, Natalis Alexander, & alii bene multi, quorum sententia evasit admodum communis in Academia Parisiensi, probaturque 1. argumento negativo; quia hujusce benedictionis necessitas neque ex Scriptura, neque ex Traditione colligitur. Non ex Scriptura; S. enim Jacobus simpliciter asserit infirmum oleo unguendum, absque ulla mentione benedictionis: quod autem addit, *in nomine Domini*, (in quibus verbis vim faciunt Patroni oppositæ sententiæ)

tentiæ) non refertur ad oleum; sed ad ipsam unctionem seu actionem Ministri; qui debet ungere; non suo, sed Dei nomine: non etiam ex Traditione; quamvis enim ex ea habeatur oleum debere esse benedictum illam esse præcepti divini, & Sacramento essentialem, cum ex constanti universalis Ecclesiæ Traditione vinum in altari offerendum non sit simplex vinum, sed vinum aqua delibutum; & tamen mixtio illa, in communi Theologorum sententia, non est præcepti divini, nec de substantia Sacramenti & sacrificii. Ideo autem Eugenius IV. & Patres Tridentini oleum benedictum indicant pro materia Extremæ unctionis, non vero aquam benedictam pro materia Baptismi; quia controversia est in Scholis circa benedictionem olei, nulla vero circa benedictionem aquæ: ne autem viderentur detrahere probabilitati opinionis, quæ asserit benedictionem pertinere ad essentiam Sacramenti Extremæ unctionis, si oleum nude pro materia Extremæ unctionis proponerent, sicut aquam pro materia Baptismi, loquendi formulam, usu Veterum receptam, retinuerunt; cùm certum sit ejusmodi benedictionem esse convenientem, saltemque ab Ecclesia præceptam; ac proinde Waldenses meritò fuisse damnatos ex eo, quod illam spernerent.

Probatur 2. eadem sententia argumento positivo. Ritus à Deo institutus, & ad substantiam Sacramenti pertinens fixus est, constans, ac immutabilis: *Christi Ecclesia*, inquit Vincentius Lyrinensis commonit. 1. cap. 32. *sedula & cauta depositorum apud se dogmatum custos, nihil unquam in iis immutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua:* atqui nihil in Ecclesia fi-

xum circa ritum benedicendi oleum infirmorum, ſed varius eſt ille ritus prò diverſitate regionum, apud Latinos ejuſmodi benedictio, ita Epiſcoporum ſemper fuit propria, ut Presbytero nequidem à Summo Pontifice demandari poſſit juxta Patronos primæ ſententiæ; quia inquit Suarez diſp. 40. ſect. 1. quæ ſunt juris divini, & ad ſubſtantiam Sacramentorum pertinent, ab Eccleſia mutari nequeunt: nec refert, pergit idem Theologus, quod ex diſpenſatione ſummi Pontificis Presbyteri aliquando confirment; quia habemus ex Traditione Presbyterum eſſe à Deo inſtitutum Miniſtrum extraordinarium Confirmationis; nullum vero veſtigium extat ſive in Scriptura, ſive in Traditione, ipſum poſſe conſecrare oleum infirmorum, aut Chriſma confirmatorum, imo conſtans eſt Traditio ſaltem in Eccleſia Latina Presbyterum, ubi agitur de unctione perficienda, debere uti oleo aut chriſmate per benedictionem Epiſcopi confecto ſeu conſecrato. Attamen in Eccleſia Orientali Presbyteri benedicunt oleum, quo inungunt infirmos; quem ritum Eccleſia Latina hoc ipſo approbaſſe cenſetur, quo in ſuam communionem Græcos admiſit in Concilio Lugdunenſi ſecundo, & Florentino; vera enim Eccleſia fœdus inire nequit cum iis, quos novit errare in re tanti momenti, hoc eſt, Sacramenta adulterare, & alio ritu celebrare, quam à Chriſto ſunt inſtituta. Quin Clemens VIII. conceptis verbis hancce Græcorum praxim confirmavit in inſtructione directa ad Epiſcopos Latinos, in quorum Diœceſibus Græci verſantur: *non ſunt cogendi presbyteri Græci*, inquit, *olea ſancta (præter chriſma) ab Epiſcopis Latinis Diœceſanis accipere, cùm*

*ejuſ-*

*ejusmodi olea ab eis in ipsa oleorum & Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu conficiantur & benedicantur.* Ergo valde probabile est benedictionem olei non esse à Christo institutam, nec pertinere ad substantiam Sacramenti.

Verumtamen cum ex Decreto Innocentii XI. & ex censura Cleri Gallicani sæpius laudatis, non liceat *in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore;* si Sacerdos advertat incautè se adhibuisse oleum Cathecumenorum aut chrisma pro oleo infirmorum, observabit Decretum Innoc. III. C. *Pastoralis*, tit. de Sacr. non iterandis *in talibus nihil est iterandum, sed cautè supplendum quod incaute fuerat prætermissum.* Ut autem caveatur ejusmodi error, qui non est ita infrequens, præscribere solent Episcopi, ut oleum infirmorum servetur in vase separato.

Q. 5. *Quid aget Parochus, quando oleum benedictum deficit?*

R. Priusquam totaliter deficiat, admiscebit non consecratum; sic enim habetur C. *Quod in dubiis*, de consecratione Eccl. *non negamus quin oleum non consecratum, consecrato possit oleo commisceri.* Canon non præscribit ut oleum admixtum sit cum minori quantitate; ideoque Theologi contendunt hanc cautionem, quam alii requirunt, non esse necessariam.

Q. 6. *Quænam est materia proxima Sacramenti Extremæ unctionis?*

R. Est ipsa unctio; quia usus materiæ remotæ dicitur materia proxima Sacramenti, usus aquæ aut chrismatis v. g. scilicet ablutio aut Chrismatio dicitur materia proxima Baptismi aut Confirmationis: ergo unctio, quæ est usus olei, est materia proxima Extremæ unctionis.

Q. 7. *Quotuplex unctio est adhibenda?*

R. Ad Sacramenti veritatem una sufficit; sed ex præcepto Ecclesiæ multiplex est adhibenda, pro cujusque Diœceseos diversitate.

Prima pars probatur 1. ex Scriptura, quæ non secus loquitur de unctione infirmorum, ac de ablutione Catechumenorum. De unctione ait S. Jacobus cit. 5. *orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Et de ablutione Christus Dominus Mat. 20. *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine*, &c. Atqui una ablutio sufficit ad Baptismum; ergo & una unctio ad Sacramentum Extremæ unctionis. 2. quia libri Rituales passim præscribunt, ut, si mors instet, vel morbus contagiosus Ministrum exponat evidenti periculo, una fiat unctio in capite, in quo vigent omnes sensus, sin minus in alia parte corporis, dicaturque: *per istam sacram unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, & gressum.*

Secunda pars patet ex Euchologiis Græcorum, & libris Ritualibus Latinorum, in quibus plures præcipiuntur unctiones, sed non semper in iisdem corporis partibus. Apud Græcos inunguntur frons, facies, propter sensuum organa; non oculi, nec aures, nec nares. Apud latinos non idem ubique servatur ritus; unctioni quinque organorum sensus, quæ ubique obtinuit, vulgo unctio pedum adjungitur, quibusdam in locis unctio pectoris; in aliis unctio capitis, in aliis unctio renum, & hunc posteriorem ritum Eugenius IV. in suo Decreto pro Armenis præscribit his verbis: *hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet, qui in his locis ungendus est,*

*in oculis propter visum , in auribus propter auditum, in naribus propter odoratum, in ore propter gustum vel locutionem, in manibus propter tactum , in pedibus propter gressum , in renibus propter delectationem ibidem vigentem.* Sed hæc postrema unctio prætermitti debet in mulieribus , pudoris causa , ex Concilio Mediolanensi quarto, & ex iis Ritualibus, qui illam præcipiunt pro viris, nam plures eam prorsus omittunt , videnturque in locum illius sufficere unctionem pectoris. In hac autem varietate unusquisque consulat librum Ritualem Diœceseos, in qua ministrat : religioseque adhæreat ritibus ibidem præscriptis , iisque præsertim , qui spectant unctiones quinque organorum sensus , utpote quæ ita obtinuerint in Ecclesia Latina, ut plures Theologi existiment pertinere ad substantiam Sacramenti , à quibus non omnino recedit S. Thomas in quartum Sent. dist. 23. qu. 2. art. 3. ubi sic scribit : *ideo illa unctio ab omnibus observatur, quæ fit ad quinque sensus, quasi de necessitate Sacramenti ; sed quidam non servant alias.* Quod si infirmus sit mutilus , unctio fieri debet in parte viciniori ; quamvis enim per organum, quo orbatus est, exterius peccare non potuerit, potuit tamen appetere actus noxios qui per ejusmodi organum perficiuntur, & exterius prodeunt.

# CAPUT III.

## De forma Sacramenti Extremæ Unctionis.

Q. 1. *Quænam est forma Sacramenti Extremæ Unctionis?*

R. Est oratio , quam minister fundit, dum infirmum inungit, sic enim tradidit S. Jacobus cit. capite 5. *orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.*

Q. 2. *Quænam debet esse illa oratio?*

R. Christus non determinavit quibus verbis præcise constare debeat, sed determinandum permisit Ecclesiæ, ut diximus Tom. 5. Tract. de Sacramentis in genere cap. 7. Hinc variæ orationis formulæ non solum apud Græcos, sed etiam apud Latinos, quæ cum eundem referant sensum, tanquam legitimæ sunt habendæ. A pluribus tamen sæculis in Ecclesia Latina obtinuit isthæc forma deprecativa, *per istam sanctam unctionem, & suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti per visum, auditum*, &c. Hanc formam vindicat Sanctus Thomas in 4. dist. 23. qu. 2. art. 4. eam laudant, tum Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, tum Patres Tridentini sess. 14. cap. 1. de Extrema unctione.

Q. 3. *Singula verba suntne essentialia formæ?*

R. Minime, quia effectus Sacramenti satis exprimitur hisce vocibus, *per istam unctionem indulgeat tibi Deus*, quia nonnulli putant satis esse si dicatur, *indulgeat tibi Deus*, quemadmodum in Sacramento Pœnitentiæ valeret hæc forma, *absolvo te:* ergo cætera verba non sunt necessaria, nisi necessitate præcepti.

Q. 4. *Laudata forma deprecativa estne ita necessaria, ut si minister uteretur indicativo hoc modo*, ungo te in remissionem peccatorum, *vel* indulgeo tibi quidquid deliquisti, *irritum foret Sacramentum?*

R. 1. De fide est hujusmodi formam deprecatoriam esse convenientem; ita enim definiit Concilium Tridentinum sess. 14. de Extrema unctione canone 3. *Si quis dixerit Extremæ unctionis ritum & usum, quem observat Sancta Romana Ecclesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli, ideoque eum mutandum,*

*dum, posseque à Christianis absque peccato contemni; anathema sit.* Enimvero ejusmodi forma exprimitur actio & intentio Ministri; cum dicitur, *per istam unctionem* : & principalis causa, quæ spiritualem unctionis effectum operatur, cum additur, *& per suam piissimam misericordiam.* Denique præcipuus Sacramenti effectus postremis verbis, *quidquid deliquisti.*

R. 2. Concilium Tridentinum ita laudavit hanc formam, ut non declaraverit indicativam fore irritam. Unde pertinet ad controversiam Scholæ, an valeret indicativa. Pro ea pugnarunt ante Concilium Tridentinum Albertus Magnus; Paludanus, Richardus: & post Concilium Navarrus in summa, & Becanus existimarunt opinionem Alberti non carere omni probabilitate; sed non recedendum à communi Theologorum sententia. Quare

R. 3. Sola forma deprecatoria est legitima.

Probatur tum ex Scriptura, quæ orationem pro forma hujus Sacramenti indicat; ait enim S. Jacobus, *oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus.* Quibus verbis Apostolus tribuit orationi effectum Sacramenti: ergo pertinet ad essentiam Sacramenti; tum ex Traditione universalis Ecclesiæ; hactenus enim Ecclesia, tam Græca, quam Latina, hoc Sacramentum confecit forma deprecativa.

Dices: Forma indicativa aliquando fuit in usu apud Latinos, ut patet tum ex forma Ambrosiana, quam laudat Paludanus in 4. dist. 23. sic enim habet: *Ungo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti:* tum ex Sacramentali Veneto, de quo Arcudius lib. 5. de concordia c. 5. in

eo quippe Sacramentali hæc forma legitur, *ungo te oleo sancto.* Testatur quoque Albertus Magnus in 4. dist. 23. se legisse antiquissimos Germaniæ Rituales libros, qui hujusce Sacramenti formam mere indicativam continerent: ergo Sacramentum Extremæ Unctionis confici potest forma indicativa.

Respondet S. Thomas quæst. 29. Supplem. à 8. ad 3. *Verba indicativi modi, quæ secundum morem quorundam præmittuntur orationi, non sunt forma Sacramenti, sed sunt dispositio ad formam*, quæ deprecatoria immediate sequitur laudata verba Ambrosianæ unctionis, ut *more militis uncti præparatus, ad certamen possis aereas potestates superare;* Hæc enim verba optativi modi orationem exprimunt. Sic in forma Veneta laudatis verbis adjungitur, *ut quidquid illicito visu deliquisti, hujus olei unctione expietur per Christum Dominum nostrum.* Sed quidquid sit de antecedente,

R. Negando conseq. quæ enim auctoritas quarundam particularium Ecclesiarum adversus Ecclesiam universalem?

# CAPUT IV.

## De Ministro Sacramenti Extremæ Unctionis.

Q. I. *Quis est Minister Sacramenti Extremæ Unctionis?* Pseudo-Reformati contendunt Ministros unctionis, quam commendat sanctus Jacobus c. 5. esse, vel seniores ætate, vel Magistratus, seu primates Communitatis: *Quod*, inquit Calvinus lib. 4. Institut. cap. 19. *apud Jacobum Presbyteros interpretantur Sacerdotes, & pluralem numerum ad decorem positum nugantur, nimis frivolum est. Quasi vero*

*vero Ecclesiæ eo tempore sacrificorum examinibus abundarint, in longa pompa procedere potuerint ad ferendum sacri olei ferculum.* Adversus illum errorem extat canon 4. Concilii Tridentini sess. 14. de Extrema Unctione, in quo sic habetur : *Si quis dixerit Presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis Communitate, ob idque proprium Extremæ Unctionis Ministrum non esse solum Sacerdotem; anathema sit.* Quare ad propositam quæstionem

R. De fide est solum Sacerdotem esse hujus Sacramenti Ministrum.

Probatur 1. ex Scriptura, *infirmatur quis in vobis?* inquit S. Jacobus, *inducat Presbyteros Ecclesiæ,* &c. Atqui Presbyterorum nomine intelliguntur Sacerdotes ; tum qui in Scripturis Sacerdotes solent vocari Preybyteri, seu seniores, ut 1. Petri cap. 5. *Seniores* Græce (πρεσβυτέρους,) *qui in vobis sunt, obsecro consenior,* 1. Timoth. 4. vers. 14. *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii,* idest, cœtus Episcoporum : tum quia si seniores ætate hic intelligerentur, juvenis Sacerdos, aut Episcopus, qualis erat Timotheus, non posset induci ad ungendos infirmos, quo nihil absurdius : tum denique quia Ecclesia semper intellexit, Sacerdotes hic designari. Unde

Probatur 2. ex constanti Ecclesiæ Traditione, cujus testes capite 1. adduximus Origenem, sanctum Chrysostomum, Innocentium Primum epistola ad Decentium, Sacramentarium sancti Gregorii, Concilium Cabilonense secundum, &c.

Q. 2.

Q. 2. *Omnis Sacerdos poteſtne conferre illud Sacramentum?*

R. Poteſt valide; quia ad id ſufficit poteſtas Ordinis: non poteſt licitè, niſi habeat juriſdictionem ordinariam, vel delegatam, ex Clementina 1. de privilegiis, in qua Regulares feriuntur excommunicatione, ſi abſque licentia proprii Sacerdotis Extremam Unctionem adminiſtrent; in caſu tamen neceſſitatis, abſente Parocho, quilibet Sacerdos non ſolum poteſt, ſed etiam debet inungere infirmum in extremis poſitum, ut expreſſe habetur in Concilio Mediolanenſi quinto his verbis: *ſi porro is* (Parochus) *impeditus, aut alias in mora eſt, mortiſque periculum inſtat, hoc* (Sacramentum) *Sacerdos alius adminiſtret;* alioquin Clementina eſſet in deſtructionem, nec proinde vera lex, quæ eſſentialiter eſt ordinatio rationis in bonum commune; nec contraria Navarri ſententia cap. 27. Manualis defendi poteſt.

Q. 3. *Quot requiruntur Sacerdotes?*

R. 1. In Eccleſia Græca ſeptem adhibentur, ex Simeone Theſſalonicenſi libro de Sacramentis apud Morinum ad calcem ejus operis de Pœnitentia: *Quamvis*, inquit Simeon, *non ſit ſcriptus* (numerus Sacerdotum) *neceſſarium tamen eſt antiquam obſervare Traditionem, & ſint quidem ſeptem, ut veteris moris eſt: ſi vero neceſſitas fuerit, tres ſint ad minus.* Plures etiam in Eccleſia Latina olim conveniebant ad ungendum infirmum. Hinc criminatio Waldenſium, ex Reynero libro de Waldenſibus, adverſus pluralitatem illam Sacerdotum.

R. 2. Unus Sacerdos ſufficit, probaturque 1. ex ſæpius laudata epiſtola Innocenti I. in qua decernit Epiſcopum, ſi velit, poſſe illud Sacramentum

tum

tum conferre. 2. Ex Alexandro Tertio, cap. *Quæsivit*, de verborum significatione, in quo sic habet: *Sacerdos, uno præsente Clerico, & etiam solus, potest infirmum ungere.*

Dices: S. Jacobus cit. cap. 5. requirit plures Sacerdotes: *Inducat*, inquit, *Presbyteros:* ergo.

Nego conseq. Nam ex S. Augustino lib. 3. de consensu Evangelist. cap. 16. pluralis numerus in Scripturis sæpius pro singulari ponitur, ut Matth. 27. latrones, qui juxta Christum crucifixi erant, dicuntur ipsi improperasse; cum tamen scribit S. Lucas id ab uno tantum factum fuisse: *Quid autem usitatius, quam ut dicat aliquis, & rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet?*

Q. 4. *Quomodo plures Sacerdotes concurrere possunt ad unum & idem Sacramentum conficiendum, an unus unam unctionem, puta oculorum, perficiet, alter vero alteram, puta pedum, ita ut quilibet verba proferat; an vero plures ungent, & unus dumtaxat verba proferet?*

R. 1. Primum posse fieri, secundum minimè: quia idem ipse, qui applicat materiam, formam exprimere debet; omnium enim judicio Baptismus esset irritus, si unus aquam funderet, alter vero præscripta verba proferret.

R. 2. Verisimilius est unus dumtaxat antiquitus contulisse Sacramentum, cæteros vero convenisse, ut preces pro infirmo funderent: *Quia*, inquit S. Thomas libro 4. contra Gentes cap. 73. *hoc Sacramentum perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiritur copia gratiæ; competit huic Sacramento, ut multi Sacerdotes intersint, & ut oratio totius Ecclesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Unde Jacobus dicit*, inducat Presbyteros Ecclesiæ., & oratio fidei salvabit infirmum.

CA-

# CAPUT V.

## De subjecto Sacramenti Extremæ Unctionis.

Q. I. *Quodnam est subjectum Extremæ Unctionis?*

R. Apud Græcos quivis Fidelis pœnitens, sive sanus sit, sive infirmus; apud Latinos vero soli infirmi.

Prima pars probatur ex Euchologiis Græcorum, & ex iis, qui de eorum ritibus accurate scripserunt, ut Arcudius lib. 5. cap. 4. ubi sic habet: *Favet multum auctoritas Euchologii, in quo non tantum ægrotus, sed etiam sanus, qui sit ungendus, introducitur. Favet etiam præsens Græcorum consuetudo, quæ quidem viget non in aliquo angulo Græciæ, sed ubique passim.* Idem supponit Innocentius IV. epist. ad Episcopum Tusculanum, in qua prohibet, *ne Sacerdotes Græcorum, aut Confessores Græcorum pro satisfactione pœnitentiæ unctionem aliquam solummodo injungant.* Quibus verbis Summus Pontifex non vetat, ne Sacerdotes Græci cum Sacramento Pœnitentiæ simul conferant unctionis Sacramentum; sed vult dumtaxat, ut præter unctionem pœnitentibus satisfactionem imponant.

Secunda pars constat tum ex Eugenio IV. in Decreto pro Armenis, tum ex Concilio Trid. tum ex omnibus libris ritualibus.

Ergo in Ecclesia Latina Extrema Unctio conferenda non est reis, qui mortis supplicio mox sunt afficiendi, nec mulieribus partui periculoso proximis, nec militibus jamjam conflicturis; quia morbo non laborant. Secus dicendum de senio confectis; decrepita enim illa ætas est gravis infirmitas. Ita Concilium Mediolanense IV. *Parochus,*

inquit,

Inquit, *Extremæ Unctionis Sacramentum ſicut his miniſtrare debet, adultis ſcilic. periculoſe ægrotantibus, propeque moribundis, ſenio confectis etiam non ægrotis in diem morituris; ita iſtis ne miniſtret, nempe pueris rationis uſu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiſcentibus, navigantibus, peregrinantibus, & iis qui mox ultimo ſupplicio mulctandi ſunt.*

Q. 2. *Ritus Græcorum eſtne damnandus?*

R. Minime; 1. Quia etſi S. Jacobus docet infirmos ungendos, non excludit ſanos, 2. Quia Latini propter ejuſmodi ritum nullam litem Græcis intentarunt in Concilio Lugdunenſi ſecundo, ac præſertim in Concilio Florentino, ubi conſtitutum eſt liberum cuique Eccleſiæ ſuos ritus obſervare?

Q. 3. *Utra praxis eſt præferenda, an Latina, an Græca?*

R. Licet quiſque teneatur ſequi morem ſuæ Eccleſiæ ex Concilio Florentino mox laudato, abſolute tamen loquendo ritus Latinorum eſt præferendus; nititur enim tum ſacra Scriptura, *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros*, inquit S. Jacobus: tum Traditione, cujus non eſt invenire initium, ut colligitur ex epiſtola Innocentii I. laudata cap. 1. nec ullus ex Veteribus ſacram hanc unctionem ad ſanos retulit. Unde etiamſi S. Jacobus ſanos expreſſe non excludat, propterea que praxis Græcorum non videatur formaliter contraria Scripturæ ſacræ, Traditione tamen non æquè firmatur ac praxis Latinorum.

Q. 4. *Quibus infirmis eſt impertienda unctio extrema?*

Simeon Theſſalonienſis, Græcus ſchiſmaticus, libro de Sacramentis, quem Morinus edidit ad calcem in operis de Pœnitentia, Latinos falſa crimina-

minatione impetit, quasi afferant unctionem extremam conferri non debere nisi mox discessuris, & omni sensu destitutis: *Qui omnia immutant Latini*, inquit, *hanc etiam cæremoniam corruperunt, atque non esse exhibendam ægrotantibus, sed moribundis ajunt. Quandoquidem enim hoc Sacramentum dimittit peccata, propterea moribundis exhibetur* (à Latinis) *ne si quis superfixerit, rursus peccet. O clementiam! frater Dei enuntiat*, & oratio fidei salvabit infirmum, & eriget eum Dominus: *hi vero ajunt*, ut moriatur.

Lutherus lib. de captivit. Babyl. similem calumniam Catholicis impingit: *Apostolus*, inquit, *in hoc ungi & orari præcipit, ut infirmus sanetur, & allevietur, hoc est, non moriatur ..... illi contra dicunt non esse dandam unctionem, nisi discessuris, hoc est, ut non salventur & allevientur .... ideo & extremam volunt unctionem, ut non sit verum per eam sanari infirmum, quod ille* (Jacobus) *statuit: si hoc non est insanire, rogo quid est insanire?*

Calvinus lib. 4. Instit. cap. 19. non minus petulanter debacchatur adversus Catholicos: *Jacobus*, inquit, *omnes infirmos vult inungi; isti non infirmos, sed semimortua cadavera sua pinguedine inficiunt, cum jamjam anima in primoribus labris laborat, vel ut ipsi loquuntur, in extremis. Si præsentem habent medicinam in suo Sacramento, qua vel morborum acerbitatem leniant, vel saltem aliquod animæ solatium afferant, crudeles sunt, qui nunquam in tempore medentur.* Sed adversus ejusmodi calumnias ad propositam quæstionem.

R. Extrema Unctio, in mente Ecclesiæ Latinæ, impertienda est infirmis cum vitæ periculo decumbentibus, nec spectanda est extrema vitæ periodus.

Pro-

Probatur ex Summis Pontificibus, Conciliis, & Sacramentariis; seu libris Ritualibus.

Eugenius IV. in Decreto pro Armenis sic habet, *hoc Sacramentum nisi infirmo, de cujus morte timetur, dari non debet.*

Concilium Trid. sess. 14. cap. 3. expresse docet sacram hanc unctionem impertiendam esse aliis infirmis, quam iis, qui in vitæ exitu sunt constituti: *Declaratur etiam*, inquit, *esse hanc unctionem infirmis adhibendam, illis vero præsertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur.*

Concil. Mediolanense I. sic statuit: *Extremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.*

Concil. Burdigalense anno 1583. *Non eo usque differendum est*, inquit, *dum æger omnibus pene sensibus destitutns sit.*

Concil. Bituricense anno 1584. *Administretur tempestive à Sacerdote Extrema Unctio olei sancti; ita ut Christianus mente adhuc integra Sacramenti efficaciam cognoscere possit.*

Studeant igitur Pastores corrigere eorum errorem, qui ad divinum unctionis remedium non recurrunt, nisi cum propinquorum desperata est salus; nam præterquamquod Novatoribus præbent occasionem calumniandi Ecclesiam Catholicam, ipsi in suos crudeles existunt.

Q. 5. *Extrema Unctio estne exhibenda omnibus infirmis periculose decumbentibus?*

R. 1. Non est exhibenda,

1. Iis, qui in ipso actu criminis sensibus sunt destituti, utpote qui sint impœnitentes, & gratiæ sanctificantis incapaces.

Dixi, *in ipso actu criminis;* Quia si spatium pœniten-

nitendi habuerint priusquam fierint rationis impotes, sacra unctio non est eis deneganda; quia conjectare licet eos pœnituisse, etiamsi nullum suæ pœnitentiæ signum dederint. Ita communiter Theologi, etiam ii, qui negant in ejusmodi circumstantiis concedendam absolutionem, ut supra observavimus Tract. de Pœnit. ubi de absolutione.

2. Neque iis exhibenda est, quibus lumen rationis nunquam affuit, ut pueris & amentibus à nativitate, qui nulla habuere lucida intervalla, hi quippe post Baptisma nullum peccatum contraxerunt, quod eis remittatur, nullæ in ipsis supersunt peccatorum reliquiæ, quas divina unctio abstergat.

Nec dicas sanitatem corpoream iis infirmis posse restitui per sacram unctionem; nam effectus ille est tantum secundarius: Sacramentum autem non debet conferri nisi iis qui sunt capaces effectus primarii; Sacramenta enim sunt instituta ad nostram sanctificationem, nec licet ad ea accedere solo motivo temporalis commodi: *Totum quod salutaribus agitur Sacramentis*, inquit Sanctus Augustinus Enchir. cap. *66. magis ad spem futurorum bonorum, quam ad retentionem, vel adeptionem præsentium pertinet.* Iis igitur infirmis exceptis

R. 2. Adultis quibusque Fidelibus periculose decumbentibus, sive piè, sive male vixerint, modo pœnitentes præsumi possint, adhibenda est Etrema Unctio, etiamsi sensibus sint destituti; per Baptismum enim jus acceperunt ad alia Ecclesiæ Sacramenta, quibus privandi non sunt, nisi constet eos jure suo cecidisse per manifestam impœnus

nitentiam. Juvat huc referre, quæ S. Augustinus libro 1. de adulterinis conjugiis capite 26. & 28. scribit de Catechumeno sensibus destituto: *Non solum incredibile est*, inquit, *nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle; verum etiamsi voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit an nolit sic non apparet, & tamen credibilius sit eum, si posset, velle se potius fuisse dicturum ea Sacramenta percipere, sine quibus jam credidit non se oportere de corpore exire.* Ne quis autem putet sanctum Doctorem intelligendum dumtaxat de Cathecumenis, qui sani pie vixerunt, ait: *Ego non solum alios Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis cupulati retinent adulterina consortia, cum salvos corpore in his permanentes non admittamus ad Baptismum, tamen si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto, ut etiam hoc peccatum cum cæteris lavacro regenerationis abluatur. Quis enim novit utrum fortassis adulterinæ carnis illecebram usque ad Baptismum statuerant detineri .... Quæ autem Baptismatis eadem reconciliationis est causa* (à fortiori Extremæ Unctionis, ad quam exteriora pœnitentiæ signa non ita requiruntur in omnium Theologorum sententia) *si forte pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet mater Ecclesia.*

Q. 6. *Extrema Unctio estne adhibenda ante, vel post perceptum sacrum viaticum?*

R. 1. Sacerdos debet observare ritum in suo Rituali præscriptum.

R. 2. Dubium non est quin apud Græcos Eucharistiæ soleat præmitti; cum ex dictis illam

conjungant cum Sacramento Pœnitentiæ, quod ante Euchariſtiam confertur.

Certum eſt etiam in Eccleſia Latina prius inunctos fuiſſe infirmos, quam ſacro viatico reficerentur; ſic enim Ivo Carnotenſis Decreti parte 15. cap. 26. refert ex libro pœnitentiali Theodori Cantuarienſis, qui floruit VII. ſæculo, *ſacro unctione olei inuncti ſecundum ſtatuta Sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.* Bolandus tomo 2. Februarii de Treſano ſæculi ſexti Presbytero ſanctiſſimo ita narrat: *Oleum ſanctæ reconciliationis accepit, & cum cordis intima contritione & humilitate ſuſcepit, .... quæ poſtquam explevit, Viaticum petiit.* Lib. 6. Capitularium Caroli Magni cap. 75. hæc leguntur: *Si infirmitate quis depreſſus fuerit, vitam ſine communione non finiat, nec unctione ſacrati olei careat; & ſi finem perſpiciat, ſacroſancto corpore Deo anima ejus à ſacerdote precibus commendetur.* Concilium Aquiſgranenſe an. 836 canon. 5. ſic ſtatuit: *Si autem infirmitate depreſſus fuerit, nec confeſſione atque oratione Sacerdotali, nec non unctione ſacrati olei per ejus* (Presbyteri) *negligentiam careat. Denique ſi finem urgentem perſpexerit, commendet animam Chriſtianam Domino ſuo more Sacerdotali cum acceptione ſacræ communionis.*

Concilium Moguntinum anno 847. de infirmis eadem habet cap. 26. *ſacra cum unctione Dei animati ſecundum ſtatuta Sanctorum Patrum communione Viatici reficiantur.* Wibertus in vita Leonis IX. qui obiit anno 1051. lib. 2. c. 16. ſcribit; *perpendens non diutius eum retinendum carnis ergaſtulo, decrevit, ut.... inungeretur ſacri olei liquore. Super quo facto exhilaratus uſquequaque, munituſque Corporis & Sanguinis Domini communione,* &c. Et ratio hujuſce diſciplinæ ea eſt, quod Sacramentum unctionis extremæ ſit con-

consummatio pœnitentiæ, abstergat peccatorum reliquias, animam erigat, paratioremque reddat ad perceptionem sacrosanctæ Eucharistiæ. His auctoritatibus & rationibus permotus Eminentissimus Cardinalis *de Noailles*, Parisiensis Archiepiscopus, in libro Rituali, quem edidit, hortatur ut prior disciplina restituatur, videmusque plures votis ejus morem gerere.

Q. 7. *Extrema unctio potestne iterari?*

Negarunt duodecimo sæculo Goffridus Vindocinensis lib. 2. epist. 19. ad Yvonem Carnotensem; ipse quoque Yvo epist. 20. ad eundem Goffridum, & plures alii, adversus quos Petrus Cluniacensis ejusdem ævi lib. 5. ep. 7. propugnavit communem Catholicorum sententiam, juxta quam

R. Certum est Extremam Unctionem iterari posse; ita enim declaravit Concilium Trident. sess. 14. c. 3. de Extrema unctione, his verbis, *quod si infirmi post susceptam hanc unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio juvari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint.* Quibus verbis Concilium indicat Extremam unctionem non esse iterandam in eodem morbo perseverante,

Probatur autem nostra responsio; tum quia S. Jacobus non obscure insinuat toties inducendos Presbyteros ad ungendum, quoties quis infirmatur; ait enim absolute, & absque ulla restrictione, *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum ungentes*, &c. tum quia nova identidem recurrit causa utendi divino hocce remedio, nempe gravis superveniens morbus, novus animæ torpor & conflictatio, *iterari prout mihi videtur*, (inquit Petrus Cluniacensis citata epistola 7.) *necesse est infirmorum unctionem, quia*

 itera-

*iterari necesse est peccatorum, propter quam fit illa unctio, remissionem.*

Duo opponebant patroni oppositæ sententiæ. Primum, unctio infirmorum publica est pœnitentia: atqui pœnitentia publica non potest iterari: ergo nec unctio infirmorum. Secundum, aliæ unctiones, ut Baptismatis, Confirmationis, Ecclesiarum, & sacrorum vasorum, non iterantur: ergo nec unctio infirmorum.

Respondeo ad duo illa momenta.

Ad primum; 1. De fide est Sacramentum Pœnitentiæ iterari posse ex Christi instituto: 2. Pertinuit ad meram Ecclesiæ disciplinam, quod Pœnitentia solemnis non iteraretur, propter rationes, quæ hic non occurrunt; ideoque Ecclesia nihil simile sanxit circa Extremam Unctionem, nec absolute potuit sancire, cùm ex Christi instituto iterari possit.

Ad secundum; unctiones, quæ objiciuntur, ideo non iterantur, quia sunt consecrationes, quæ tandiu manent, quandiu res, vel personæ consecratæ extant. At unctio infirmorum non est ad consecrandum, sed ad sanandum, ac proinde toties est adhibenda, quoties gravis morbus recurrit: *Ordinatur*, inquit S. Thomas libro 4. contra Gentes cap. 73. *hujus Sacramenti inunctio ad sanandum.* Medicina autem sanativa toties iterari debet, quoties infirmitas interatur.

## CAPUT VI.

### *De effectibus Sacramenti Extremæ Unctionis.*

Pseudoreformati negant unctionem infirmorum habere effectum aliquem; contenduntque remissionem

missionem peccatorum, quam pollicetur sanctus Jacobus, tribuendam esse vel fidei infirmi, vel orationibus Fidelium : *Non negamus* inquit Lutherus lib. de captivitate Babylonica, *per Extremam Unctionem dari remissionem & pacem; non quia Sacramentum sit divinitus institutum, sed quia suscipiens ita credit sibi fieri.* Et Calvinus lib. 4. Institut. cap. 19. *Jacobus dicit ubi unctus oleo fuerit infirmus, & precatio concepta fuerit super eum, si in peccatis fuerit, remissum iri . . . non intelligens pinguedine deleri peccata; sed Fidelium orationes, quibus afflictus frater Deo commendatus fuerit, non fore irritas . . . isti per sacram suam, idest, abominabilem unctionem, peccata remitti impie mentiuntur.* Sed impius ille error satis superque confutatus est capite primo, ubi demonstravimus unctionem infirmorum esse novæ legis Sacramentum propriè dictum, ac proinde signum gratiæ per se efficax : superest dumtaxat, ut expendamus proprios ejus effectus, præter communem omnibus Sacramenmentis, nempe gratiam sanctificantem. Itaque

Q. 1. *Quinam sunt effectus Sacramenti Extremæ Unctionis proprii?*

R. Tres referuntur à sancto Jacobo citato capite quinto. 1. Sanitatem corporis restituit, si tamen animæ saluti expediat. 2. Infirmum alleviat, erigit. 3. Peccata, si quæ sint, remittit. Eosdem effectus recenset Concilium Trident. session. 14. capite 2. de Extrema Unctione, sed alio ordine; sanitatis enim corporeæ primo loco meminit Apostolus; quia contextus sermonis id exigit: cum enim dixisset, *infirmatur quis in vobis?* consequens erat, ut statim unctionem commendaret tanquam remedium efficax ad ægritudinem depellendam : Concilium verò primo & secundo loco

reponit, quod est in Sacramento præcipuum, scilicet, gratia Spiritus sancti, *cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleviat & confirmat*, tertio demum loco sanitatem appellat, *sanitatem corporis*, inquit, *interdum ubi saluti animæ expedierit, consequitur.*

Q. 2. *Quid per reliquias peccati intelligitur?*

R. Humani defectus & infirmitates ex peccato originali, & actualibus contractæ, ut propensio ad malum, torpor ad bonum operandum; quædam gravedo animam deprimens, quo minus ad cœlestia sese erigat, mœror & anxietas, quæ morti vicinum vexare solet, & diffidentiam provocat, *quæ causa est*, inquit sanctus Augustinus lib. 15. de Trinitate cap. ult. *cur acie fixa lucem illam incommutabilem videre non possis, nisi infirmitas? & quid tibi eam fecit, nisi iniquitas?*

Q. 3. *Sacramentum Extremæ Unctionis estne primario & per se institutum ad triplicem illum finem & effectum?*

Nota, voces illas, *per se & primario*, non esse confundendas, aliud quippe est esse institutum per se ad aliquem finem: aliud primario: quædam enim tam ex intentione operantis, quam operis assumuntur ad finem; qui tamen non intenditur nisi secundario. Veritas patebit exemplo Medici, qui ita vult levare dolorem capitis, ut timeat nocere pulmoni male affecto, ideoque parat medicamentum, in quo miscet utilia ad utrumque morbum curandum. Medicamentum illud per se est ad medendum capiti & pulmoni, sed primario capiti, id enim primum intendit Medicus: secundario vero pulmoni. His prænotatis,

R. Ex-

R. Extrema Unctio per se & primario animam alleviat, abstergendo peccati reliquias, secundario tantum, & nihilominus per se peccata, sive mortalia, sive venialia remittit, & sanitatem corporis, modo animæ expediat, restituit. Tres sunt responsionis partes.

Prima pars, quæ est de alleviatione animæ per abstersionem reliquiarum peccati, probatur: quia ex Patribus, tam Græcis, quam Latinis, hoc Sacramentum est Pœnitentiæ perfectivum, &, ut loquitur Synodus Tridentina in prooemio de Extrema Unctione, consummativum: atqui pœnitentiam non potest perficere, nisi quatenus reliquias peccati abstergit, & animam adversus infirmitatem ex peccatis relictam confirmat, ac roborat; ergo Sacramentum Extremæ Unctionis est revera primario institutum ad alleviandam animam, & abstergendas peccati reliquias.

Minor probatur. Sacramentum Extremæ Unctionis Pœnitentiam perficit, & consummat, vel quatenus peccati venialis, sive mortalis maculam delet: vel quatenus abstergendo peccatorum reliquias animam exhilarat, confirmat, ac roborat. Primum dici nequit; quia Sacramentum Pœnitentiæ primo, & per se omnem maculam peccati mortalis, & venialis delet, nisi pœnitens ponat obicem. Restat ergo, ut secundum dicatur: *Prima utilitas & effectus hujus Sacramenti est*, inquit sanctus Carolus in Instruct. de Extrema Unctione, *quod peccati reliquias tollit tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ*.

Dices 1. Sacramentum Pœnitentiæ valet ad abstergendas peccati reliquias: ergo Extrema Unctio non est ad id instituta.

Probatur anteced. Ex dictis ad calcem Tractatus superioris, Sacramentum Pœnitentiæ jus quoddam tribuit ad accipienda auxilia, quibus pœnitens possit concupiscentiam comprimere, tentationibus obsistere, in bono proficere, & usque ad finem perseverare; ergo Sacramentum Pœnitentiæ virtutem habet abstergendi peccatorum reliquias.

Nego consequentiam primi antecedentis, Medicus enim, qui hominem infirma valetudine hactenus curavit parvis & lenioribus remediis, alia fortiora adhibet, si ille in gravem morbum forte incidat: atqui pœnitens, qui periculoso morbo laborat, longe majori, quam antea, torpore & anxietate premitur, cruciant acutissimi dolores corporis, cupido vitæ mox amittendæ anxium reddit, horror præsentissimæ mortis turbat quam maximè, inde præteritorum scelerum memoria, & intolerandi conscientiæ stimuli; hinc prævisum Dei judicium mox venturum miris modis exagitant. Adde & vehementiores dæmonis impulsus, qui in desperationem conjicerent, nisi divina misericordia succurreret, novasque vires & arma suppeditaret. Unde Concilium Trident. circa institutionem hujus Sacramenti primo loco *declarat, & docet, quod clementissimus Redemptor noster, qui servis suis quovis tempore voluit de salutaribus remediis adversus omnia omnium hostium tela esse prospectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Christiani conservare se integros, dum viverent, ab omni graviore spiritus incommodo possint; ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ tanquam firmissimo quodam præsidio munivit. Nam etsi adversarius noster occasiones per omnem vitam quærat & captet, ut devo-*

*devorare animas nostras quoquomodo possit; nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suæ versutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, si possit, divinæ misericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ perspicit.* Et Catechismus Romanus part. 2. de Extrema Unctione §. 28. *Nihil*, inquit, *ad mortis tranquillitatem magis conducit, quam si tristitiam abjiciamus, & læto animo Domini adventum expectemus, paratique simus depositum nostrum, quandocunque illud à nobis repetere voluerit, libenter reddere. Ut igitur hac solicitudine Fidelium mentes liberentur, animusque pio & sancto gaudio repleatur, Extremæ Unctionis Sacramentum efficit.* Atque ita corruit argumentum in objectionis confirmationem adductum; cum enim peccatorum reliquiæ hominem periculose decumbentem magis vexent ac premant, præsentiori remedio opus habet.

Dices 2. Post perceptum Extremæ Unctionis Sacramentum manent in iis qui convaluerunt peccatorum reliquiæ, scilicet, fomes peccati, vitiosi habitus, natura in malum propensa, torpor ad bonum operandum; ergo Extrema Unctio non abstergit peccatorum reliquias.

Distinguo conseq. Non abstergit immutando naturalem corporis habitudinem & dispositionem, Concedo: Non abstergit tribuendo robur, & vigorem adversus ejusmodi peccatorum reliquias, Nego consequ. Itaque Extrema Unctio aliter abstergit peccatorum reliquias, aliter reatum culpæ: culpam ita abstergit, ut amplius non remaneat, sed eam prorsus deleat: reliquias vero peccatorum abstergit, quatenus animam exhilarat, confirmat, fortemque reddit in propria infirmitate.

tate. Ita Catechismus Romanus citato §. 28. *Alleviatur*, inquit, *& erigitur ægri animus divinæ bonitatis spe; eaque corroboratus morbi incommoda omnia fert levius, ac ipsius dæmonis calcaneo insidiantis artificium & calliditatem facilius eludit.*

Secunda pars, scilicet, Extremam Unctionem peccata tam mortalia, quam venialia, remittere per se, sed secundario, non vero primario probatur.

Ac 1. quidem quod non remittat per se primario, tum quia hæc conditionalis sancti Jacobi locutio, *si in peccatis sit, remittentur ei*, satis indicat Sacramentum istud non esse primario institutum ad delendam peccatorum maculam; tum quia Extrema Unctio est Sacramentum vivorum, supponitque animam à morte peccati suscitatam, & curatione dumtaxat indigere: tum denique quia Sacramentum Pœnitentiæ; ex dictis, est necessarium necessitate medii iis, qui post Baptismum in peccatha lethalia prolapsi sunt; atqui Sacramentum Pœnitentiæ ipsis non ita esset necessarium, si Extrema Unctio ad delenda peccata lethalia primario esset instituta: Ergo.

Quod autem Extrema Unctio per se, licet secundario, remittat peccata tam mortalia, quam venialia, probatur 1. ex laudatis verbis sancti Jacobi, *si in peccatis sit, remittentur ei.* Quæ verba non possunt restringi ad peccatorum reliquias, nec ad peccata venialia, cum dubium non sit, quin infirmus implicetur ejusmodi reliquiis per peccatum saltem originale contractis, & conscius sit levioris alicujus peccati; scriptum est enim, Eccl. 7. v. 21. *non est .... homo justus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Ergo dubium Apostoli

ca-

cadit in peccata mortalia, aitque, si quæ sint, ea remissum iri per sacram unctionem.

Probatur 2. ex verbis formæ, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*, ex quibus sic argumentari licet: Sacramenta novæ legis id per se operantur, quod significant: atqui Sacramentum Extremæ Unctionis significat remissionem quorumcunque peccatorum; ergo illa per se remitti saltem secundariò.

Nec dicas commune esse Sacramentis vivorum, præsertim Eucharistiæ, peccata secundario remittere; namque 1. propugnavimus suo loco Sacramentum Eucharistiæ, à fortiori cætera, quæ dicuntur vivorum, peccata mortalia non remittere: nisi mediante perfecta contritione, quæ si desit in eo, qui bona fide Eucharistiam percipit, manet peccati mortalis reatus. Secundo, opposita sententia affirmans Eucharistiam per accidens immediate remitere peccatum mortale, quando invincibiliter ignoratur, piis quidem, sed admodum incertis conjecturis nititur, nec deduci potest ex natura ipsiusmet Sacramenti, quod est institutum tanquam spiritualis cibus, qui supponit vitam; nec ex Christi promisso. Contra vero virtus remittendi peccata etiam mortalia, quam unctioni infirmorum tribuimus, est in Scripturis expressa, *si in peccatis sit*, *remittentur ei*: verbis formæ significata, *indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti*: & quod notatu dignum est, Patribus Tridentinis capite 2. vindicata adversus alienas interpretationes, quibus nonnulli verba sancti Jacobi & sensum formæ Sacramentalis obscurare conantur: *Res etenim hæc*, inquiunt Patres Tridentini, *gratia est Spiritus sancti, cujus unctio delicta, si quæ sint adhuc expianda: ac peccati reliquias abstergit.* Hic conceptis

ceptis verbis distinguuntur delicta à reliquiis peccati, & ea delicta, quorum infirmus potest non esse reus : ergo lethalia; nam à venialibus nullus est omnino immunis.

At, inquies, Sacramentum Extremæ Unctionis institutum est per modum curationis, & medicinæ spiritualis : atqui medicina, sicut & cibus vitam supponunt in eo, qui curatur, & alimentis reficitur : ergo Extrema Unctio grave peccatum, quod est mors animæ, non expellit.

Distinguo majorem : Institutum est primario, Concedo : Institutum est unicè ut medicina spiritalis, Nego major. Nam secundariò institutum est ad restituendam vitam spiritalem, si forte infirmus eam per peccatum amiserit, ut constat tum ex verbis Sancti Jacobi, tum ex ipsa forma Sacramenti; tum ex doctrina Concilii Tridentini.

Distinguo similiter minorem: Medicina, quæ non habet nisi vim sanandi, supponit vitam, Conc. Medicina, quæ habet vim & sanandi, & vitam infundendi, qualis ea, de qua agitur, Nego minor.

Unum igitur ex hoc argumento elici potest, scilicet eum, qui sibi conscius est peccati mortalis, teneri clavibus Ecclesiæ se subjicere, aut si non possit, saltem conari, quantum in ipso est, ad perfectam contritionem cum voto sacramentalis confessionis, quod verissimum est; quia Sacramentum illud primario fuit institutum in remedium vivorum, qui gravi infirmitate laborant.

Probatur 3. nostra responsio ex Traditione.

Origenes, & S. Chrysostomus cap. 1. laudati docent per unctionem, de qua S. Jacobus, peccata remitti.

Petrus

Petrus Cluniacensis, quem præced. capite appellavimus, asserit iterandam hanc unctionem : *Quia iterari necesse est peccatorum, propter quam fit illa unctio, remissionem.*

Sanctus Thomas lib. 4. contra Gentes c. 73. sic scribit : *Contingit quod homo omnium peccatorum, quæ commisit, notitiam, vel memoriam non habet, ut possit per pœnitentiam singula expurgare, sicut etiam quotidiana peccata, sine quibus præsens vita non agitur, à quibus oportet hominem in suo exitu per hoc Sacramentum emundari.*

Sanctus Carolus in Instruct. de Extrema Unctione : *Prima* : inquit, *utilitas & effectus hujus Sacramenti est, quod peccati reliquias tollit tanquam complementum Sacramenti Pœnitentiæ. Quæ reliquiæ peccata esse intelliguntur, sive mortalia, sive venialia, quæ post alia Sacramenta remanent ; potest enim fieri, ut ignorante eo, qui commisit, vel non valente confiteri, peccatum mortale remaneat, in quo delendo ita hoc Sacramento juvatur, ut fieri possit eum per hoc Sacramentum salvari, qui alioqui fuisset damnandus.*

Neque vero ejusmodi periculum ita remotum, aut rarum cuiquam videri debet, ut illud non timeat, Extremamque Unctionem negligat ; nam præterquamquod non desint, quibus alia Sacramenta conferri nequeunt, plures laborant ignorantia vincibili, ob quam certa Sacramenta suo fructu caruere : irritæ fuerunt absolutiones ipsis concessæ, vel quia defuit sufficiens dolor de peccatis, quorum se accusarunt : vel quia propriis cupiditatibus & aliorum exemplis excæcati multa excusarunt, quæ tamen eos æternæ damnationis reos constituunt. Denique quotquot in æternum pereunt, omnes paucis exceptis, propter peccata igno-

ignorantiæ vincibilis, extremum illud malum incurrunt. Hinc geminatæ Ecclesiæ preces, *illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte*, Psalm. 12. *ab occultis meis munda me* Psal. 18. hinc firmissimarum Ecclesiæ columnarum tremor, *nihil..... mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum*, 1. Corinth. 4. *multum timeo occulta mea, quæ norunt oculi tui, mei autem non. Tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum*, Sanct. Augustinus libro 10. Confessionum, cap. 35.

Christus itaque maximè commendavit suam erga homines charitatem, & sincerum salutis eorum desiderium, cum extremo huic remedio eam virtutem tribuit, quæ suppleat omnes defectus, qui ex ignorantia vincibili fortè præcesserunt; tamque provide subveniat eo momento, ex quo pendet æterna, vel felicitas, vel miseria.

Quisquis ista attentius perpenderit, commiserebitur plerosque Fideles, quibus tantus gratiarum thesaurus est prorsus ignotus Pastorum incuria, qui nunquam, aut raro, de eo verba faciunt ad plebem; ex quo accidit, ut Deus frustretur gloria sibi debita ob præstantissimum illud beneficium, plerique illud negligant, sæpe etiam refugiant tanquam firmam mortis sententiam; Parochi tam præsens, tamque divinum remedium infirmis proponere vereantur, ne animis concidant, turbetur familia veluti ad acerbum & fatalem nuntium, quo accepto, affines & domestici dedunt se lacrymis, & ex ægrotis ii religiosiores habentur, qui se ad arbitrium Sacerdotis accommodant patienterque ferunt divinam illam curationem sibi adhiberi, pauci admodum, qui illam exoptent,

& ea

& ea, qua per eſt, devotione, ac animi præparatione ſuſcipiant.

Diſpoſitio autem ad iſtud Sacramentum requiſita, ex dictis facile colligitur; cum enim probatum maneat, ſacram hancce unctionem eſſe Chriſtianæ pœnitentiæ perfectionem ac complementum, manifeſtè ſequitur, debere infirmos huic fini reſpondere per eam contritionem, quæ cum Sacramento reparare valeat omnes defectus anteactæ pœnitentiœ, alioqui integrum unctionis fructum non perciperent, Sacramenta quippe operantur ſecundum diſpoſitiones ſuſcipientium.

Porro in pœnitentia, qua ſani defunguntur, quatuor defectus occurrere poſſunt; aut enim carent efficaci propoſitio vitandi peccata, quæ in confeſſione Sacramentali deponunt, ſolaque velleitate, ut ajunt, ſibi blandiuntur: aut ignorantia vincibili ac culpabili gravia peccata excuſant, quæ ideo perpetrare non ceſſant: aut (quod ſæpius contingit) multa levia contemnunt, & per conſentaneum dolorem abſtergere negligunt: aut denique per dignos pœnitentiæ fructus non ſatisfaciunt Deo, & apud ipſum obnoxii remanent pœnæ temporali.

Atqui Extrema unctio ſine accuratiore pœnitentia infirmi, vitia illa integre non corriget: non defectum (ſi quis fuerit) efficacis propoſiti, niſi voluntas infirmi plene jam mutata omnem peccandi affectum deponat: non peccata ignorantiæ, niſi infirmus nunc condemnet, quæ hactenus excuſaverat: ſitque paratus, ſi convaluerit, ad ingrediendam arctam ſemitam crucis, ſeu Evangelii, & dimittendam ſpatioſam, ac tritam ſæculi viam tenebris obductam, ut ſic ignorantia, ſi quæ

prius in illo fuerat voluntaria, deinceps censeatur involuntaria, & veniæ digna. Non etiam sacra unctio absterget peccata venialia, nisi universalior infirmi contritio ad ea se extendat: cum ex dictis nullum peccatum quantumcunque leve sine pœnitentia deleri queat: non denique reatum pœnæ temporalis, quam sanctus Thomas, & plures post ipsum Theologi numerant inter peccati reliquias, nisi infirmus ardentiori desiderio plene satisfaciendi Deo accensus strenue morbi dolores & incommoda sustineat, & animo contrito imminentem rerum temporalium, ipsiusque vitæ amissionem acceptet in expiationem suorum scelerum. Ita fere S. Thomas libro 4. contra Gentes, cap.73. ubi sic habet: *Hujusmodi quidem spirituales infirmitates per pœnitentiam sunt curandæ ..... sed quia homo, vel per negligentiam, aut per occupationes varias vitæ, aut etiam propter temporis brevitatem, aut propter alia hujusmodi prædictos defectus in se perfecte non curat; salubriter ei providetur, ut per hoc Sacramentum prædicta curatio compleatur, & à reatu pœnæ temporalis liberetur, ut sic nihil in eo remaneat, quod in exitu animæ à corpore eam possit à perceptione gloriæ impedire.*

Ne quis autem putaret Sacramentum ista operari sine convenienti infirmi pœnitentia, mentem suam aperit Angelicus Doctor in 4. dist. 43. q. 1. art. 2. ubi sic scribit ad secundum: *Reatum pœnæ dimittit* (unctio) *ex consequenti, in quantum debilitatem tollit; quia eandem pœnam levius portat fortis, quam debilis..* Sensus est Extremam unctionem non per se immediatè expungere reatum pœnæ, sed mediante infirmi pœnitentia, quatenus illum confirmat ad alacrius ac generosius ferendos morbi dolores, in remissionem peccatorum.

Ex

Ex his colliget Paſtor, 1. Sacramentum Extremæ unctionis amplam dicendi copiam ipſi ſuppeditare, ut ſubditi audiant & diſcant ſani quod graviori morbo correpti edoceri nequeunt: *Si hæc ipſa rerum capita à Paſtoribus latius, & ea, qua decet, diligentia explanata erunt, dubitandum non eſt, quin Fideles ex hac doctrina maximum pietatis fructum percipiant*, ait Catechiſmus Romanus de Extrema unctione, §. ult. 2. Quæ debeat eſſe ratio præparandi infirmum ad percipiendam Extremam unctionem: nimirum ſatis non eſt ut Paſtor generatim moveat ad pœnitentiam; ſed inſuper debet ſigillatim attingere capita ſuperius notata; ac præſertim quæ ſpectant ignorantiam vincibilem, propter quam tot homines in æternum pereunt.

Tertia pars noſtræ reſponſionis: nempe Extremam unctionem ſanitatem corporis reſtituere, non quidem primario, ſed ſecundario tantum, & in hypotheſi quòd ſaluti animæ expediat, probatur 1. ex Scriptura Jacobi 5. cap. ſæpius laudato, *infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ... & oratio fidei ſalvabit infirmum*: quæ poſteriora verba Hugo Victorinus, Magiſter Sententiarum, S. Thomas, S. Bonaventura, & alii communiter Theologi intelligunt de ſanitate corporea: & merito quidem, alias verba non cohærerent cum præcedentibus, *infirmatur quis in vobis?*

Probatur 2. ex Traditione; nam ex præſcripto ritu conferendæ Extremæ unctionis Miniſtri hactenus orarunt pro corporea ſalute infirmi, ut patet ex Sacramentario Sanct. Gregorii, & ex Concilii Cabillonenſis II. can.48. Nec audiendus videtur Eſtius, dum ſcribit, orationes illas non habere efficaciam ex opere operato, ſed ex opere

operantis; nec expectandam sanitatem ex virtute Sacramenti; sed ex suffragiis Ecclesiæ & Ministrorum; aliena enim est ejusmodi interpretatio à communi Catholicorum sententia, quam exponunt Eugenius IV. in Decreto pro Armenis, & Concilium Tridentinum cap. 2. de Extrema Unctione. Eugenius quidem in laudato Decreto sic habet: *effectus* (unctio) *est mentis sanatio; in quantum autem expedit, etiam corporis.* Et Concil. Trid. cit. capite: *sanitatem*, inquit, *corporis interdum ubi saluti animæ expedierit* (infirmus) *consequitur.*

Quod vero effectus ille non sit primarius, sed secundarius tantum, probatur; quia Sacramenta primo & per se instituta sunt ad animæ sanctificationem, ut patet ex eorum definitione. Nullus, ex S. Augustino, propter temporale commodum debet effici Christianus: *Fides*, inquit lib. de catechizandis rudibus cap. 5. *non res est salvandi corporis, sed credentis animi.* Et Enchirid. cap. scribit, parvulos post lavacrum regenerationis doloribus cruciari, *ut intelligamus*, inquit, *totum quod salutaribus agitur Sacramentis, magis ad spem futurorum bonorum, quàm ad retentionem vel adoptionem præsentium pertinere.*

Extrema Unctio tamen non absolutè, sed conditionate tantum corpoream salutem restituit, nempe si saluti animæ expedierit; *quia operans*, inquit S. Thomas in 4. dist. 23. qu. 1. in art. 2. *nunquam inducit secundarium effectum, nisi secundum quod expedit ad principalem, ideo ex hoc Sacramento non sequitur corporalis sanatio semper, sed quando expedit ad spiritualem sanationem, tunc semper eam inducit, dummodo non sit impedimentum ex parte recipientis.*

Obji-

Objicit Lutherus lib. de captivitate Babylonica; Repugnat experientiæ divinam promiſſionem ſanitatis corporeæ eſſe annexam unctioni infirmorum. *Quis*, inquit, *non videt hanc promiſſionem in paucis; imo in nullis impleri? inter mille enim vix unus reſtituitur, idque nemo Sacramento, ſed naturæ vel medicinæ beneficio putat.*

R. 1. Retorquendo argumentum contra ipſum Lutherum docentem Fideles in Baptiſmo per fidem induere Chriſtum; namque inter mille Lutheranos vix unus, verius dicam, nullus tam præclaro juſtitiæ ornamento circumdatus cernitur. Si reſpondeat non omnium eſſe fidem, illud ipſum nos vero & Catholico ſenſu reponemus, nimirum Fideles magis in arte Medicorum confidere, quàm in hocce efficaciſſimo unguento divinitus præparato, utpote qui ad illud non recurrant ut plurimum, niſi cum à ſpe ſanitatis recuperandæ exciderunt: *non ergo æſtimet homo ille* (qui poſtulat in fide hæſitans) *quod accipiat aliquid à Domino*, Jac. 1. Deinde unde habet Lutherus, quod ſi quando reſtituatur ſanitas homini pleno fide, id non Sacramento, ſed naturæ vel medicinæ ſit tribuendum? 2. Sanitas corporea non abſolute promittitur, ſed ſub conditione, nimirum ſi animæ ſaluti expediat. Expediebat quidem primis Eccleſiæ ſæculis, quibus fides in cordibus infidelium erat inſerenda & roboranda: ut ſtupendæ illæ, ac miraculo plenæ ſanationes frequentius contingerent: at adulta jam fide, rariores eſſe debuerunt; quemadmodum arbores, inquit S. Gregorius, poſtquam radices altius egerunt, non amplius irrigantur ab agricola.

Inſtabis: Ex conceſſis miracula nunc à Miniſtris Eccleſiæ non ſunt intendenda, nec expectan-

da; atqui sanatio supra naturæ vires est miraculum : ergo Ministri Ecclesiæ eam per sacram unctionem nec intendere, nec expectare debent.

Respondet Dominicus Soto in 4. dist. 23. q. 1. art. 2. Extremam Unctionem per se quidem non conferre corporis sanitatem, sed auxilium dumtaxat ad illam restituendam; posse autem esse tantam morbi iniquitatem; ut vinci nequeat sine miraculo, quod à Ministris Ecclesiæ non est expectandum. Mentem suam explicat exemplo artis Medicæ, quæ licet infallibiter juvet; attamen propter nimiam vim morbi non semper sufficit ad sanitatem præstandam. Sed hæc responsio communiter rejicitur, imo Suarez disp. 41. sect. 3. n. 4. existimat esse ut minus temerariam, utpote communi Theologorum sententiæ adversam, &, quod gravius est, oppositam non quidem definitioni, sed doctrinæ Concilii Trident. supra laudati. Quare

R. Concessa majore, distinguo minorem. Sanatio supra naturæ vires est miraculum; si fiat etiam supra consuetum gratiæ aut Sacramenti operandi modum, Concedo: si fiat juxta consuetum gratiæ, aut Sacramenti operandi modum, Nego min. Namque ex S. Thoma, quem laudavimus ubi de justificatione, ad verum miraculum duo requiruntur, 1. ut opus excedat naturæ vires: 2. ut sit ratum; & præter ordinem à Deo constitutum.

Hinc justificatio, licet excedat naturæ vires, non est miraculum; quia rata non est, nec Sacramentum Pœnitentiæ eam operatur, nisi secundum ordinem à Deo institutum. Similiter sanitas, quæ naturæ viribus propter morbi iniquitatem

tem restitui non potest, per virtutem Sacramenti absque miraculo restituitur; quia id fit juxta legem à Deo præscriptam.

# CAPUT VII.

## De necessitate Sacramenti Extremæ Unctionis.

Meminisse oportet duplicem esse necessitatem; alia dicitur necessitas medii; alia necessitas præcepti, sive Divini, sive Ecclesiastici. De utraque necessitate hic inquirendum. Itaque

Q. 1. *Extrema unctio estne necessaria necessitate medii?*

R. Simpliciter & absolute necessaria non est necessitate medii; quia illud simpliciter & absolute necessarium non est necessitate medii, sine quo salus obtineri potest: atqui sine Extrema Unctione salus obtineri potest, cum sacra illa unctio sit Sacramentum vivorum, supponatque infirmum à peccatis lethalibus solutum & justum.

Dixi, *simpliciter & absolute;* nam Extrema Unctio per accidens, & in quibusdam circumstantiis potest esse necessaria necessitate medii, nempe quando infirmus invincibiliter ignorat se peccato lethali gravatum, nec perfecte contritus est; quia in illo casu absque Extrema Unctione esset damnandus, ut capite præcedenti exposuimus.

Q. 2. *Extrema Unctio estne necessaria necessitate præcepti?*

Certum est 1. Pastores præcepto tum Divino tum Ecclesiastico teneri ministrare illud Sacramentum, etiamsi supponatur nulla necessitas illius recipiendi; tum quia dispensator, quem con-

ſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, infidelis eſt, niſi ſingulis diſtribuat quæ à Domino accepit in aliorum utilitatem : tum quia Extrema Unctio eſt Sacramenti Pœnitentiæ perfectio, ſicut Confirmatio Baptiſmi : ergo ſicut Epiſcopi jure divino & Eccleſiaſtico Confirmationem conferre tenentur : ut ſuo loco probatum eſt ; ita Parochi Extremam Unctionem : tum quia Canones Eccleſiæ ita præcipiunt ; *ſacra unctione olei inuncti ſecundum ſtatuta ſanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur*, inquit Theodorus Cantuarienſis libro Pœnitentiali, ut legere eſt apud Ivonem Carnotenſem, & Concilium Cabillonenſe ſecundum, *infirmi oleo, quod ab Epiſcopo benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* Concilium quoque Mediolanenſe quintum, *ſi ad illius miniſtrationem accerſitus* (Parochus) *ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tum pœna ab Epiſcopo graviter plectatur.* Atque ad accendendam Parochorum diligentiam, Patres ipſis ibidem proponunt exemplum Sancti Malachiæ in Hibernia Epiſcopi, de quo S. Bernandus in ejus vita ſic narrat cap. 24. *cùm pararet ungere eam* (mulierem) *viſum eſt omnibus differendum potius uſque mane, erat enim veſpera. Acquievit Malachias . . . . at vero poſt modicum ſubito clamor factus eſt . . . . accurrit Malachias, tumultu audito, & accedens ad lectum, ut certo comperit expiraſſe, conſternatus eſt animo, ſibi imputans, quod fraudata gratia Sacramenti obierit : & elevatis in cœlum manibus,* Obſecro, Domine, *inquit,* inſipienter egi Ego, ego peccavi qui diſtuli : non iſta, quæ voluit. *Hæc dicens conteſtatus eſt in audientia omnium, nullam ſe recepturum conſolationem, nullam daturum requiem ſpiritui ſuo, niſi, quam tulerat, liceret reſtituere gratiam. Et ſtans ſuper eam tota nocte laborabat in gemitu*

*ſuo,*

*ſuo, & pro oleo ſancto, longo imbre lacrymarum perfundens mortuam, vicem illi unctionis quam poterat, exhibebat .... Quid plura? aperuit oculos, quæ fuerat mortua .... Sed & Malachias gratias agens benedixit Dominum, & unxit eam nihilominus, ſciens in hoc Sacramento remitti peccata, & quod oratio fidei ſalvet infirmum. Poſt hæc abiit ille, & illa convaluit.*

Certum eſt 2. infirmum graviter peccaturum, qui nollet inungi ex contemptu, vel ex illa negligentia, quæ aliis eſſet offenſioni & ſcandalo, *nunc vero,* inquit Concilium Trident. c. 3. *tanti Sacramenti contemptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus ſancti injuria eſſe poſſet.* Et Concilium Colonienſe ſecundum anno 1549. *Statuimus, ut ſi quis Sacramentum illud nobis ab Apoſtolo Jacobo tantopere commendatum contempſerit, Eccleſiaſtica careat ſepultura.*

Quæſtio igitur ſolum eſſe poteſt, utrum extet divinum præceptum recipiendæ Extremæ Unctionis in ægritudine periculoſa?

Negat Suarez diſp. 44. ſect. 1. num. 2. plures Theologos laudat pro ſua opinione, quam vult eſſe communem. Eam amplexi ſunt Eſtius, Sylvius, & Sanbovius.

Oppoſita tamen ſententia habet ſuos patronos, ut Magiſtrum Sententiarum lib. 4. diſt. 23. ubi docet, omittere Extremam Unctionem ex contemptu vel negligentia, eſſe periculoſum & damnabile: S. Bonaventura in eandem diſt. De mente Sancti Thomæ non ita conſtat: ſed ex recentioribus benemulti, etiam in Academia Pariſienſi, eandem ſententiam docent ac propugnant, quibus adhærendum videtur, cum ſit eadem ratio Extremæ Unctionis ac Confirmationis, quam ſuo loco demonſtravimus præceptam jure divino

& Ecclesiastico : sicut enim Confirmatio est perfectio Baptismi, sic Extrema Unctio est perfectio & consummatio Pœnitentiæ : illa quidem, ut sanum adversus Religionis Christianæ hostes corroboret; ista, ut infirmum confirmet adversus dæmonis tentationes, quæ in vitæ exitu solent esse acriores. Quare

R. Sacramentum Extremæ Unctionis est necessarium necessitate præcepti divini & Ecclesiastici.

Prima pars probatur 1. ex sæpius laudato c. 5. S. Jacobi, *infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ.* Verbum, *inducat*, æque præceptum sonat, ac ista, *confitemini . . . . alterutrum, & orate pro invicem*, quæ Apostolus in eodem orationis contextu usurpat : atqui posteriora verba præceptum exprimunt : ergo & verbum, *inducat*; & ita illud interpretati sunt Patres & veteres Theogi. Unde

Probatur 2. auctoritate Veterum,

Theodorus Cantuariensis in laudato Pœnitentiali sic habet : *secundum auctoritatem canonicam, ne illis* (infirmis) *janua pietatis clausa videatur, orationibus & consolationibus Ecclesiasticis, sacra unctione olei inuncti secundum statuta sanctorum Patrum, communione Viatici reficiantur.* Hic laudatur auctoritas canonica, laudantur & statuta sanctorum Patrum : atqui auctoritas illa alia intelligi nequit, quam præceptum in ep. canonica S. Jacobi contentum : ergo. Concilium Cabillonense II. c. 48. sic habet: *Secundum B. Apostoli Jacobi documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à Presbyteris ungi debent.* Atqui si documentum tum Apostoli, tum sanctorum Patrum

trum esset merum consilium, nulla esset infirmos ungendi obligatio, quam tamen vox, *debent*, exprimit.

Concilium Coloniense primum anno 1536. *sacra unctio impendatur cum expositione mandati Apostolici.*

Rupertus in vita Hereberti sic refert: *Abbatem Eliam accersivit, quo veniente secundum præceptum Apostoli sacro est unctus oleo in nomine Domini.*

Probatur 3. iisdem rationibus, quas adduximus Tom. 5. Tractatu de Confirmatione cap. 9. pro necessitate illius Sacramenti, utpote quæ similiter urgeant pro Extrema Unctione, ut jam observavimus.

Secunda pars, quæ est de necessitate præcepti Ecclesiastici, necessario sequitur ex dictis in confirmationem primæ partis; sic enim præcepit Deus, ut Fideles in sua infirmitate ad sacram unctionem recurrant, dubium non est, quin Ecclesia, quæ est fidelis custos præceptorum divinorum, eos ad obsequendum compellat: maternam ejus sollicitudinem testantur Canones Theodori Cantuariensis, Concilii Cabillonensis secundi, & Concilii Coloniensis supra laudati.

Q. 3. *Parochus teneturne grassante peste, conferre Extremam unctionem cum propriæ vitæ periculo?*

R. 1. Si solus sit in Parochia, nec par sit omnibus Sacramentis ministrandis, prudenterque timeatur periculum, ne ipso deficiente, alius Sacerdos præsto non sit, qui illius vices suppleat; charitas & recta ratio postulant, ut Sacramenta magis necessaria præ aliis conferat. Sed hisce casibus exceptis,

R. 2. Parochus tempore pestis sacram unctionem Parochianis conferre tenetur.

Pro-

Probatur: quia justitia exigit, ut pactionis leges serventur; miles v.g. tenetur ex justitia pugnare in bello cum vitæ discrimine; quia nomen suum militiæ dedit ea conditione: atqui Parochus hac lege ad Parochiæ regimen accessit, ut animam pro ovibus poneret; *bonus Pastor*, ait Dominus Joan. 10. *animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem, & qui non est Pastor .... dimittit oves, & fugit.* Ergo. Hanc rationem urget S. Thomas 2. 2. qu. 185. art. 5. in quo sic habet: *Obligant autem se Episcopi ad exequendum Pastorale officium propter subditorum salutem. Et ideo ubi subditorum salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter suum gregem deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ovibus suis. Si vero subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium provideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod Ecclesiæ commodum, vel propter personæ periculum, corporaliter gregem deserere. Unde Augustinus dicit in Epistola ad Honoratum: Fugiant de civitate in civitatem servi Christi, quando eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur,* (sicut S. Athanasius,) *ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia. Cum autem omnium est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his, quibus indigent.* Et Nicolaus I. cap. *Sciscitaris*, causa 7. qu. 1. *Non dicimus*, inquit, *quod persecutorem non fugiamus; sed quòd præcipuè nos, qui tanquam arietes præcipuè ducatum gregibus præbemus, imo qui & eorum Pastores sumus, Deo auctore, cum eis in periculis pro viribus persistere pro certo conveniat .... si perniciosum est Nautam in tranquillitate navem deserere, quanto magis in fluctibus?*

Dices:

Dices: Laudata Christi sententia locum non habet, nisi cum oves versantur in extremo damnationis periculo: atqui oves ex defectu Extremæ Unctionis non versantur in ejusmodi periculo; cùm ex dictis Extrema Unctio non sit absolutè ad salutem necessaria: ergo.

R. 1. negando majorem propter absurda quæ ex ea sequuntur, scilicet Pastorem nequidem teneri cum vitæ discrimine excipere confessiones subditorum, qui peste corripiuntur; utpote qui saluti suæ consulere possint per contritionem perfectam; & ita nulla Pastori necessitas ponendi animam suam, nisi cum sacro fonte abluendus est parvulus, quia hæc sola videtur extrema. Quod ne admittatur, aliud obstat absurdum, nempe Parochum non magis teneri animam ponere pro ovibus suis, quam quemvis privatum, etiam Laicum, qui, si desit Sacerdos, parvulum in extremis positum baptizare tenetur cum evidenti mortis periculo, ut dictum est ubi de ordine charitatis.

R. 2. negando min. 1. quia ex dictis Extrema Unctio per accidens quibusdam ita est necessaria, ut sine ea in æternum perituri sint: 2. quia etiamsi supponatur per confessionem satis consultum quorumdam saluti: ex absentia Pastoris, magna in grege sequitur perturbatio, ut advertit S. August. ep. 228. ad Honoratum alias 180. *Annon cogitamus*, inquit, *cùm ad istorum periculorum pervenitur extrema, nec est potestas ulla fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab utroque sexu, atque ab omni ætate concursus, aliis Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem*

*tionem ..... quantus denique gemitus omnium, & quorumdam quanta blaſphemia de abſentia miniſteriorum & Miniſtrorum? Vide quid faciat malorum temporalium timor, & quanta in eo ſit acquiſitio malorum æternorum. Si autem Miniſtri adſint, pro viribus quas eis Dominus ſubminiſtrat, omnibus ſubvenitur, alii baptizantur, alii reconciliantur, nulli Dominici corporis communione fraudantur, omnes conſolantur, ædificantur*, non ſolum verbis, ſed exemplo Paſtoris, qui extrema ſubit pericula pro eorum ſalute, ſicque animos ſumunt ad ferenda, quibus premuntur, mala, & bona temporalia intuitu æternorum contemnenda. Ex quibus patet ex timiditate & abſentia Páſtoris plures è grege damnandos fore, qui ejus præſentia & exhortationibus recreati, ſalvati fuiſſent.

Inſtabis: Parochiani non tenentur cum propriæ vitæ periculo Sacramenta actu recipere; ſed ſatis eſt, ſi illorum votum habeant: ergo nec Paſtor cum ſimili periculo iis adminiſtrare; quia ex dictis ubi de ordine charitatis, non tenemur corporalem proximi ſalutem noſtræ præferre.

Diſtinguo antec. ſi conſcii non ſint peccati mortalis, vel moraliter certi ſe purgatos contritione, quæ ſit charitate perfecta, tranſeat: ſecus, Nego antec. & conſeq. namque 1. Parochus prudenter timere debet, ne perfecta illa contritio deſit pluribus è grege, cum in ejuſmodi perturbatione & anguſtiis ſit admodum difficilis, inquit Suarez diſp. 44. ſect. 3. n. 14. *tum propter corporis debilitatem, tum propter ſollicitudinem ſalutis corporalis, quæ multum diſtrabit animam à ſpiritualibus: tum propter nimium timorem, ex quo potius tunc homo movetur, quàm ex amore; tum denique quia ſi tunc homo à Paſtore ſuo deſtituatur, exponitur multis periculis tentationum vel*

*deſpe-*

*desperationis, vel nimiæ tristitiæ, qua facile potest absorberi.* 2. quia dux vel miles in temporali pugna vi sui muneris & officii tenetur exponere vitam suam periculo, etiamsi ex illa pugna absolutè non pendeat salus aut subversio Reipublicæ, satisque est ut ex illa secuturum sit aut magnum commodum, aut grave incommodum: atqui eadem est ratio muneris Pastoralis; verus enim Pastor contra mortis timorem, Domino miserante atque adjuvante, fortiter dimicat, ne veniens lupus gregem sibi creditum rapiat ac dispergat. *Fit hoc*, inquit S. Augustinus citata epist. 228. *ubi Dei charitas flagrat, non mundi cupiditas fumat. Charitas enim dicit:* Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror? *sed charitas ex Deo est. Oremus ergo, ut ab illo detur, à quo jubetur: & per hanc magis timeamus, ne oves Christi spiritualis nequitiæ gladio, quàm ne ferro in corpore trucidentur.*

*FINIS.*



